Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

6/4.C.11/2

IACOBI PONTANI
DE SOCIETATE IESV

PROGYMNASMATVM LATINITATIS,
SIVE
DIALOGORVM

Volumen ſecundum, cum Annotationibus.

DE MORVM PERFECTIONE.



Cum Gratia & Priuilegio Cæſ. Maieſt.

INGOLSTADII,
Ex Officina Typographica DAVIDIS SARTORII.

Anno M. D. LXXXIX.

Digitized by Google

SERENISSIMIS VTRIVSQVE BAVARIÆ PRINCIPIBVS, PALATINIS RHENI, PHILIPPO EPISCOPO RATISbonenſi, Præpoſito Colonienſi, &c. & eius germano fratri FERDINANDO, Canonico Colonienſi, Treuirenſi, &c.

IACOBVS PONTANVS de Societate IESV, *S. P. D.*

NATVRAM ET GENVS ipſum, PRINCIPES Sereniſs. certiora hominibus afferre ſolere pręſidia ad bene & cum virtute viuendum, quam educationem ſiue diſciplinã, pleroſq; probata ſapientia viros opinionem habuiſſe animaduerto. Plato enim (vt hunc ſolum nominem, qui eſt vnus inſtar omnium, ex cuius quaſi ſanctis quibuſdam auguſtiſq; fontibus maiores noſtri religioſiſſimi libenter ac ſæpe hauriebãt) in dialogo qui Menexenus, ſeu oratio funebris inſcribitur, qua ciuibus ſuis charitatem patriæ ſuadet, & honorificentiſſimis verbis eos extollit, qui pro eius ſalute ac libertate extremum in certamine ſpiritum effuderant, ſic ait: ἀγαθοὶ δὲ ἐγένοντο διὰ τὸ φῦναι ἐξ ἀγαθῶμ. τὴν εὐγένειαμ οὖμ πρῶτομ αὐτῶμ ἐγκωμιάζωμεν, δεύτερομ δὲ τὴν τροφήμ τε, καὶ παιδείαμ, &c. Boni extiterunt, quòd ex bonis progeniti erant. Quocirca generoſam ipſorum originem primùm,

deinde educationem inſtitutionemq́ue commendemus. Præterea oſtendamus, quàm præclara, & his maximè cõſentanea facinora ediderint. Homines igitur vnà cum ſanguine virtutum, & (in quo tantundem probabilitatis ineſt) vitioſitatum quoque ſuarum ſemina quædam in filiorum animos plerunque tranſmittunt, producuntq́ue religioſi pios, ſobrij temperãtes, manſueti placabiles, benigni liberales, magnanimi fortes, naui induſtrios: contra, impij ſacrorum contemptores, ebrioſi vinolentiæ deditos, ſæui crudeles, ſordidi & reſtricti auaros, timidi imbelles, ignaui deſides. Ad conſummandam porrò prauitatem quanquam præceptio non requiritur, ideo quod facillimum eſt natura ſola, ſine magiſtri opera vel improbiſſimum euadere, tamen quo ſit partibus ſuis expleta virtus, & vt præclarum ac ſingulare quiddam exiſtat, ad eximiam & illuſtrem naturam adiungenda videtur doctrinæ conformatio, adiungendum ſtudium, adiungendus vſus: quibus ſi deſtituta fuerit, eius bonum turpitudine vitæ morumq́ue contaminabitur. Hinc perſapienter Horatius.

Doctrina ſed vim promouet inſitam,
Rectiq́; cultus pectora roborant:
Vtcunque defecere mores,
Dedecorant bene nata culpæ.

Iam verò hic cultus à magiſtro venit. Quamobrem eximius ille naturæ habitus eſt ſicut in agricultura fertile ac pingue ſolum, magiſter moratus & prudens tanquam peritus colonus, præcepta ipſa velut electiſſima ſemina. Quam beatos ergo, quam fœlices illos numerabimus, quibus hæc ſingula diuino beneficio ac munere adeo cumulatè contigerunt, vt ipſis ex omni ſæculorum memoria comparari perpauci, anteponi haud ſcio an vlli omnino poſſint? Quorum cogitata, dicta, facta immortalitatis ſunt magis quàm ætatis. Qui curriculis mentium omnem temporum celeritatem præteruolãt; ante viri quàm adoleſcẽtes, ante ſenes quàm iuuenes. Quæritis, quorſum

hæc

hæc mea ſpectet oratio? Ad vos ipſos, inquam, qui eorum ſatu procreati eſtis, vnde in vos cum illuſtriſſima nobilitate tanta ad præclariſſimas actiones, tamque incredibilis ad honeſtatem & decus peruenit, atque transfuſa eſt incitatio. Qui quidem vt vobis maximo honori ſunt, non tantum quia magni Principes, verumetiam quia mirabiliter in omni pietatis exercitatione inter ſe conſentientes, & ſpectata vitæ ſanctimonia, perque orbem longè ac latè non dubiis hominum ſermonibus celebrati Principes ſunt: ſic ipſos viciſſim liquidiſſima voluptate compleri arbitror, quoties de veſtris in virtute litterarumque diſciplina proceſſibus, & de certiſſimis, iiſque multis futuræ olim præſtantiæ ſignificationibus nuncios accipiũt; accipiunt autem in dies pæne ſingulos. Non eos audimus mollibus ac peregrinis gaudere deliciis; non in ludis & ſpectaculis tempus ponere; non fluxum denique & caducum aliquid admirari. Vos illorum gaudia, vos ſpectacula, vos ſecundum Deum eſtis omnia, habitatiſq; in eorum medullis, & hæretis in viſceribus. Si enim, vt ſcriptum eſt apud Tullium, nihil dulcius hominum generi à natura datum eſt, quàm ſui cuique liberi; tam bonis, tam religioſis, tam ad omnem excellentiam factis, tam ad parentum ſuorum laudem atque gloriam efflorеſcentibus liberis poterúntne illi quidquam reperire dulcius? Nam illud inprimis quanti faciẽdum eſt, quod iſta ætate necdum matura cœleſtis amore numinis tantoperè deuincti tenemini? ex quo in ſacris myſteriis obeundis, in diuinis precationibus frequentandis ſumma elucet aſſiduitas veſtra, ſumma pietas: in tuenda autem animorum pulchritudine & innocentia, repellendiſq; ſcelerum contagionibus ardor planè inexſpectatus, mirificus, ſingularis. His addo flagrans deſiderium exſcindendi religiones deliras & ſacrilegas, iiſque doctoribus quacunque via, quibuſcunque modis reſiſtendi, à quibus inclytæ Germaniæ peſtem & exitium comparatum videtis. Cui ſanctiſſimæ voluntati re ipſa aliquando explicandæ inſeruiet prudentia veſtra, inſeruiet eruditio, grauitas & conſtantia veſtra, totus de-

nique virtutum veſtrarum nobiliſſimus comitatus, quarum clara ſpecimina quotidie præbetis. Illam autem humanitatem, illam affabilitatem, illos mores ſuauiſſimos, quibus vtimini etiam erga infimos, illamque liberalitatem, quam in pauperes ipſi etiam præſentes, eorumq; domicilia obeuntes confertis, ad conciliandos vtrique omnium mortalium animos quantam vim tandem habituras credimus?

Veniam ad ea quæ ingenij & literarum ſunt. In rebus grauibus & arduis ita præſtare iudicio, ita ſubtiliter falſa à veris, bona à malis, æqua ab iniquis, honeſta à turpibus internoſcere ac diſcernere poſſe ætatem veſtram etiamnum teneram, nemo non ſecum ipſe miratur. Declarat item ingeniorum veſtrorum magnitudinem, docilitatemque, quod pauciſſimis annis latinè loqui & ſcribere, atq; etiam poëmata condere didiciſtis. Diligentiam, & proficiendi cupiditatem, amorem recitandi, repetendi, cum condiſcipulis acerrimè diſputãdi, qui vobis à ſtudiis ſunt, miris efferunt laudibus. Omitto pronunciatas orationes & carmina tota audiente Academia, præſentibusque viris principibus, actione tam venuſta, graui, & ad animos permouendos idonea, vt omnes obſtupuerint. Quod prẹterea conciones habere vos nonnunquam delectat (quas nihilominus corona applaudente habetis) hoc ipſo magnis quibuſdam rebus efficiundis quaſi præludere mihi videmini. Hæc aliaque multa primùm quidem Deo auctori bonorum vniuerſorum, tum commemorandæ naturæ veſtræ, rectiſſimæ voluntati ac ſedulitati, accuratiſſimæ inſtitutioni, magiſtrorumque veſtrorum probitati, prudentiæ, ſollicitudini tribuenda ſunt: quæ eadem me ad vos mente penitiſſima atque intimis ſenſibus complectendos, & ad iſtuc meum iudicium ad poſteritatem prodendum, domuique veſtræ laudatiſſimæ, toti Bauariæ, toti Germaniæ, toti Eccleſiæ Catholicæ de duobus tam admirandæ ſpei fratribus gratulandum impulerunt. Cuius rei certiſſimum teſtem hoc ſecundum progymnaſmatum meorum volumen ad vos mitto. Nec fuit ſanè, quod aut

ego

ego potius donare vel poſſem, vel deberem, aut à Serenit. Veſtra libentius acceptum iri confiderem; quorum delectamenta præcipua ſunt libri; & tales quidem, qui & annis iuuenilibus, & ſtudiis in quibus per hoc tempus verſamini reſpondent. Quorum è numero hunc noſtrum fore ſpero, quem eadem diligentia, qua antea primum, fructu autem fortaſſis vberiore euoluetis. Poſtulauerunt inſuper hoc à me officium à parentibus, auis & proauis veſtris nõ ſolùm in Bauaria, ſed aliis quoque locis apud Societatem IESV collocata multa & magna beneficia: nempe vt eorum nos memores, & ad gratificandum inſeruiendumq; Principum familiæ clariſſimæ pro rationibus instituti noſtri ſemper paratiſſimos demonſtrarem. Quod supereſt, rogo hoc exiguum paruumque munus ne aſpernemini, & Societatem noſtram exemplo maiorum veſtrorum, ſicuti iam pridem facitis, omni beneuolẽtia comprehendere ne ceſſetis. DEVS Opt. Max. cui ſinceriſſimum cultum adhibetis, quemq; à paruulis diligere cœpiſtis, quàm longiſſimè æuum amborum extendat, & quam impertiuit mentem optimam ac diuinam, eam in vobis vſque ad exitum vitæ pro ſua bonitate cuſtodiat. Auguſtæ, Kalend. Iunij.

M. D. XXCIX.

AD PHILIPPVM, ET FERDINANDVM GVLIELMI FILIOS, PRINCIPES SERENISS.

ΩΣ ΑΠΟ ΜΟΥΣΩΝ.

QVae doctis calamos ferimur donaſſe poëtis,
Aut Aganippæo lymphas è fonte bibendas,
Aut ſacra fatidicæ lauri guſtanda dediſſe
Germina, vt excelſas deducere montibus ornos,
Et celeres poſſent fluuiorum ſiſtere curſus,
Attonitasq́ tenere nouo modulamine rupes;
Porrigimus paruum, ne ſpernite, munus eædem,
BOIARICI *vobis duo maxima lumina regni.*
Nuper id Aoniis ſollers PONTANVS *in antris,*
Quo veſtri nemo ſtudioſior extitit vnquam
Nominis, egregia iuſſus contexuit arte.
Sæpius optaſtis noſtri iuga viſere montis,
Et, quibus illa velut gemmis diſtincta niteſcunt,
Extremis digitis teneros decerpere flores.
Sæpius hanc veſtro depromptam pectore vocem
Hauſimus: O diuine Helicon, ecquando licebit
Delicias adiiſſe tuas? ecquando ſalubres
Quas ſemper fundis, potaſſe merebimur vndas?
An nunquam dabitur læto tua culmina vultu
Cernere, per multos quæ iam complectimur annos,

Quæ

Quæ colimus, ſacroq́; ſimul celebramus honore?
Hæc, inquam, ſæpe audiimus. Nunc ergo benigna
Sollicitas tandem miſeramur mente querelas,
Ac noſtram vobis adeundam pandimus arcem.
Aſpera prima quidem duris eſt ſemita ſpinis,
Et parit innumeras montana moleſtia curas.
Ne tamen aßiduus peruertat pectora mœror,
Ac cœptum conturbet iter, capitote leuamen
Solamenq́; viæ, patriis quem mittimus oris
Plenum doctrina, plenum dulcedine librum.
Vos, ſcimus, grauiora decent, maioraq́; multò;
Sed mage cor ſemper, quo quid donatur, amandum,
Quàm ſint oblati ſpectanda encomia doni.
Arſacidûm princeps, hauſtum cum flumen vtriſq́;
Præberet palmis ſitienti villicus ori,
Commendansq́; viri mentem, ſtudiumq́; paratum,
Admirabundo ſumpſit pia munera vultu.
Sic animos laudetis, vbi data laude carebunt:
Sæpe capeſſentis quàm dantis gloria maior.

IOANNES SALLERVS
Bauarus.

AD EOSDEM.

SE quotquot annis prata floſculis ſuis
Pulcherrimis, ſuauißimis
Terras per omnes induunt, & halitu
Beant fragrante plurimos.
Sed te, ô gemina ſoboles Ducis celeberrimi,
Amplißimo Boiûm ſolo

Haud viſus eſt flos pulchrior, fragrantior,
Et omnibus iucundior.
Merentur id virtus tua, ingenium optimum, &
Mores amabiliſſimi.
Cunctos capis, trahis, rapis, cunctos tenes,
Seu nobiles, ſeu ignobiles.
Creſce igitur, & fructus fer optatiſſimos
Germaniæ ſpes maxima.

VVOLGANGVS STARCKIVS.

HVMANISSIMIS LECTORIBVS.

De rebus humanis non tam præclarè mereri eos, qui ſcientiam benè dicendi afferunt, quàm qui piè & innocenter docent viuere, quod eſt longè præſtabilius: cum illud ad paucos, hoc ad omnes pertineat: atq; idcirco apud Græcos maiori fuiſſe in gloria Philoſophos quàm Oratores, quia rectè viuendi doctores exiſtimarentur, initio diuinarum Inſtitutionum Lactantius affirmauit. Quando igitur nos quoq;, quantumcunq; in nobis eſt litterarũ, quod exiguum eſt, ad communes vtilitates ſumma voluntate conferimus, & quò de iuuentute mereri quam optimè poſſimus ſtudioſè enitimur, viſum eſt faciendum, vt cùm ſermo Latinus ſine aliqua rerum tractatione doceri nequeat, in ipſis rebus, quas eius tradendi cauſſa explicandas ſuſcepimus, morum quoq; honeſtorum, & Chriſtianæ Catholicæq; pietatis rationem vel potiſſimũ haberemus. Verum enim verò hanc argumenti partem omnium præſtantiſſimam, inprimiſq; ac vehementer neceſſariam eo temperamento perſecuti ſumus, vt neq; ſingula quæ vtiliter dici poſſent diceremus, ne nimium creſceret volumi-

Voluminis magnitudo, neq; puerorum & adoleſcentum ingenia, quibus præſertim iſta elaborauimus, diſputationibus tortuoſis ac ſpinoſis oneraremus ac perturbaremus potius, quàm oratoria quadam ſimplicitate facilitateq; erudire conaremur. Illud perſæpe nobis optandum fuit, vt extaret in cuius tanquam veſtigiis ponere greſſum liceret: qui, inquam, Dialogis ſcholaſticis componendis, hunc ordinem, iſtumq; modum, & inſtitutum ſimile tenuiſſet. Nunc, quod ad methodi quidem huius noſtræ nouitatem, ad rerũ multitudinem diuerſitatemq; attinet, quam progymnaſmatis longè plurimis comprehenſam in tria, eaq; haud parua ſanè volumina includo, potero fortaſsis aliquo modo vti verbis Lucretij, qui primus naturæ Philoſophiam latinis verſibus illuſtrabat.

Auia Pieridum peragro loca, nullius antè
Trita ſolo, &c.

Et quanquam ipſi fontes ad quos accedo, iam integri non ſunt: propterea quod ex illis ante me doctiſsimi viri in eodem negotio hauſerunt; nec poſsim meo capiti petere inde coronam (vt inquit idem Poëta)

Vnde prius nulli velarint tempora Muſæ,

Vellem tamen etiam atq; etiam, capacioribus vrnis hauſiſſent, ſtudioſorumq; animos & ingenia affatim irrigaſſent, non autem dialogis tam parcè conſcribendis, id eſt, verbis & locutionibus pro rerũ immenſitate paucißimis tantummodo velut leuiter aſperſiſſent, ſiue irroraſſent. Veruntamen illi non temerè, credo, ſed deliberatè, & cum iudicio, ſuo quaſi, & alio itinere inceſſerunt: & quod in omnibus artibus factum cernimus, poſteris quoq; ipſorum inuenta augendi ornandique materiam poteſtatemq; reliquerunt. Quapropter verbum non addam. A beneuolo & erudito Lectore peto & quæſo, ne grauetur in hiſce vigiliis laboribusq; meis τοῖς μὲν παραλελειμμένοις συγγνώμην, τοῖς δ' εὑρημένοις πολλὴν χάριν ἔχειν.

INDEX

INDEX
PROGYMNASMATVM SECVNDI VOLVMINIS.

CVBICVLVM.

1. Cubitum diſceſſuri. Pag. 1
2. Seſe veſtibus exuentes, preces ante ſomnum. 6
3. E ſomno ſuſcitati, precatio matutina. 13
4. Veſtientes ſe, & reliqua peragentes. 18
5. Mores in cubiculo, in lecto. 22
6. Salutatio matutina, ientaculum. 30

CORPORIS HONESTATES.

7. Oculorum moderatio, & affectiones. 33
8. Frons, nares, caput. 41
9. Malæ, os, labra, dentes, vultus. 46
10. Ceruix, humeri, brachia, manus, vngues, auriculæ. 50
11. Spuere, tuſſire, eructare, ſcreare, oſcitare, &c. 56
12. Riſus, ſeſsio, genuflexio, inceſſus. 60

VESTITVS, SIVE HABITVS.

13. Veſtes litteratorum. 66
14. Decorum veſtium generatim. 83
15. Muliebris cultus. 92

CONVICTVS.

16. Morum elegantium vtilitas, & neceſsitudo. 94
17. Qui potiſſimùm in coniunctione conſuetudinis atque ſermonum odioſi. 101
18. Compoſitio corporis inter colloquendum, & conſuetudines ruſticanæ. 113
19. Honores quibus, & qui 116
20. Epitheta, ſeu tituli. 123

21. Qua-

21. Quales in ſermone. 131
22. Sermones fugiendi. 138
23. Nec nimium, nec minimum. 153
24. Cæremoniæ. 159

TRICLINIVM, SIVE COENATIO.

25. Conſecratio menſæ. 163
26. Gratiarum actio poſt epulas. 167
27. Inſtruere & adornare menſam. 171
28. Quæ ante accubitum. 176
29. Decorum accubitus, & alia quædam. 180
30. In potu quid deceat. 184
31. Quando & quomodo accipiendum è patina. 189
32. Cum ab aliis quidpiam porrigitur. 193
33. Aceruus præceptorum. 196
34. In ſermone apud menſam obſeruanda. 207
35. Appendix. 211
36. Quæſtiones ſympoſiacæ. 215
37. Pars ſecunda. 230

TEMPVS.

38. Parſimonia temporis. 243
39. Cum tempore congruendum. 253

ADMINICVLA, SEV NVTRIMENTA & impedimenta virtutis.

40. Exempla & ſententiæ prælectionibus aſperſa. 257
41. Manſueta obiurgatio. 263
42. Proborum familiaritas. 267
43. A Deo actionum capienda primordia. 270
44. Temperantia in victu. 274
45. Quotidiana in ſemetipſum inquiſitio. 279
46. Vitiorum peccatorumque amuleta generalia. 283
47. Solitudo. 290
48. Cultus & amor Dei. 295
49. Seruanda erga fœminas. 298

50. Malorum ſocietas. 302
51. Minutiora peccata. 306
52. Libelli ſcurriles. 309
53. Otium deteſtandum. 314
54. φιλαυτία, ſeu cæcus amor ſui. 318

VERECVNDIA, ET EIVS *Extrema.*

55. Natura verecundiæ. 322
56. Laus verecundiæ. 327
57. Adoleſcentiæ propriam eſſe verecundiam. 331
58. Quæ res verecundiam pariant. 335
59. Quoſnam vereamur. 341
60. Impudentia. 344
61. Immodica verecundia. 348
62. Damna quorum auctor vitioſus pudor. 354
63. Duplex curatio huius vitij. 360

LVSVS.

64. Ludendum eſſe. 363
65. Tempus, & modus ludendi. 372
66. Officia ludentium. 374
67. Luſus auerſandi. 379
68. Genera luſuum. 383
69. Colloquium feſtiuum. 388
70. Ludus lapidum orbiculatorum ad metas. 396
71. Ludus globulorum. 400
72. Ludus nucum. 402
73. Ludus turbinis. 404

VARIA OFFICIA.

74. Obiurgatio fraterna, iniuriæq; condonatio. 407
75. Ægrotos viſitare, in funus prodire. 412
76. Pacificatio. 416
77. Mæcenates. 422
78. Auxilium mutuum. 425
79. Conſilium ad edomandam libidinem. 429

80. Inno-

80. Innocentiæ patrocinium. 432
81. Peregrinatio. 435
82. Gratus animus. 440
83. Ignorantium inſtitutio. 445
84. Amor, & amicitia. 452
85. Modeſta eruditio. 457
86. Solatium paupertatis ſtudioſorum. 466
87. Erga mendicos, calamitoſos, ſeruos. 475
88. Formulæ bene precandi. 478
89. Alloquium, ſeu conſolatio ſuper exceſſu matris. 481
90. Virtutis laus. 489

FIDES ET PIETAS CATHOlicorum.

91. Catechiſmus. 496
92. Sacræ conciones. 498
93. Miſſæ ſacrificium, item ſacerdotalia, atque ad aram pertinentia. 504
94. Piacularis confeſſio. 515
95. Sacratiſſima Euchariſtia. 520
96. Ieiunia. 527
97. Religioſi, ſeu vita monaſtica. 532
98. Templorum Conſtructio, & ornatus. 538
99. Indulgentiæ, bona opera, Chriſti Vicarius, cultus & imploratio Sanctorum, & alia demum. 543
100. Veneratio, & laudes Dei matris. 550

Addenda, aut leuiter immutanda.

Pag.33.ad illud: *Oculorum moderatio*, adde, *& affectiones.* Pag.42.verſu 1. *dare commodatò*, muta in, *commodare.* & pag.401.3.in, *Commodato.* Pag.48.à verſu penult. ſic lege. vituperauit etiam elegiæ latinæ princeps in ſua. Tantum abeſt vt in muliere honeſta ac pudica luxus ille meretricius probandus videatur Et præterea Terent. &c. Pag.49. illam annotat. *Induat cycladem*, vt otioſam dele. Pag.68.verſu 15.induces (*quam*) & ſequenti, *adducebat.* Pag.73. verſu 16. ante illud, *Porcorum eſt hoc*, pone litteram L. Pag. 141. verſu 7. pro *conſtituit iſte*, legas, *conſtituit Veronenſis.* Pag.401.16. ante, *Sta intra*, pone M. pag.418. 19. pro V. pone T.

ERRATA.

Pag.52. Verſu 28. *offendere.* 55.14. *magnam.* 63.26. *paruum.* 64. *penult.* οἰμώζειν. 80.10. *ſpirare.* 179.3. *Vt.* 182.15. *Vellem.* 188.2. *Bromon.* 198.4. *ſeu.* 207.17. *apud Sen.* 234.3. *ipſi.* 240.15. *hoc.* *Ibid.* 20. *M.* 269.20. *ante, aquã, pone, nec.* 274.16. *inſideant.* 345.9. ἀνεσχυντίαν. 370. 3. *auorum.* 378.22. *diſcant.* 389.11. *abduceretur.* 390.11. *aliquot.* 391.17. *occupari.* 415.24. *de more.* 428. 3. *Minoem.* 452.2. *octogeſ. quartũ.* 465.13. ὑπέρχθπον. 476.22. *Vel.* 487. *penult. qua.* 497.25. *quanto.* 529.19. *militia.* 541.20. *pro eiuſdem, lege, Scaligeri.* 543.3. *lege* DEORVM, *Vti.* 546.2. *num.*

PRO-

PROGYMNASMATVM LATINITATIS,

SIVE DIALOGORVM VOLVMEN SECVNDVM.

CVBICVLVM.

PROGYMNASMA, SIVE DIALOGVS PRIMVS.

Cubitum diſceſſuri.

PAEDAGOGVS, LVCIOLVS, & AMANDVS pueri, PATER, MATER.

PÆDAGOGVS. Heus pueri, iam ſatis ſupérque luſum eſt à cœna, quantum videlicet nunquam antehac. Dormitum cẽſeo aliquando diſcedamus, quandoquidem iſtuc hora nos admonuit. L. Hora? numeraſtin', Amande, octauam? A. Ego verò numeraui, ac pridem. L. Cur tu reticebas? A. Quia iuuabat ludendo tempus extrahere, & alienas partes atque munus arrogare mihi nolebam. L. Aſtutè. P. Amande, Amande, quid verbi ego ex te audio? A.

A Habes

Habes cauſſas. P. Quæ iſthæc religio in te inceſſit? Tibi edico, in poſterum pace mea arroges licet, & ſimul octauam pomeridianam audieris, mihi aurem vellas. A. Si ita vis. P. Nempe ita volo. L. Necdum eſt cupido ſomni: ne prohibe nos, amabo, adhuc aliquâtiſper hac tam bella & optata luſione contendere; paululo contenti erimus. P. Arceſsit vos ſomnus, qui quàm mox cubilia veſtra aſcenderitis, tam mox vtrumq́ꝫ complectetur; etenim puerorum eſt amantiſsimus. Eſtne aliter ac dixi? A. Haud aliter. P. Ite præ. L. Ecce imus. P. Cæterùm antequam in cubiculum nos abdamus, parentibus pro conſuetudine dicenda eſt ſalus, porrigendaq́ꝫ prius oſculata manus dextera, poplitibus modicè curuatis, id quod boni liberalesq́ꝫ pueruli factitare conſueuerunt, & ego vos ſic inſtitui. A. Adeamus igitur ad eos feſtinatò. Pater mi chariſsime, & tu mater ſuauiſsima bene valete in hanc noctem; nos ad quietem capeſſendam proficiſcimur. L. Saluus eſto in craſtinum pater, ſalua eſto mater. PAT. Quid? ſopor ocellos veſtros obtegere properat? vtinam quieſcatis ambo tranquilliſsimè vſq; in lucem. Veruntamen non vſq; adeo in multam lucem. Septem horæ vel pueris putantur ſufficere. Tamen ego vobis octauam quoque indulſerim. A. Iſtuc tibi eſt in manu, pater. M. Dominus IESVS vigilantes vos iuxta atque ſomno conſopitos ab omni malo periculoq́ꝫ ſemper cuſtodiat, filioli mei. P. Spero equidem hanc noctem euenturam nobis ex ſententia.

ANNOTATIONES.

PÆDAGOGVS) *De Pædagogo deligendo Plutarch. de educand. lib. Quintil. lib. 1. cap. 1. Mapheus lib. 2. cap. 4.* DORMITVM DISCEDAMVS) *Cicero, cubitũ diſcedere, in ſomnio Scip. cubitum ire. 2. de Diuinat. & Cato de re Ruſt. ſomno ſe dare. 1. Tuſcul. quieti ſe tradere, proficiſci ad ſomnum, ad quietem ire. 1. de Diuinat. In eodem lib. Accius poëta vetus.*

Cùm iam quieti corpus nocturno impetu
Dedi, ſopore placans artus languidos.

Plautus, dormitum abire Pſeud. dare operam ſomno, ibidem. Lecto ſe commendare Perſa. Horatius, dormitum ire Sat. 5. lib. 1. & Plaut. Moſtell. Lucretius, corpus feſſum mandare quieti, lib. 4. Ouid. dare corpora ſomno. 2. & 4 Faſt. CVR RETICEBAS?) *Donatus in Eunuch. ibi, Virgo conſciſſa veſte lacrumans obticet. Tacemus conſilia, reticemus dolores, obticemus quorum nos pudet.* RELIGIO IN TE INCESSIT) *ſic Terent. Andr. Nomen hoc creberrimè capitur pro eo, quod aliâs ſcrupulus, & quod vulgus dicit, conſcientiæ ſcrupulus: pro metu ſcilicet peccati in re quapiam aut admiſſi, aut admittendi. Ex quo illa tam multa & varia loquendi genera apud Ciceronem, Liuium, Cæſarem aliosq; manarunt. Religionem deponere, ſuſcipere. Hæc res mihi in religionem venit. Hæret in Repub. religio. Religionem offerre, afferre, iniicere alicui, pro, facere alicui ſcrupulum. Item adhibere religionem, in religionem vertere, trahere. Implicare ſe religione, aut implicari religioni-*

bus, obſtringi, obligari. Impediri, tangi religione, habere religioni. Hæc, & ſi quæ ſunt ſimilia, planum eſt quid valeant. Legimus etiam, religio eſt, pro, nefas eſt, non licet: & cum dandi caſu, religio mihi eſt hoc affirmare. Barbari; ego haberem magnum ſcrupulum, ego facerem mihi cōſcientiam de hoc. Iam illa quoq; optimorum auctorum ſunt; ſoluere, exſoluere, liberare aliquem religione, eximere, eripere alicui religionem. Latinum eſt & ſcrupulus; ſed loquendi rationes obſeruandæ ſunt. Terent. Adelph. Inieci ſcrupulum. Cic. pro Sex. Roſcio. Hunc ſibi ex animo ſcrupulum, qui ſe dies noctesq; ſtimulat ac pungit, vt euellatis poſtulat. PACE MEA) *Pace tua, pace veſtra, bona venia, bona cum venia tua, veſtra, modi ſunt loquendi ad captandam audientium beneuolentiam vitandamq; eorum quæ proferenda ſunt offenſionem. Cic. pro Sex. Roſ. Vos oro atq; obſecro Iudices, vt attentè, bonaq; cum venia verba mea audiatis. Et 1. de Nat. Deor. Doleo te (bona venia me audies) in tam leues, ne dicam ineptas ſententias incidiſſe. Ibid. ex Q. Catulo.*

Pace mihi liceat cæleſtes dicere veſtra,
Mortalis viſus pulchrior eſſe Deo.

De Orat. 1. Vix vllam oratoribus cæteris (pace horum dixerim) laudem reliquiſti. Et 5. Tuſcul. At Platoni meo videtur; cuius ego iudicium (pace tua dixerim) longè antepono tuo. Liuius. Cum bona venia quæſo audiatis P. C. id quod eloquar. SIMVL OCTAVAM AVDIERIS) *Sic Cic. Academ. 2. Itaq; ſimul experrecti*

ſumus,

ſumus, viſa illa contemnimus. Ibid. ſimul tibicen inflauit. Ad Att. ſimul aliquid audiero, ſcribam ad te. Horat. Sat. 1. lib. 1. Quæ ſimul inuerſum contriſtat aquarius annum. Et Ode. 4. lib. 1.

Et domus exilis Plutonia, quo ſimul mearis,
Nec regna vini ſortiere talis.

Catull. de nupt. Pelei & Thetid. Quæ ſimul optatæ finito tempore luces Aduenere. His locis & aliis inſuper apud Terent. Lucret. Virgil. particula ſimul, eandem vim habet prorſus, quam habent ſimul ac, ſimul vt, ſimul atque. Sed ignorantia quorundã ſæpius illud in hæc mutauit, quod Manut. conqueritur in epiſt. 18. lib. 6. AVREM VELLAS) Quoniam aures dicatæ ſunt Memoriæ (cæca enim antiquorum ſuperſtitio ſingulis partibus humani corporis deos ſingulos præficiebat, quemadmodum cap. 12. lib. 4. demonſtrat Iunius) aurem vellere, eſt admonere. Virgil. eclog. 6. Cum canerem Reges & prælia, Cinthius aurem Vellit, & admonuit. Vide Seruium ibid. Seneca lib. 2. de benef. Loquar mecum, & mihi aurem peruellam. Hoc eſt, ego ipſemet mihi ſiam admonitor, ne ſimiliter peccem. Sumptum à priſco ritu, quem explicant Parœmiographus, Rhodigin. lib. 3. cap. 29. & Lamb. in Sat. 9. lib. 1. apud Flaccũ. DICENDA EST SALVS) Abeuntes quoq; dicuntur ſalutare, cum valedicunt, ſalutémue precantur. Ex quo illud tritum: inſalutato aliquo diſcedere. Aeneid. 9. Euryalus commendans Aſcanio matrem ſuam;

Hanc ego nunc ignaram huius quodcunq; pericli,

Inq́; ſalutatam linquo (nox & tua teſtis
Dextera) quod nequeam lacrymas perferre parentis.

Et longùm valere (μακρὰν χαίρειν, & πολλὰ χαίρειν) idem eſt quod longùm ſaluere. Cicero item ſalue cum vale coniungit in epiſt. vt Virgil. & Catullus. Potius tamen hæc forma locutionis in rebus triſtibus, quàm lætis vſurpatur; ſalue, inquam, & vale coniunctim.

PROGYMNASMA SECVNDVM.

Seſe veſtibus exuentes, preces ante ſomnum.

PAEDOTRIBA, IVSTVS, FVLGENTIVS, DEMETRIVS.

PÆDOTRIBA. Quorſum vos cunctamini? detracto amictu vſque ad ſubuculam, ſuo ſe lecto quiſq; commendet. Auferte moras, ego actutum huc reuertar. Quod niſi cubantes inuenero, poſtea virgarum vicibus exarati cubabitis. Prænũciaui cladem; prohibete à vobis vim meã. I. Neſcio quomodo nodus geminus, & arctiſsimus in iſta ligula coriacea mihi extitit: quæſo adiuta me Fulgenti. F. Quàm multis aſtrigmentis, & quàm ſcitè hic ſubligar thoraci alligauit? D. Sic oportet. aſt ego, aſpicite vt laborem in abſtrahendis caligis. I. Quare? D. Quia ex deambulatione curſuq; hodierno pedes & crura affatim ſudore imma-

immaduerunt. I. Adiuuabo te. F. Mihi verò quis ſubibit auxilio? I. In quo tandem? F. Vellem ſanè alter veſtrûm purgaret calceos meos; oppidò lutulenti ſunt. I. Tute, vt reor, ad iſtam rem non malè aptus es,& ſufficis. Mihi quoque præter me nullus eſt ſeruus. F. Háncne gratiam refers? phui, vt olidi ſunt calcei tui lintei? I. Mirum ni balſamum ſpirent,aut paſtillos, aut ſtacten atq; caſiam oleant: geſtaui duabus hebdomadibus. F. Certè quidem pro iſtis allium,hircum, ſuem olent. Dares lauandos. I. Darem vtique, ſi alios retuliſſet mulier quæ lauat. D. Oh, quid tu Fulgenti hoc tempore & loco de diploide tua puluerem excutis? oculos,aures,nares,faciem mihi comples. Fac modum. An nondum etiam? quin parcis, inquã, mihi παρέχειν πράγματα? F. Vbi ergo, & quando excuterem? D. Foris. F. Non auſim foras ire ſine thorace. D. Ad feneſtrã procederes ſaltem. F. Nec ibi honeſtum eſt in induſio conſpici à prætereuntibus. D. Par reponam,quod te mordeat. Quorſum tot fibulæ? ad ornatum ſcilicet ſuperuacaneum, atque ad diſsipandas & diſperdendas pecunias. F. Tua quid intereſt? I. Commutemus Demetri cingulos. Eia annuito. D. Támne blanditur oculis tuis meum? I. Et quidem multò ante hunc diem. D. Quid diceret Præceptor? I. Nihil prorſus,ne vereare. D. Qui periculum amat,etiam in re leui, næ ille haud mecum ſentit. Verùm ego periſcelides, ſeu faſcias crurales tuas validius optauerim,quàm tu iſtanc zonam meam. I. Poſterius hoc dicis quam credidi. At tu Fulgenti,in arca tam alta,tam longa, tam lata quid habes? F.

Quid hoc autem ad te attinet? libros nonnullos philoſophicos. D. Hui, philoſophicos? F. Ita, philoſophicos, quibus me vſurum ſpero, poſtquam æui florem contigero: aliquot induſia, femoralia bina, tibialium paria duo, interulam elegãti opere contextam, pileum ſericum, & quatuor tenuiſſima tela, perq́ angulos acupicta ſudariola. Adhæc totidem collaria rugata linea, quibus nouo inuento collum circũdare mos increbuit. I. Malo ego collaria induſiis continentia, plana, ſuper oram veſtis aliquantum proiecta, qualia ſacerdotes literatiq́ viri geſtant. D. Quàm commodum & decẽs conopeum hoc, quo muſcas & culices arceo? I. Beatus ter & amplius, ſi quid etiam ad arcendos pulices. D. Obſecro, tu mihi armorũ tuorum tegumentorumq́ pauxillulum commoda, quibus te aduerſus illorum inſultus morſusq́ communire ſoles atq́ defendere. F. Væ miſero. Vt ſe iſti impudentiſsimi ſceleratiſsimiq́ ſcarificatores meo ſanguine hac nocte ingurgitabunt? integros alo exercitus, & ſum ſtigmaticus toto corpore. D. En præterea lecticam ſpacioſam, per quam me volutare poſſum vt libet. En culcitam plumeam, non vti veſtræ, lana inculcatam: puluinar longum, ceruical molliſsimum, toralia candidiſsima, ſtragulam veſtem ſplendidam, ac principe dignam. I. Ideóne arctius dormis quàm nos? qui æſtate, vt nunc, gauſapinis tegimur ſatis: cortinas ſericas, tuasq́ exoticas delicias nihili pendimus. Atat, Præceptor redit: ſileamus, & in lectum perniciter. P. Comprimite linguas. Siccíne hoc fieri? An iſtuc eſt colere veſpertinum ſilentium?

Cras

Cras pro his meritis condigno vos afficiã precio. Cur non occluſiſti valuas Iuſte? I. Oblitus ſum. P. Solennem precationem edidiſtis? immò eam quoque, vt ſuſpicor, obliti eſtis. Vide quàm parum religioſi ſunt iſti adoleſcentes; ſic ſomnum carpſiſſent, Deiq́; ſuiq́; meiq; funditus immemores. Nonne hæc tua hebdomas eſt Demetri? D. Equidem eſt. P. Ergo age, dum veſtimenta pono ad cubandum, interea loci piè pronuncia ſolitas preces, & ſinguli iunctas manus cœlo attollite. D. *Omnipotens pater, exuberantiſſime fons bonorum, qui nocturnam requiem ſoporemq́; delinimentum ad ſalutem corporum hominibus tribuere dignatus es, tibi gratias agimus, cum nos hoc die clementia tua ab omni caſu aduerſo tutos præſtitiſti: iterumq́; rogamus, vt peccatoribus nobis per tormenta & mortem* IESV *Chriſti Filij tui, quidquid hodie cogitatione, verbis & actione deliquimus, benignè ignoſcas. Tuere nos iſta nocte à quocunq́; corporis & animæ periculo. Eſto excubitor noſter, tu, qui nunquam dormitabis neq́; dormies: vt ſani ac læti expergeſiamus, & cum gratiarum actione die craſtino, atq; in omni reliqua vita noſtra imperiis atq; præceptis tuis ſeruitutem hilarem totis viribus ſeruiamus. O Maria virgo, benedicta inuentrix gratiæ, mater ſalutis, illos tuos miſericordes oculos ad nos conuerte, tuisq́; precibus commiſſorum veniam, iuſtitiamq́; veram nobis impetra: vt cum ſupremus maximeq́; formidandus ille dies aduenerit, digni habeamur, qui poſſimus ſtare ante iudicem viuorum ac mortuorum, Dominum noſtrum*

Ieſum Chriſtum benedictum fructum ventris tui: cui cum Patre & Spiritu ſancto honor, virtus & fortitudo in omnium ſæculorum æternitates. Amen.

ANNOTATIONES.

PAEDOTRIBA) *Inter gymnaſiorum exercitationúmue miniſtros, quæ olim valetudinis cauſſa ſuſcipiebantur, & de quibus varia eruditione refertiſſimos libros compoſuit* Hieronymus Mercurialis, *erat etiam pædotriba. Quem cum gymnaſte contendens Galenus, militi & coco; hunc autem medico & Imperatori ſimilem ait. Vt enim miles nihil eorum nouit, quæ ad bellicam ſcientiam pertinent, nec cocus eorum quidquam, quæ ad medicinã, ſed ille tantùm Imperatoris, hic medici mandata curat: ſic pædotriba exercitationum corporis omnium vim facultatemq́; ignorans, gymnaſtæ duntaxat præcepta agitabat. Ob experientiam quandam non eum quidem vſus, differentiæ, modi exercitationum fugiebant; nihilominus ob ignorantiam à ſcopo crebrius aberrabat. Plura Mercurial. lib. 1. cap. 12. lege inſuper Rhodigin. lib. 21. cap. 3. Quando igitur vox à terendis, id eſt, exercendis pueris in palæſtra, & motibus illis gymnaſticis ducta eſt, nihil vetabit, opinor, eam ad alia multa transferre; inprimisq́; ad exercitationes & inſtitutiones animi; id quod ad litterarum laudem, morum commoditatem honeſtatemq́; pertinet: & vocare nos pædotribam, quem aliâs pædagogum, didaſcalum, cuſtodem, præceptorem dicimus.* QVOD NISI CVBANTES) *Pleonaſ-*

Pleonaſmus,pro,niſi: ſicut, Quod vtinam,pro, vtinam: ſeu pro, ſed niſi, ſed vtinam. Cæſar, lib.1. de bello Gall. Quod niſi decedat ex his regionibus, aut exercitum dedat, ſeſe illum non pro amico, ſed pro hoſte habiturum. Salluſt. Coniur. Quod ni Catilina maturaſſet pro curia ſignum ſociis dare.Cic.ad Att.epiſt.43.lib.13. Quod niſi me Torquati cauſſa teneret, ſatis erat dierum vt Puteolos excurrere poſſem. Ouid.lib.1. Triſt.eleg.3. Quod niſi mutatas emiſerit Aeolus auras.Terent. Phorm. Quod ni feciſſem incogitans.Virgil.eclog.9.

Quod niſi me quacunq; nouas incidere lites
Antè ſiniſtra caua monuiſſet ab ilice cornix.

Cic.ep.4.lib.15. Quod vtinam minus vitæ cupidus fuiſſem. OPPIDO LVTVLENTI) Oppidò eſt valde, ortum ex ſermone ruſticorum. Feſt.Nonius. Plaut. Amphit. oppidò perij. CALCEI LINTEI) Socci linei. Libri lintei apud Liuium lib.4. Qui vdones appellant, falluntur. Nam vdo pallium aut veſtimentum eſt, aduerſus imbrium iniuriam excogitatum.Turneb.calceamenta eſſe vult,ex hircinis pilis texta.Profert illud Martial.lib.14. Non hos lana dedit,ſed olentis barba mariti. Vide cap.13.lib.1. PASTILLOS) Paſtillus,inquit Feſtus,forma panis parui vtique,diminutiuum eſt à pane. Alij à paſta deriuatum credunt. Globulus eſt,& quodammodo panis rotundus, ſeu maſſula ex odoriferis rebus coagmẽtata & compoſita. Vti conſueuerunt paſtillis mulieres, & viri mulierum ſimiles: effœminati ſcilicet ac molles. Græci nominant τροχίσκους, rotulas. Horat.

Sat.2.

Sat.2.lib.1. Paſtillos Ruſillus olet, Gorgonius hircũ. ſunt prӕterea paſtilli, quibus vtuntur medici. Celſus lib.5. cap.17. DE DIPLOIDE TVA) *Grӕcum vocabulum, ab eo, quod ſit duplex amictus. Eſt autem veſtis militaris. Vide Iſid. lib.19. cap.24. Nos cum Viue pro thorace duplicato, ſiue ſuffulto vſurpauimus. Diplois,* ein gefüttert oder doppelt Wammes. MOS INCREBVIT) *Quӕſitum increbeſcóne, an increbreſco dicendum, & increbuit, an increbruit. Manut. mauult increbeſco, cuius diſputat. vide in ep.20. lib.7.* DECENS CONOPEVM) κωνωπεῖον *rete, velum in tentorij ſimilitudinem confectum, papilio lineus, laneus, bombycinus ad muſcas & culices arcendos lectulo circundatus; quo magis Alexandrini vtantur, quia ibi è Nilo culices copioſè naſcuntur. Sic Iſid. lib.19. cap.5. Horat. Epod. Ode 9. & Propert. eleg.10. lib.3. vltimӕ proximam ſyllabam contraxerunt, vt alioqui facere mos eſt poëtis in voce platea, & quibuſdam aliis, quӕ Grӕcis per* ει *ſcribuntur.* BEATVS TER ET AMPLIVS) *Horat. Ode.13. lib.1. Fœlices ter & amplius, Quos irrupta tenet copula. Virgil. 1. Aeneid.*

ô terque quaterque beati
Queis ante ora patrum Troiӕ ſub mœnibus altis
Contigit oppetere.

Tibull. lib. 3. O mihi fœlicem terque quaterque diem. Homerus τρὶς μάκαρες. CVLCITAM PLVMEAM) *Martial. lib.5. Nulla tegit fractos nec inanis culcita lectos. Quid ſit culcita ſtramentitia, lanea, tomentitia, plumea,*

plumea, conſule Nomenclat. Iunij. Nonius ad hoc verbum recitat illa Cic. ex Tuſcul.3. Eripiamus huic ægritudinem. Quomodo? collocemus in culcita plumea: pſaltriam adducamus, &c. Culcita legit, & ita veteres libri, non, culcitra. TORALIA CANDIDISSIMA) *Cum videremus à quibuſdam doctis vocari toralia, quæ vulgus linteamina, voce haud latina, quaſi à thoro velando & operiendo, eos imitari viſum eſt. Propriè tamen inuolucrum thori erat, id eſt congeſtæ plumæ vel herbæ, vel arundinis operimentum, quod elegantiore rurſus ſtragulo obducebatur, conuiuij cauſſa, aut feriarum. Plura Turneb. lib.1. cap.24. Pro linteaminibus dicemus item lintea lecticaria, & ſindones lecticarias; ſed hoc poſterius Principum eſto.* STRAGVLAM VESTEM) *Stragulæ veſtes, quæ iniiciendi inſternendiq́ꝫ, non induendi cauſſa comparatæ ſunt; vt aulæa, periſtromata, quibus ornatus gratia lecti, menſæ, humus, parietes operiuntur. De ſtragulo Iſid. lib.19. cap.26. Cicero Tuſcul.5. Collocari iuſſit hominem in aureo lecto, ſtrato pulcherrimè textili ſtragulo, magnificis operibus picto.*

PROGYMNASMA TERTIVM.

E ſomno ſuſcitati, precatio matutina.

CALIX-

CALIXTVS, ADOLPHVS, HENRICVS, SYMPERTVS.

CALIXTVS. Benedicat nos hodie Deus Pater à quo cōditi,& Filius, cuius dira morte à ſempiterna morte vindicati,& Spiritus ſanctus, per quem abluti & ſanctificati ſumus. Iam lucis orto ſydere, &c. Surgite contubernales, ſurgite. Adolphe, Henrice, Symperte. Ecquid audiſtis? expergiſcimini. Tacent. Cernite, vt valuis recluſis clariſsima ſe lux infundit. Surrecturíne eſtis, an non? A. Quid tu (malùm) nobis iſta horribili vociferatione ſomnū abrumpis? quid gannis? quid vis? atra bilis te agitat? C. Surgendum eſt tibi, deſerendus nidulus. Heus heus ſurge. A. Ceſſa ſis hoc clamoris edere. Enimuero profectò non poſſum. C. Profectò potes. A. Conniui potius hac nocte quàm dormiui, eamq́; plenam timoribus & miſeriis habui: plumbeum gero caput. C. Et cuiuſnam erant illi ronchi? A. Nullos ſenſi ronchos, abſiſte hinc. C. non igitur verum loqueris, te conniuiſſe: ſomno approbè irrigatus, ſummerſusq́; iacuiſti, ſi ronchos, & quidem tantos minimè ſenſiſti; ego ſenſi. Surge, non piger, ſed ipſamet pigritia. A. Ah Calixte nimis hoc quidem inhumaniter, & valde importunè; ſine pauxillùm: ſic tibi obtingant, quæcunque exoptas bona. C. Littori loqueris. Hērice corripe è ſtrato corpus. H. Quota eſt hora? C. Quinta. H. Erratis vterque, tu & horologium. Adhuc nox atra caua circumuolat vmbra. C. ſcilicet in oculis tuis. Faxo mox adducatur faber, qui forcipibus illos tibi aperiat. Excute noctem dormitator. Quin ſurgis? H. Obtundis,

dis, iamprimùm verſaui me in alterum latus. C. O Chriſte, etiam hic ſtertere vult in meridiem.In eodem ludo videntur docti ad ſomnolentiam. Sed eſt vocis ſat.Symperte ſurge. S.Dictum ac factum,ſurgo. C. Te laudo, haud ſomniculoſus es. Vos niſi è veſtigio ſurrexeritis,renuntiabo magiſtro, vt vapuletis ꝓ ientaculo. A. Quod tibi Deus Opt.Max. pro tuo prandio largiatur. Faceſſant minæ. C.Vt oſcitant?vt brachia tanquam in cruce ſuffigendi diſtorquent? vt capita ſcalpunt? vt oculos fricant? quaſi veſpertiliones lucem indignantur. H. Nonne hic dies eſt feſtus? S. Cur tu iſtuc quæris? H. Quia de more ad ſextam liceret ſomno recreari. S. Negotioſus, ſeu profeſtus eſt, non feſtus. Sed conticeſcite, dum ſolitam precationem expedio: attendite, animosq́ veſtros vnà mecum ad Deum transferte. A. Hoc agimus. S. *Æterne mundi opifex, tibi gratias, quãtas noſtræ mentes capiunt, cum nos hac tranſacta nocte viuos, incolumes, & omnis maculæ puros atque integros tua miſericordia conſeruaſti. Oramus te per bonitatem tuam, cum iſta luce, cuius primordium videmus, veræ Catholicæq́ fidei lucem, emendationem vitæ noſtræ, ſecuritatẽ mentis, & diuinæ conſolationis tuæ lætitiam nobis hodie, & quoad vixerimus concedas. Tibi corpora, tibi animas noſtras, introitum & exitum, vitam atque obitum, omnia denique noſtra commendamus ac tradimus. Miſerere noſtri Domine, miſerere noſtri. S.Maria, in tuam cuſtodiam & clientelam nos recipe. Ora pro nobis peccatoribus. Amen.*

ANNO-

ANNOTATIONES.

SVRGITE CONTVBERNALES) *Vox eſt caſtrenſis ſeu militaris, à tabernis quæ ex tabulis fiebant. hinc tabernaculorum nomen, à tabulis inquam: tametſi ex tentoriis quoque pellibusq́; conſtarent. Significat autem ſocium ſiue commilitonem, qui in eodem tabernaculo habitat. Ad alia accommodari ſolet, & capi pro familiari atque domeſtico. Contubernium eſt ipſa contubernaliũ habitatio, qua ſimiliter generatim conuictus & ſodalitas exprimitur. Spartianus & alij, quod obſeruauit Steuechius, commanipulares & commanipulones, & commanipulationem vocant, quos Vegetius cæteriq́; contubernales, & contubernium.* QVID TV (MALVM) *particula indignantis, increpantis, interrogationi interiecta: tanquam ſcilicet aduerbium, aut interiectio. Cic. 1. Philipp. Quænam (malùm) eſt iſta voluntaria ſeruitus? Et 2. Off. Quæ te (malùm) inquit, ratio in iſtam ſpem induxit? Sic apud Maronem ponitur, infandùm. Georg. 1.*

pecudesq́; locutæ
(Infandùm) ſiſtunt amnes, terræq́; dehiſcunt.

Et 1. Æneid.

Nos tua progenies, cæli quibus annuis arcem,
Nauibus (infandùm) amiſſis, vnius ob iram
Prodimur, atq́; Italis longè diſiungimur oris.

Sic apud Catullum, nefas.

Troia (nefas) commune ſepulcrum Europæ Aſiæq́;.
Troia virûm & virtutum omnium acerba cinis.

QVID GANNIS?) *Gannire vulpecularum eſt, vt*

boare

boare boum, rugire leonum, hinnire equorum, ſibilare ſerpentum, coaxare ranarum, rudere aſinorum, balare ouium, gracillare gallinarum, crocitare coruorum, pipire paſſerum, cucurrire gallorum. Fertur poëmatium de vocibus animalium, quod Ouidij libris adiungebatur olim. ATRA BILIS AGITAT) *Plaut. Capt. Atra bilis agitat hominē. Græcis eſt* μελαγχολία, *quæ cum redundauerit, furorem creat & inſaniam. Itaque furor ipſe etiam* μελαγχολία *dicitur, &* μελαγχολᾶν, *furere, inſanire.* SIC TIBI) *Vt facilius conſequamur, quod petimus ab alio, ea precamur illi, quorum ſcimus ipſum amantem & cupidum eſſe, adiuncta particula, ſic.* Hoc autem poëtæ tam Latini, quam Græci potiſſimùm faciunt. *Virgil. eclog. 9.*

Sic tua Cyrnæas fugiant examina taxos,
Sic cytiſo paſtæ diſtentent vbera vaccæ.

Tibull. eleg. 6. lib. 2.

Annue, ſic tibi ſint intonſi Phœbe capilli,
Sic tua perpetuò ſit tibi caſta ſoror.

Horat. Ode 3. lib. 1.

Sic te Diua potens Cypri,
Sic fratres Helenæ lucida ſidera,
Ventorumq; regat pater.

Vide Lamb. interpret. DICTVM AC FACTVM) *Apud* Terent. And. *prouerbium eſt, celeritatem declarans. Dictum ac factum, inuenerit aliquam occaſionem, quamobrem illam eiiciat oppido. Rurſum* Heaut. *dictum ac factum, huc abiit* Clitipho. QVOD TIBI DEVS OPT. MAX.) Cic. 2. *de nat. Deor. ſed ipſe* Iupiter, *id*

eſt iuuans pater, quem conuerſis caſibus appellamus à iuuando Iouem, à poëtis pater diuûmq́; hominumq́; dicitur, à maioribus noſtris Opt. Max. Et quidem ante optimus, id eſt, beneficentiſsimus, quam maximus: quia maius eſt, certéque gratius prodeſſe omnibus, quam opes magnas habere. Tamen de fundo & agro etiam dictum oſtendit Cardinalis. HOC AGIMVS) *Hoc agere Plauto, Terent. Horat. & aliis eſt animum attentum præbere in re aut ſermone aliquo, tota mente in negotium aliquod curamq́; incumbere, omne ſtudium, & cogitationem omnem in re aliqua collocare, neq; aliud, ſiue alias res agere. Hæc pluribus Lamb. apud Horat. in ep. 2. lib. 1.*

PROGYMNASMA QVARTVM.

Veſtientes ſe, & reliqua peragentes.

IIDEM.

CALIXTVS. Adolphe. A. Hem, quid eſt? C. Veni huc ſis. A. quid hic homo vult? C. quid ais? A. qua de re? C. Cur piget te magis attrahere ſurſum caligas, thoraciq; aſtrigmẽtis iſtis, quæ plurima dependent ſubligare: vt pulchrè, ſine plicis atq; rugis adhæreant pedibus vndiq;, vti meas vides adhærere? Nam hoc negligere, quid

eſt

eſt aliud, quam ſegnẽ & deſidioſum velle argui? A. Nouimus te φιλόκαλον, & mundiorem ipſa munditia. Porro meas ille indoctus ſartor nimiũ laxas, nimiùm longas fecit, nihil attrahendo proficio. S. Túne fregiſti hanc matulam Henrice? H. Apage cum iſtac inſimulatione, nuces iuglandes, caſtaneas, amygdalas fregi multas, hoc ſcio. A. Quis autem pectinem meum ſublegit? C. Ne clama, hem illum tibi. Ego ante vſus ſum, quàm tu experrectus es, quia meum neſcio vbi depoſuerim. S. in riſco videbam heri. C. viſam. Rem elocutus es, hîc eſt. Pecte igitur caput Adolphe. Primùm, vti ſuadent medici, radiis rarioribus, tum denſioribus, & à brechmate in occiput, rurſumq́ ab occipite in ſinciput ducito: ſic enim pori aperiuntur, & exhalationibus caput leuatur. A. Obtempero, ac vellem hanc me citius medicinam docuiſſes. Da inductorium, calcei ſunt anguſti & breues. S. Vt ſtridet ſponda mea? vt item crepidæ meæ, & hoc quod calco catapetaſma ſcirpeum? C. Fulmenta lecticæ tuæ, Adolphe, quã carioſa ſunt? A. non minus tua, ſi aſpicias. Et, ſi ſcruteris, forſitan muſculos aliquot inuenies, quos tibi culcita tua ſtramentitia progenuerit. C. Sentirem, ſi quid eſſet vernularum iſtorum domi meæ procreatum. H. Globulos thoraci aſſutos vnumquemq́ ocello ſuo fac indas, Adolphe; ne, vt ventrioſi & abdomina, eo infra aperto, ſub interiore tunica ventriculum tuum ſpectãdum ingeras. A. Euge, calceolos tuos niditiſsimos vinculis ſuis obliga, ne laxi in pede hæreant. C. Hic tapes de pariete cadet, tot paſsim abiunctis annu-
 lis,

lìs,quibus ad vncinulos ſuſpendebatur.Sympertе,prouidebis vt commodius pendeat. S.Prouidebo.Quò pedem Adolphe? A.Etiam tu interrogas? deorſum ad abluendam frigida & faciem, & manus. Cæterùm guttus, & pollubrum, vt ſcitis, immunda ſunt.Demus ancillę teruncios aliquot, vt permundet: interim ad ſalientem lauemus in atrio. C.Continuò te ſequemur.Tolle tecum lintea,quibus nos extergimus poſtquam lauimus. S. Tu Henrice, vt aſperſus es atramento? vt digitos habes ſordidatos?calida opus ſit tibi,non frigida, & pondo ſmigmatis. H. Eò diligentius lauabo. S. Frica item cilia, & palpebras, ſunt ibi ſordes: nec minus auriculas,&gargariza bis ter,quod ad fauces collumq; purgandum valet. H. Doctum ne doceas. C. Eamus, ego obſerabo cubiculum. S. Clauim autem in porta relinque vt nuper; vnde cleptarum irrepens quiſpiam, cum attulerit ſteriles manus, grauidas exportet foras, iterumq; mihi ſcabellum auferat, & puluillos deinde: ac niſi grauis ſit nimiùm, grabatum cum ipſo lecto & toralibus. C. nullus eſt hoc meticuloſus æquè. S. Si ſpondes te damnum præſtaturum,non metuam. C.SpondeatHenricus,mihi non eſt otium. H. ain' vero? C. Certè inquam.

ANNOTATIONES.

NVCES IVGLANDES) *Seruius in eclog. 2. Nuces dicuntur omnia corio tecta duriore, vt auellanæ,amygdalæ,iuglandes,caſtaneæ:ſicut è contrario poma omnia molliora.* PECTINEM MEVM SVB-

LEGIT)

LEGIT) *Verbo, ſublegere, vſus eſt Virgil. eclog. 9. pro ſurripere, furto clam ſubducere, auferre. Vel quæ ſublegi tacitus tibi carmina nuper. Seruius ibid. Nam ſublegi eſt furatus ſum: vnde & Sacrilegus dicitur, qui ſacra legit, id eſt furatur.* IN RISCO) *Docet Nonius riſcum eſſe locum anguſtum in parietibus. Seruius paruam feneſtram in pariete, ad res nimirum quaſdam reponendas relictam. Terent. Eunuch. T. Abi tu, ciſtellam Pythia domo effer cum monumentis. P. Vbi ſita eſt? T. in riſco. Odioſa ceſſas?* CATAPETASMA SCIRPEVM) καταπετάννυμι *infra, ſubtus extendo, explico,* περιπετάννυμι *circum extendo. Hinc tapeta viliora, quibus pauimentum tegitur, in ædibus nempe hominum beatorum ac principum, & in templis catapetaſmata: quibus autem in conclauibus atque cubiculis & tricliniis parietes circumcirca conueſtiuntur, ea peripetaſmata & periſtromata, vt item ſuperiora illa cataſtromata à* καταστρέννυμι *ſubtus ſterno, appellantur.* AD SALIENTEM) *Quam plurima adiectiua Græcis & Latinis certis quibuſdam ſubſtantiuis ſubintellectis vſitata ſunt, idq; virili, muliebri, & neutro genere. Huiuſmodi eſt ſaliens, ſubaudimus enim, aqua; vt in illis, frigida, calida, tepida. Ferina, agnina, bubala; ſubauditur, caro. Græci* εἰς πολεμίαν, *in hoſtilem; ſubaudi,* χώραν, *regionem. Eadem eſt ratio cæterorum generum: ſat eſt monuiſſe adoleſcentes.* GRABATVM CVM LECTO, ET TORALIBVS) *græcè eſt* κράβατος, *ſiue* κράββατος, *legiturq; Marci 2. Ioan. 5. & in Actis*

Apoſtolicis. Semper autem his locis pro lecto: in quam ſignificationem & Virgil. Moreto vſus videtur. Membra leuat ſenſim vili demiſſa grabato. Cic. 2. de Diuinat. *à lecto ſeiungit, his verbis. Deos immortales concurſare omnium non modò lectos, verum etiam grabatos, & his obiicere viſa. &c.* Intelligit *lecticam exiguam, in qua veteres meridiari ſolebant, vt quidam Grammatici exponunt,* ein Lotterbettlin. *ſic Catull. de Varo.*

Fractum qui veteris pedem grabati
In collo ſibi collocare poſſet.

Martial. lib. 11.

Et teges, & cimex, & nudi ſponda grabati.

Apud eundem lib. 12. tripes grabatus, & tripes menſa. Omitto aliorum in hanc rem teſtimonia. Dictum volunt παρὰ τὸ κρεμᾶν τὰς βάσεις, *à gradu ſuſpendendo: vt ſit propriè lectus penſilis, in quo qui ſedent aut recumbunt, pedibus terram non contingunt.*

PROGYMNASMA QVINTVM.

Mores in cubiculo, in lecto.

PAEDONOMVS, VICTOR, CYRIACVS, THEODORVS, ALII.

PÆDONOMVS. Quoſdam in angulo collatis capitibus conſuſurrantes intueor. Victor Victor, quid nugarum? V. nihil. P. Hic puer quo-

quotieſcunque interrogatur quid faciat, aut quid fabulatus ſit, hoc ſolum reſpondet, nihil. Si tandem contrà verberibus te obſeuero, aut colaphis caput tuum impleuero, non erit, opinor, cur fleas, quia nihil tibi fecero. C. De tabella loquebamur. P. De qua tabella? C. Quæ introrſus ad cubiculi ianuam appẽſa cernitur, morumq; cubicularium præcepta continet, quæ tu annum abhinc nobis dediſti. Aiebam igitur ea hodie de more legenda publicè, Victor à me diſſentire, quod menſis nondum totus præteriiſſet. T. Immò, vt ſis ſciens Victor, heſternus dies Maium clauſit, & hodie Kalendas Iunias egimus. An ita eſt? A. Ita eſt. P. Cuſtodiatur ergo mos, & ne ante quieti tradantur corpora, quam leges recitentur. Aduertite aures, & in quam quáſue hactenus quiſq; commiſit, in eas ne committat de cætero, magnopere caueat. Quis leget? T. Ego legam, ſi mandas. P. Age hanc ciſtam conſcende, & voce elata, intelligenter, ac diſtinctè.

T. *A cubiculo omnes profanæ, impudicæ, ſtultæ imagines abſunto: earum loco ſacras, pudicas, hominum qui in laude vixerunt, quoſq; in cœlum merita vocauerunt reponunto.* P. Decet animum accipere formas rerum honeſtiſsimas, de quibus tum cogitet, quas ſomniet, & in quibus corpus iucundè obdormiſcat. Quare autem prima, quę naſcente, & vltima, quæ occidente die contuemur, honeſta ac pia nõ ſint? & cur non potius mentem ad virtutis amorem, ad Deum, & cœleſtia erigant, quam ſua deformi, abiecta, & ridicula ſpecie ad res humiles,

ſordidas, turpes, ac leues rapiant? C. Victor ad caput lecticæ ſuæ affixit imaginem Bacchi, coloribus variatam. Inſidet aſello, geſtat vexillum, in quo ſunt farcimina, pocula, placentæ, pulli gallinacei, & vaſculum vinarium. Stipant illum cum ventre collatiuo ſatellites, coronati pampinis (vt ipſemet Liber) botris in orbem dependentibus. P. Hem, quæ hæc eſt fabula? C. Ecce tibi portentum. P. Leuicule puer, quid tibi voluiſti cum hac monſtroſiſsima effigie? Placet hoc tibi? iſtæ ſunt cogitationes tuæ cum ſurgis, cum te lecto credis? hęccine ſomnia? vísne tu comes Bacchi, an Muſarum fieri? Ego te pro iſtis factis vlciſcar probè. V. Quia pulchra & iocoſa eſt, ideo affixi: & dederat mihi frater meus. P. Non inueniſſes alium locum vbi affigeres? V. Hic tutiſsimus videbatur. P. Extemplò refige, & in conſpectu omnium conſcinde. Malam rem non effugies, ſi poſthac quidquam ſimile; nec tu, nec reliqui omnes.

T. *Clamorem & colloquia penitus vitanto: ſi quid dicere neceſſum fuerit, ſummiſſa voce, & paucis tranſigunto; ſilentium ſanctè obſeruanto.*

Seu cum ſurgunt, ſeſeq; amiciunt, ſeu cum ſtratis ſe commiſſuri veſtimenta exuunt, verecundiæ rationem maximam ducunto. Corpus quoad licebit opertū ſemper habento. P. Flagitij principium eſt nudare inter ciues corpora, ſcripſit poëta quidam vetus. Nec mulier modo cum veſte verecūdiam exuit, vt inquit Herodotus, verùm etiam adoleſcens, vt ego affirmare non dubito. T. *Ad vicini lectum ne accedunto, néue per cubicula cœtus celebranto.*

Scopu-

Scopulas veſtiarias, ſeu verricula ſetacea in cubiculo appendunto, illisq́ ad purgandas veſtes crebrius vtuntor.

Feneſtras vbi ſudum erit aperiunto, aërem incluſum & denſatum rareſcere, & puriorem fieri permittunto.

Antequam decumbant, & manè cum ſurgunt, in frontem & pectus ſalutiferam S. Crucis notam exprimunto: precationes præſcriptas adiungunto. P. Facitíſne hæc, pueri? A. Facimus. P. Bene nuncias. Si falſitatis vos comperero, peſsimo loco ſita erit res veſtra: pœnas quam atrociſsimas à vobis repoſcam. T. *Cum ſurrexerint, aluum deiiciunto, lectum componunto, caput pectunto, manus & faciem lauanto, os probè eluunto.*

A qualicunq́ cuiuſcunq́ generis ſorditudine ſeſe liberos præſtanto. P. Apud quemcunq́ inuentus fuerit vnus pediculus, ille Tribunus pedicularis renuntiabitur, & curabit, ne quid alij eiuſmodi morbo laborent.

T. *Lintea lecticaria, induſia, ſtrophiola die præſtituto ad lauandum danto.* P. Hactenus quæ extra lectum ſeruanda ſunt: nunc quæ in ipſo lecto.

T. *Lectum vbi occupauerint, verbum ne edunto.*

Sine intima tunica ſomnum nunquam, nuſquam ineunto.

Ne corpus huc illuc iactanto, néue malè cooperti iacento.

Néue proni, néue ſupini, ſed in latus dexterum cubanto, brachiis ita trāſuerſim compoſitis, vt dextra manus ſiniſtro, læua dextro humero admoueatur, ſimilitudoq́ crucis exprimatur. P. Hic mos admodum pius eſt, & laudabilis, traditus etiam ab iis, qui de formandis adoleſcentum moribus ſcripſerunt.

T. *Si neceſſitate flagitante cum ſodali cubuerint aliquando, quieti ſunto, ſtragula ad ſe ne attrahunto.*

A ronchis abſtinere ſe aſueſcunto. P. Nimirum, quod per ſe patet, vt dormire detur cæteris. Si ſolus fueris, da fræna ronchis. Quanquam ita pacatè, ac ſine ſonitu corpus ſomno reficere, vt id nemo ſentiat, eſt commendatione dignum.

T. *In ſingulos menſes haſce leges recitando iteranto.*

ANNOTATIONES.

AVT COLAPHIS CAPVT TVVM) *Non eſſe idem colaphum, quod alapa, quodq́ Germanis* Maultaſchen / *cum videlicet faciem alicuius explicata manu cædimus, ſed eſſe ictum qui pugno in caput incutitur, teſtimonia Plauti et Terentij confirmant: extra quos neſcio num antiquorum quiſpiam hoc nomine vſus reperiatur. Ergo ille Rud. Verbum adde vnum, iam in cerebro colaphos abſtrudam tuo. Ita validè, inquit, pugnis contundam caput tuum, vt ad cerebrum penetrent, vt oſſa tibi comminuantur. Et Perſa. Dij deaq́ te omnes perdant, Niſi te hodie, ſi prehendero, defigam in terram colaphis. Hic autem Adelph. Præterea colaphis tuber eſt*

eſt totū caput. Colaphi igitur, gûte Püff. IN QVAM QVASVE HACTENVS COMMISIT) *In legem, ſeu contra legem committere, ornatè dictum. Apud Tullium iſta quoq; idem valentia inuenias. Diſcedere à lege, legem conuellere; & maiore quadam emphaſi, perfringere, perrumpere, conculcare legem. Plaut. Pſeud. & Perſa legirupas, & violationem legum in Rud. legirupionem vocat.* OMNES PROFANÆ, IMPVDICÆ, STVLTÆ) *Si vellemus interdum imperare ſenſibus noſtris, & coërcere proteruam illam videndi audiendiq́; cupiditatem, non tam variarum obſcœnarumq́; voluptatum illecebroſæ imagines, tanquam patentibus portis, apertisq́; feneſtris incurrentes pulſarent animos noſtros, quibuſcum deinde magnum certamen nobis, & difficilis ad quietum ſedatumq́; ſtatum reuerſio. Sapientiſsimus numerari debet, qui ſenſus omnes ſub poteſtatem coegit.* INSIDET ASELLO) *Habent picturas ſuas, quibus earum vis et natura declaretur virtutes, habent etiam vitia & peccata ſuas. Sed quo pacto temulentia, & ventris atq; gulæ ſtudium aptius depingantur, quam vt hîc depicta ſunt, equidem non video. Quomodo pictores & Rhetores antiqui imaginem Iuſtitiæ depingerēt, Gellius lib.14.cap.4.* CVM VENTRE COLLATIVO) *Plaut. Curcul. Quis hic eſt homo cū collatiuo ventre, atq; oculis herbeis? Feſtus interpretatur ventrem magnum & turgidum, ita vocatum à Plauto, quod in eum omnia edulia congerantur. Notari poteſt hoc eodem prouerbio homo prodigus, vorax, omnia abliguriens*

guriens & inſatiabilis. PLACET HOC TIBI?) *Cum in manifeſtiſsima culpa aliquem deprehenderant, & qui factum ſuum tueri poſſe nulla ratione videretur, ſic eum interrogabant: placet hoc tibi? Thais Chæream leuiter obiurgans; ſatin' hoc tibi placet? Vide Muret. cap.8.lib.15.* VT INQVIT HERODOTVS) *lib.1. in perſona Gygis malum facinus recuſantis. Cæterùm Plutarch. in præcept. coniugal. hoc dictum non probat.* COETVS CELEBRANTO) *Peculiare verbum auctoribus de ſeditioſa coitione. Liuius. Cœtus nocturni plebis ſuſpecti patribus. Sueton. in Iulio, cap.16. Senatus ob eundem cœtum feſtinatò coactus. Et 24. Ac ne qui noui cœtus recenſionis cauſſa moueri poſſent. Seneca declamat.3. Qui cœtum fecerit, capitale ſit. Hæc Torrent. in Sueton.* SALVTIFERAM S. CRVCIS NOTAM) *Muret. hymno in S. Crucem:*

Crux hoſtes hominum ſola procul fugat.
Crux ſola inſidiis munit ab omnibus.
Aduerſa intrepidus deſpiciat licet,
Cuius ſpes cruce nititur.

Cacodæmonem quidem hoc ſignum peſsimè odiſſe & auerſari indicat illud vulgare Germanorum, quo ſignificant aliquem à re quapiam mirificè alienũ. Er ſtuicht die Kirch wie der Teufel das Creutz. ALVVM DEIICIVNTO) *Dictu eſt incredibile, quanta verborum locutionumq́ paupertate laborent, qui ſe latinitatis alumnos profitentur, cum in aliis nimium multis, tum hac in re naturali ſane, & omnium communi cum opus eſt, quod ſæpius eſt, exprimenda. Tum nihil audias, præ-*

ter

ter iſta ſordidiſſima; habeo ſedem, non potui habere ſedem, beneficium ventris, &c. Diſcamus igitur à magnis ſcriptoribus & verecundè ſimul, & politè eã rem efferre. Cicero, *naturæ parere.* Salluſt. *Purgare aluum, ire ad requiſita naturæ;* quod paulo lepidius ſuoq; more Plaut. Curcul. *ire quo ſaturi ſolent.* Cornelius Celſus medicorum Cicero, *aluum deiicere:* ſiquidem, vt Seruius ait, *aluus eſt in quam ſordes defluunt.* Verùm qui Celſum legerunt: multa in hoc genere elegantiæ, & pudoris plena obſeruare potuerunt. Eius enim ſunt, (quo exemplis res fiat apertior) *aluus aſtricta, reſoluta, fuſa, citata, nigra, varia, venter liquidus, ſuppreſſus.* Idem ſic loqui conſueuit. *Quem frequenter citata aluus exercet. Quoties aluus conſtiterit. Cui frequens deiectio accidit. Aluus redditur. Venter nihil reddit. Venter per ſe excernit. Deiectionibus laborare. Purgatione aluum ſollicitare. Aluum firmare.* Omitto cætera ne ſim longior. Notandum eſt etiam, quibus formis idem eloquantur probati auctores, cum de beſtiis ſermo eſt. Plin. lib.8. cap.15. de bonaſo, *reddere fimum.* De Ibi eodem libro. *Per eam partem ſe proluens, qua reddi ciborum onera maximè ſalubre eſt.* Arnob. lib.2. aduerſus gentes. *Superfluas fœditates inferioribus egerunt abiiciuntq; poſticis. Et nos cibo ſuſtentamur & potu, & quod natura iam reſpuit, per eoſdem effundimus tramites.*

PROGYM-

PROGYMNASMA SEXTVM.

Salutatio matutina, ientaculum.

PAEDAGOGVS, CALLISTVLVS, & HYACINTHVS pueri, PATER, MATER, COQVA.

PÆDAGOGVS. O Calliſtule, itáne tardus in induendis caligulis tuis? C. Præceptor, dum feſtino, cõuerſa eſt ſutura in latus tibiæ: iamque nec progredi poſſum trahendo, nec regredi; vſque adeo fixè adhæreſcunt. P. Sine, ego à pede detractas, denuo inducam. Induxi, bene habet. Porrige calceolos Hyacinthe. H. Apertóſne, an cum obſtragulo? P. Apertos, cum zonula & fibula. Nunc thoracem ſimplum cape. Tu, Hyacinthe, ligulis aſtringe thoraci caligas fraterculi: fac nodos laxos, non anguſtos. H. Prô, iſtæ ligulæ ſunt exarmatæ propemodum omnes. P. Ementur nouæ, nunc vt potes. Pecte modo capillum Calliſtule, hem tibi pectiné. C. Hoi hei. P. Quid eſt quod ſic clamas? C. Crines nimium ſunt conuoluti & implicati; dolorem mihi facio dum pecto. P. Radiis maioribus vtere. Citò faciem manuſq; abluite. H. Factum. P. Deſcẽdamus in hypocauſtum. Vbi intrauerimus, ſalutabitis parentes & ſorores paruulas, iis verbis & geſtibus, quibus à me edocti eſtis. C. Salue pater optime. H. Tu

Tu quoq; mater amantiſsima ſalueto. C. Salutem vobis precamur ſororculæ noſtræ dulciſsimę. PA. Deus fortunet nobis omnibus hunc diem, mihiq́; , coniugiq́; meæ ſeruaſsit communes liberos. M. Placidóne ſomno defuncti eſtis? H. placido. C. Ego haud quaquam, ô mater: ſæpius enim euigilaui. M. miſeram me, quod verbum audio? euigilaſti? accede ad me propius. Quare euigilaſti? mi Calliſtule. C. Caput dolebam, & etiamnum dolor manet. M. multúſne? C. Aliquantus. M. Vnde hic dolor? de vento? at in cubiculo nulli venti. De frigore? at æſtate noua, vt nunc, frigus vrit neminem. C. Quod ſuſpicor, inde, quia me heri tecum cœna abſtinere voluiſti. M. ô factum malè. heus Euphroſyna. E. Quid me vult domina? M. Ambobus offam coque. Quàm citiſsimè poterit, tam hoc cedere ad factũ cupio. E. è quo? M. è vino. Immiſce crocum, & puluiſculum nucis aromaticæ, quantum iudicabis immiſcendum: turundis vero panis ſimilacei patinam imple, quibus ius feruens ſuperfundes. E. Teneo. Nunquid aliud? M. aliud? etiam. da vtriq; nihilominus collyram ſuam. E. Curabitur. M. At maturè. E. Intelligo. Sed nunquid adhuc imperas? M. Nihil. PAE. Interea tantiſper cum libellis colloquimini, dum ientaculum inferatur. H. Licet.

ANNOTATIONES.

APERTOSNE, AN CVM OBSTRAGVLO?) Die außgeſchnittne/oder die Laſteyen Schue?

Prioris

Prioris formæ vtiles ſunt pedibus ſudantibus, eorumq́ʒ vſus perfrequens olim Germanis. NODOS LAXOS) Maſchen allain/mit keinem Knopff/oder mach jm keinen Knopff. SVNT EXARMATÆ) Sie haben keine Stefft. CAPVT DOLEBAM) *Præcipua, et nobiliſſima, adeoq́ʒ prima humani corporis pars caput eſt. Hinc tam multiplex præterea ei voci ſubiecta vis. Eſt enim cuiuſqʒ rei origo, primaria negotij aut rei cuiuſpiam pars, ac ſumma, exiſtimatio, ſtatus ſiue conditio, diſcrimen vitæ, ſeu ipſa ſalus, cauſa, fons, auctor rei.* O FACTVM MALE) *Contrarium eſt, ô factum bene. De quibus elegantiis diſputatum annotat. quadam volum. primo.* TVRVNDIS VERO) *Propriè turundæ ſunt bucellæ ſiue maſſæ, quibus anſeres, gallinas, aliaq́ʒ altilia farcire & ſaginare mos eſt. Varro in 3. de re Ruſt. Hoc loco pro eo vſurpata eſt locutio, quod Germani,* Brock mit Semlen ein.

CORPO-

CORPORIS HONESTATES.

PROGYMNASMA SEPTIMVM.

Oculorum moderatio.

PATER, FILIVS.

PATER. Quid cauſſæ fili, quod tu iam extabeſcente die veſpertinus domũ repetis? hoc mihi quæſitum velim expedias. F. Paucis dabo quamobrem. Didaſcalus nos vltra tempus conſuetum in gymnaſio retinuit. P. Retinuit? quid ais? F. quod res eſt. P. miratur animus meus. Non incidiſti dum redis in nugiuendum aliquem (celebrantur enim nũdinæ iam) aut in iurgiis ſeſe laceſſentes, aut in aliquid demũ ineptiarum huiuſmodi? Ibi ſi fortè ſubſtitiſſes, vt puerorum natura eſt, & oculis auribusq; morigeratus eſſes. F. Perpetuaui ambulationem è ſchola vſq; in ædes noſtras. P. Quare tandem præter conſuetudinem vos detinuit? F. Præcepta quædam morum ciuilium recentiſsimè tradita à nobis repopoſcit. P. Quæ? F. De oculis regendis, ſiue de aſpectu formando. P. Examinauit te? F. me quidem non, ſed alios. P. Quid ſi, quoniam vacuus

nunc ſum ad audiendum, ego præſtem me hypodidaſculum, ſiue vicarium, ne tu non interrogatus abeas? Eſne ad reſpondendum comparatus? F. Sum. P. Quales condecet eſſe oculos? F. Cum imago animi, & tacitus quidam ſermo ſtatuatur vultus, & indices eiuſdem atq; interpretes ſint oculi, per quos ille rectè affectus, ſedatus ac bene compoſitus, aut motione aliqua turbulenta agitatus apparet, quales in vtramq; partem haberi volumus, tales ipſo aſpectu gerere nos debemus. P. Quonam modo? F. Torua lumina, acriterq; intuentia iracundiam indicant. Eorum eſt etiam toruis oculis aſpicere, quos obtinet atque inceſsit mala ſuſpicio, quiq; inſidias, fraudes, dolos machinantur. P. Si nunc toruo te lumine obirem, putaréſne vehementer ſuccenſere me tibi, eieciſſeq; animum erga te patris? F. haudquaquam. P. Eſt ergò ad tempus quædam toruitas ſimulata. F. quis hoc neget? P. Dic quæ deinceps dicenda. F. Ne ſint immobiles, inconniuentes, affixiq; penitus ei rei in quam intuentur: ne volubiles admodum atq; lubrici: ne nimiùm aperti immoderateq; diducti. Primum illud attonitis, alterum inſanis ac furentibus, tertium ſtolidis relinquẽdum affirmabat. P. Bene hæc illi diſtributa ſunt, & verum, atq; ita vti res eſt, dixit. F. Palpebris ſubinde conniuentes oculi inconſtantem, innuentes, loquaces, ac ludibundi mentem parum pudicam arguunt. Qui alterutro lumine clauſo inſtar luſcorum aſpiciunt, ad ſcopum arcubus iaculantes, & fabros amuſsi, ſeu rubrica trabes dimetientes imitari videntur. P. Pulchra, & viris quoq;, nedũ adole-

adoleſcentulis tradenda morũ inſtituta. F. Monuit inſuper, ne intentis in eorum faciem oculis fixi hęreremus, néue in eoſdem identidem coniiceremus, quibuſcum ſermonem copularemus; potiſsimùm ſi viri graues, & honorati eſſent; inprimiſq; ſi fœminæ, & puellæ ore floridulo nitentes, vt ille ait. Hoc indecorum, impudens, libidinoſum exiſtimari: nec difficilè illud conſequi poſſe quod ait Terent. captus eſt, habet. Proferebat item hoc ex poëta quodã antiquo: Si neſcis, oculi ſunt in amore duces: & aliud ex Propheta. Oculus meus deprædatus eſt animam meam. P. Compertiſsima locutus eſt. Nam ſi Dauid Rex in Vriæ coniugem aſpectu non incidiſſet, non eam concupiſſet: ſi non concupiſſet, non impudicam feciſſet, non eius maritum morti obieciſſet: non inquam duobus ſe nefandis ſceleribus deuinxiſſet. F. Ne etiam ſemiclauſis oculis, niſi neceſsitas aliquãdo exigeret, quippiam aſpiceremus. P. Prudenter. De ſuperciliis nihil? F. immò aliquid. P. Nempe. F. Superciliis nos negare & annuere, his declarari faſtum & arrogantiam. Proinde iactari prouerbium; attollere ſupercilium, cum hoc vitium ſignificatur: contrarium eſſe, ponere ſupercilium. Ne attolleremus igitur; ne in oculos deprimeremus; ne contraheremus; in quas ſeſe conſuetudines vitioſiſsimas ſubnixè ambulãtes ac ſuperbi, improba machinantes ac faſtidioſi, aliena aſpernantes & contemnentes adduxerunt. P. Quoniam idem ille vir latinam linguã vos docet aſsiduò, num aliud diſſeruit, quod ad oculos pertineret? F. Quaſdam

eorum affectiones naturales expoſuit, vnde quidam nuncuparentur luſcioſi, ſeu luſcitioſi, qui propter caligantes oculos aut rem ipſis, aut ipſos rei intuendæ propius admouere cogerētur. Strabones ſeu ſtrabi, qui eſſent oculis diſtortis ſiue detortis. Ocellæ ſiue lucinij, quorum eſſent minuti paruiq́ oculi, ſiue ocelli potius. Pœti, qui venuſtè ac leuiter obliquatos ſeu declinatos haberent. P. Vt tu videlicet. F. Ita pater. Exophthalmi, quibus multum prominerent, qui proinde luminibus facilius caperentur. Cœlophthalmi, quibus multùm recederent, ſeu profundiores & conditi eſſent. Cœſij, quaſi cœlij, quibus cœrulei. Lippi, quibus humorem exſudarent, ſemperq́ plorarent, vt potatoribus. Item oculorum angulos appellari hirquos: eſſe in iis albumen ſiue albuginem, pupillam ſeu pupulam, & alia nonnulla, quæ melius nominare didiciſſent, qui tractarent artem medicam. Pelliculam qua operirentur dici palpebram, ex cuius crepidine pilos enaſcentes nomen habere cilia. Intercilium dici ſpatium inter ſupercilia, vbi naſus inciperet. Conſpicilia ſiue ſpecilla eſſe illa vitra coriaceis, oſſeis, æneis, argenteíſue circulis inſerta, quibus propter hebetatam oculorum aciem ſenecta ætate homines maximè vterentur. Poſtremò ſcriptoribus oculos appellari, noctuinos, herbeos, lynceos, aquilinos. Emiſsitios Plautum vocare, qui huc illuc curioſè vagarētur. Nictare eſſe crebrò conniuere, inde nictus. Ac pleriſq́ vt id facere non ceſſent naturale eſſe, eoſq́ videri pauidiores. P. Ob diligentiam, cuius egregium ſpecimen dediſti in

præſens

præſens(ita mihi ſuperſtes ſis) emam tibi quæ vis. F. Nihil aliud niſi libros volo. P. Da igitur mihi ſcriptum catalogum. F. Dabo cras. P. Atq; audin' etiam? F. Ecce. P. Eos nomina,qui apud Bibliopolam hunc noſtrum inueniri poterunt:nam Pariſios,aut Lugdunum, aut Antuerpiã emptum libros mittere,non eſt voluntas nunc quidem. F. Ne tibi iſtuc ſollicitudini ſit,mi pater.Non tamen exiguè ſumptum præbebis, ſed te mihi largũ dabis. P. largiſsimum.

ANNOTATIONES.

GRAVE & ingens malum cæcitas,de quo vide Rhodigin.lib.3.cap.28. magnum verò & excellens bonum viſus,ſiue oculi. Parua quidem pars in corpore noſtro,ſed omnium partium principatum obtinens,et ſenſus longè chariſsimus. Cum enim naturà trahamur ad cupiditatem ſcientiæ, ideo ſenſus diligimus, quandoquidem per eos veluti miniſtros rerum intelligentias accipimus. Atq; in hoc ipſo munere viſus cæteris præſtat; quem plures rerũ differentias ingerere animis,et ob hanc cauſſam omnibus chariorem eſſe in 1. de Sapientia confirmat Ariſtoteles. Quocirca in magni quoq; amoris ſignificatione oculorum fit mentio: cum teſtamur nos aliquem amare vt oculos noſtros, & oculitus amare, &c. Hebræi ad exprimendum ardentem & omnino ſingularẽ quendam amorem duobus loquendi modis vtuntur. Dicunt quippe, ſe cupere alicui animam ſuam, & oculos ſuos

 tradere.

tradere. Vtrumq; adhibuit Apoſtolus: illum ad Theſſalon.1.cap.2.hunc ad Galat. cap.4. Ac priori quidem locutioni ſimile quiddam Tibullus. Proprios ego tecũ (Sit modo fas) annos contribuiſſe velim. Et Plaut. Quam ſi intelligam vita deficere, iam ipſe vitam meam tibi dilargiar. Germani quoque hoc ipſum ſatis ἐμφατικῶς, Das Hertz mit einem thailen. *Ad verbum. Cor ſuum cum aliquo partiri. Dimidiatum cor ſuum alicui donare. Et quoniam homo eſt paruus quidam mundus, quod in illo magno ſunt ſol & luna, hoc in iſto puſillo oculi: ipſi quoq; in ſublimi fulgentes, & tanquam ſpeculatores quidam conſtituti: quorum, vt medici docent, admirabilis & difficillimos habens explicatus eſt compoſitio atque ſubtilitas. De his multa Plin. lib.11.cap.37. Rhodigin.lib.3.cap.28.& lib.13.cap.19.* TAM VESPERTINVS) *Horat. Epod. Ode 16. Nec veſpertinus circum gemit vrſus ouile. Et Sat. 6. lib.1. Fallacem circum veſpertinuſq; pererro Sæpe forũ. Virgil. Aeneid. 8. Nec minus Aeneas ſe matutinus agebat. Sic Propert. matutinus ſpeculator. Talia apud hos alioſq; poëtas ſunt, nocturnus pro noctu, ſerus pro ſerò; nomina videlicet adiectiua pro aduerbiis, exemplo Græcorum, quod Lamb. in Oden nominatam oſtendit. Loqui autem nos more poëtarum aliquando quid prohibet?* EGO PRÆSTEM ME HYPODIDASCVLVM) *Non erit etiam contemnendum, vt parentes ipſi, cum è ſcholis filij redierunt, pædagogorum perſonam aſſumentes, repeti ab illis ea iubeant, quæ interdiu à magiſtris didicerunt. Quod indoctum*

quen-

quendam patrem ſcio feciſſe, qui tanquam longè omnium, quæ ſe coram recitarentur, gnarus eſſet, reprehendebat ſæpius filium, atq; eo animum illius adducebat, vt ſollicitius doctrinæ percipiendæ inſtaret, ne à patre, quem eruditum exiſtimabat, vlla ex parte reprehendi poſſet. Hæc ſunt Maphei lib. 2. cap. 4. INDICES EIVSDEM ATQVE NVNTII) Plin. lib. 11. cap. 37. Neque vlla ex parte maiora animi indicia cunctis animantibus, ſed homini maximè, id eſt moderationis, clementiæ, miſericordiæ, odij, amoris, triſtitiæ, lætitiæ. Profectò in oculis animus inhabitat. Hos cum oſculamur, animum ipſum videmur attingere. INSTAR LVSCORVM) Errat vulgus, cum luſcum dicit, quem ſtrabum appellare conuenit. Luſcus eſt altero captus oculo. Iſtuc clariſſimè demonſtrat etiam tritiſſima parœmia: Inter cæcos luſcus eſt rex; & illud Plauti Trinum. L. Oculum tibi effodiam, ſi verbum addideris. ST. hercle quin dicam tamen. Nam ſi ſic non licet, luſcus dixero. Et Martial. lib. 5.

> *Oculo Philænis ſemper altero plorat.*
> *Quo fiat iſtud quæritis modo? luſca eſt.*

Plin. lib. 11. cap. 37. Ab iiſdem, inquit, qui altero lumine orbi naſcerentur, coclites vocabantur. Varro lib. 6. de ling. lat. Ab oculo cocles, quaſi ocles dictus, qui vnum haberet oculum. Quocirca in Curcul. eſt: de Coclitum proſapia te eſſe arbitror: nam hi ſunt vnoculi. Hinc Seruius in 8. Aeneid. ſcribit luſcos coclites dixiſſe antiquos: vnde & cyclopas dictos coclites, quod vnum

oculum haberent. SVNT IN AMORE DVCES) *Quantopere ad animum ſauciandum & inflammandum aſpectus valeat. Plutarch. Sympoſ. lib. 5. quæſt. 7. Amoris, qua nulla eſt animi affectio vehementior, principium à viſu naſcitur, ſic, vt amans diffluat, & quaſi liqueſcat, cum in id intuetur quod amat, inq; id velut tranſeat. Et paucis verſibus interiectis. Qui tangunt, qui audiunt, non perinde vulnerantur, afficiuntúrue, vt ij qui fixis oculis ſpectantur, & ſpectant. Lege cætera.* QVASDAM EORVM AFFECTIONES NATVRALES) *Tantummodo hominum oculos diuerſo colore, cæteris animalibus in ſuo cuique genere ſimiles eſſe. Præterea ſoli homini oculos deprauari affirmat Plinius. Ab eorum, ſicuti aliarum quoque corporis partium vitiis quomodo impoſita fuerint Romanis veteribus cognomenta, perſequitur Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 9.* PÆTI QVI VENVSTE) *Eſt hoc quidem vitium, ſed eiuſmodi, quod plerunque laudi daretur, amabile, inquam, vitium. Oculos pætos Veneri, vt Mineruæ flauos tribuunt poëtæ. Rhodigin.* παρὰ τὸ πέτεσθαι *volare, nimirum laſciuos, & ignea quadam mobilitate præceleres, ac veluti volantes interpretatur: quod ante eum fecerat Acro Horat. explanator, in Satyr. 3. lib. 1.*

PROGYMNASMA OCTAVVM.

Frons, nares, caput.

LILIVS, EVTROPIVS.

LILIVS. In mœſtitia te eſſe coniecto, quaſi dies ſi dicta ſit. E. Vnde? amabo. L. Ex fronte, ex oculis, ex toto vultu. Illa rugis conſulcata, iſti deiecti, hic inaurata ſtatua pallidior. Explica, explana, exporrige frõtem, ſuſtolle oculos, & pallorem iſtum cum rugis vltimæ decrepitæq́; ſenectuti reſerua. Hominem ingenio liberali, cuius cor nullius maleficij conſcientia ſollicitat, frons ſerenata, minimeq́; contracta inprimis cohoneſtat: torua autem bobus & tauris relinquenda, quibus propter præcipuam frontis aſperitatem toruorum epitheton ſemper adiungunt poëtæ; vt item agreſtibus & crudelibus. De Polyphemo in 3. cothurnatus ille Maro.

& telo lumen terebramus acuto,
Ingens quod torua ſolum ſub fronte latebat.

Scribit pręterea Feſtus, à taurorum ferocitate toruitatem appellatam. Quamobrem torui tauri, & toruæ frontes, taurorum frontes ſunt. E. Non videmus manticæ quod in tergo eſt. Sic enim comparata eſt hominum natura omnium, aliena melius vt videant, & iudicent quam ſua. Dum tu frontem meam obductam & caperatam reprehendis,

hendis, ego, ſi cares, muccinium tibi dare commodatò meditor, quo nares mucoris & pituitæ plenas emungeres. Vereor quippe, ne id pallio facias, & cubito deinde reſimum naſum tuum, quē toties corrugare, ſeu criſpare ſoles in alios, abſtergas. Aut ſi manu te emunxeris, purulentia illa veſtem calceumq́; incruſtes. L. tuum tibi retine. Hem, auerſus abs te paululùm, tanquam ab inſigni viro, vt conſueui; ſi quando linteolum aut amiſi, aut per obliuionem reliqui, duobus digitis me emungā, ſpuricitiemq́; pede ſtatim proteram. Non adeo ruſticanum hoc dices. E. Tamen digitos aliquo extergere neceſſe habes. Verùm aſpice ſolem, fortè ſternutabis purgabisq́; cerebrum. L. pſi, pſi, pſi. E. Seruet te Deus. L. pſi. E. adhuc? quot peccata? debuiſti te aliquātum in latus cōuertere, ne ita ruſticè mihi veſtem faciemq́; conſpueres. Cur etiam non ſignaſti os à ſternutatione? L. quò ſigno? E. ô Chriſtianum. Quo ſigno? ego arcano dicam tibi. In quo Conſtantinus vicit Maxentium tyrānum. Iámne intelligis? ſanctæ crucis. L. ſat eſt. Nimis religioſus es. E. Cur mihi bene precanti non agebas gratias? quin etiā, vt ſi eſſes annis obſitus, & ego quadrimulus; tu homo veteris proſapiæ multarumq́; imaginum, ego patrem meum nominare non poſſem, caput aperiebam. L. Reſtántne plura? E. plura. Vocem ſiue ſonū cum ſternutares ita intendebas, vt hunc murum fermè ruperis. Hoc non oportet: vti nec cohibere adeo ac reprimere impetum, quem natura affert, ſi ſanitati conſultum velimus. L. In quo te naſus meus præterea offendit? E. Eurum

aut

aut Fauonium aliquem videris intus alere, ita ſpiras per nares. Sibilos item, vt arguta ilex: & quod ruſticiſsimum, ronchos trahis vigilans. Peccabas inſuper aliud. L. ſcilicet. E. In ſtrophiolum inſpiciebas cum naſum emunxiſſes. Timebas credo, ne è tuo illo præclaro cerebro ſmaragdum, ſapphirúmue elicuiſſes. Quis te his moribus tam impolitis expoliuit? aut vbi denuo inſtituuntur, qui ſic inſtituuntur? L. Tuum verò ſacroſanctū diuinumq; caput quando eſt pexum? plumas paruulas video de puluino. Quam mundum? Quot trieterides abierunt cum lauiſti? aut quibus tandem Coſs? Fortè vermiculorum quoq; gregem paſcis, quos pediculos vocant: etenim non fruſtra illud ſcabis toties, prurit vtique. Quid quod frequenter, vt equus, concuſſo capite capillum in frontem propendentem diſcutis? Accerſere nos etiā tonſores quatuor oportet, qui humeros iam attingentem, & denſiſsimum tondeant. E. pecto quotidie, niſi obliuiſcar; lauo (ſi te forte hoc delectat) quoties aut luſtrum conditur, aut acta eſt olympias; quoniam audiui (quod nec tibi reor inauditum) manus lauandas ſæpe, pedes rarò, caput nunquam. L. Seruent ipſi hoc, & illoti ſordeſcant quantum libet. E. pruritum creant mihi, non lendes, ſed furfures. At enim abeo hinc, ne forſitā ab iſtis ad alia maiora mutuò, & cum conuitio obiicienda veniamus, oriaturq; lātum ex vna ſcintilla incendium. E. Ita facto opus eſt. L. Nunquid vis? E. Rectè.

ANNO-

ANNOTATIONES.

CVM RVGIS VLTIMÆ) *Rugæ ſulci ſunt, quibus ſenum cutis exaratur. Horat. Epod. Ode 8.*

Cum ſit tibi dens ater, & rugis vetus
Frontem ſenectus exaret.

Vnde ſeniles rugæ ab Ouid. 3. Faſt. Inq; ſuo precio ruga ſenilis erat. Et alibi. Iamq; meos vultus ruga ſenilis arat. Dicuntur præterea rugæ in fructibus & veſtibus. Plaut. Caſ. vſus eſt verbo rugare abſoluto. Vide palliolum, vt rugat? id eſt, vt rugoſum eſt? FRONS SERENATA) *Nubes enim frontis, & nubes ſupercilij* μεταφορικῶς *appellatur ſeuerus nimis ac triſtis vultus, ſiue cogitatione aliqua maiore, ægritudineq; perturbatus: quæ, vt nubes cœli ſplendorem ac ſerenitatem maculant. Plura Vict. lib. 16. cap. 14.* NON VIDEMVS MANTICÆ) *Catull. ad Varum.*

Nimirum idem omnes fallimur, neq; eſt quiſquam,
Quem non in aliqua re videre Suffenum poſſis.
Suus cuiq; attributus eſt error:
Sed non videmus manticæ quod in tergo eſt.

Ad Æſopi fabellam reſpexit, quam ſic Stobæus narrat. Æſopus ait vnumquemq; noſtrûm duas geſtare peras ſeu manticas, vnam à fronte, alteram à tergo. Et in illa quidem reponere ſolere peccata aliena: in hac propria. Idcirco noſtra non videmus. Horat. Sat. 3. lib. 2.

Dixerit inſanum qui me, totidem audiet, atq;
Reſpicere ignoto diſcet pendentia tergo.

Perſius Sat. 4.

Vt nemo in ſeſe tentat deſcendere? nemo:
Sed præcedenti ſpectatur mantica tergo.

Plaut. Sticho.

Sed curioſi ſunt hîc quam plures mali,
Alienas res qui curant ſtudio maximo,
Quibus ipſis nulla eſt quam procurent ſua.

Addam pauca ex Cicer. Tuſcul. 3. *Eſt enim proprium ſtultitiæ aliorum vitia cernere, obliuiſci ſuorum.* OBDVCTAM ET CAPERATAM) *Caperare Nonio eſt rugis frontem contrahere, & aſperare: tractum à caprorũ frontibus aſperis.* Plaut. Epid. *Quid illud eſt, quod illi caperat frons ſeueritudine? Varro* Eumenid. *Quin mihi caperatam tuam frontem Strobile omittis?* MVCCINIVM TIBI DARE) *Linteum quo exceptatur naſi mucus ſic videtur nominaſſe lib. 2. Arnob. ſcriptor & antiquus, & ſanè quam cultus. Vide Turneb. lib. 13. cap. 14. Strophiolum, & linteolum rem minus aptè ſignificant.* NVMQVID VIS) *Abituri, ne id durius facerent, numquid vis? dicebant his, cum quibus conſtitiſſent.* Terent. Eunuch. *Dum hæc dicit, abiit hora: rogo numquid velit. Rectè inquit. Abeo. Hoc eſt, dico quod abeuntes ſolent, ſignifico me abire. Et, Rectè, id eſt nihil. Sic Donat. in eum locum.*

PRO-

PROGYMNASMA NONVM.

Malæ, os, labra, dentes, vultus.

GENESIVS, LEONTIVS, PARMENIVS.

GENESIVS. Purpuriſſum, ceruſſam, ſtibium, quibus mulierculæ ad deformitatem tegendã, & ad pulchritudinis laudem aucupandam genas & ſupercilia pingere, fucareq́; interdum ſolent, ecquid vllo modo adoleſcenti probo ingenuoq́; adhibenda putatis? L. Dicam quod Parmenius quoque approbet. Non adhibebit, niſi fœminam ſe quam marem natum eſſe malit. P. Mihi iam lanugo malas veſtit, hunc fucum optabilem iudico. Quin ne mulieres quidem paulò grauiores iſtis pigmentis vnguentisq́; vtuntur. Ac tum bene olet fœmina, ait Cicero, ni fallor, cum nihil olet. G. Tenebam duo dicta ad argumentum veſtrum peridonea, quæ animo exciderunt: alterum Pythiadis filiæ Ariſtotelis, alterum Catonis Cenſorij. L. Pythiadis hoc fuit. Interrogata quis color eſſet pulcherrimus, reſpondit: qui in adoleſcentibus ingenuis ex pudore naſceretur. P. Occurrit mihi Catonis. Dicebat ſibi magis placere iuuenes, qui erubeſcerent, quam qui palleſcerent: quod rubor notaret probam

probam indolem, pallor non item. G. mihi verò tertium in mentem venit, duobus his minimè alienum, Diogenis Cynici. Is adoleſcenti cuidam erubeſcenti, atq; ob id perturbato: bono animo eſto, inquit, fili, iſtiuſmodi eſt virtutis color. Videtis iam, quemadmodum iſti malas iuueniles colorari velint; natiuo ſcilicet ac liberali colore, quem pudor & verecundia, quę ſunt propria huius ætatis ornamenta, generare conſueuerunt. Eum niſi fœminæ quoq; habuerint, in ipſa forma tum naturali, tum commentitia ſunt deformiſsimæ. P. Os quo pacto rectè componitur? G. Si labra leniter ſeſe contingant, neq; conſtringantur, neque hiatu diſiungantur, ne dentes appareant: vtrumq; turpitudine non vacat. Nec decorum eſt roſtellum formare, vt qui poppyſmum edunt. Sunt qui per diem os aliquoties eluunt. Scire licet hoc à magiſtris morum vituperari. Manè autem ſi id fiat pura & frigida, quia ſalutare eſt, laudatur. Cum oſcitamus, & corpus auertere à præſentibus non poſſumus, linteolo aut vola os cruce ſignatum obtegere iubemur. L. De labris diſplicet ſanè, quod interdum in te Parmeni obſeruo. P. Quid obſeruas? L. Supernis dentib⁹ mordes inferius, & infernis ſuperius. Vtrumuis faciunt qui excandeſcunt, quiq; minantur. Quid quod etiam lingua eiecta circumlambis nonnunquam labia? hoc (ſit venia dicto) feles & canes ſolent, vbi quippiam comederunt. P. Per imprudentiam factum eſt, ſi factum eſt. L. Non ſunt etiam porrigēda labra, nec adducenda. Nec edendus ore ſtrepitus aut ſibilus, aliúdue ſignum, cum

vel

vel admiramur, vel ludibrio quidpiam habemus. G. Dentes tui, Parmeni, ſunt nigri. P. ſunt certè. At qua ratione albos reddam? G. puluiſculum ex pharmacopoliis audio puellas petere. Quod mihi cum vanum, tum delirum videtur eſſe, vt dicam cum Lucretio. At tu has noli imitari; nec ſale aut alumine in hanc rem vtere, quoniam gingiuę læduntur, alium modum quære. Aſpexi etiam te ad illos purgandos cultello vti: hoc pernicioſum credas. Audiendus hîc nobis idem Martialis de dentiſcalpio. P. Quid is? G.

Lentiſcum melius; ſed ſi tibi frondea cuſpis
Defuerit, dentes penna leuare poteſt.

Nec vnguibus, nec mantili adhibito extrahere ciuile eſt, ſi quid inhæſit. L. De vultu adde vnum verbum. G. ne ſit triſtis, aſper, tetricus, ſed hilaris, placidus, iucundus, quantum naturæ noſtræ imperare poterimus: nam ab animo vultus fingitur. Ita tamen lętus, vt habitus oris honeſtus retineatur. Nec ſæpe commutetur, quo nos inconſtantiæ ſuſpicione exſoluamus. L. Tu nobis hodie Præceptor quidam fuiſti, & oratio tua egregiè nobis probatur.

ANNOTATIONES.

PVRPVRISSVM, CERVSSAM, STIBIVM) *Nimiam ſeſe ornandi diligentiam, & immodicum formæ conciliandæ ſtudium, odorum pigmentorumque delicias vituperauit etiam Terent. Heaut. vbi Chteſipho non abſque ſtomacho.*

Non

Non cogitas hinc longius abeſſe, & noſti mores mulierũ:
Dum moliuntur, dum comuntur, annus eſt.

Tantum abeſt, vt in muliere honeſta ac pudica luxus ille meretricius probandus videatur. Apud Sybaritas gentem effœminatiſſimam, Plutarchus in Conuiuio ſeptem ſapientum, & Athenæus lib. 12. legem fuiſſe tradiderunt, vt anno priore mulieres inuitarentur, ſi quas conuiuio, aut ſacrificio publico adeſſe vellent. Totum nempe ſpatium illud ad ſeſe per otium veſtibus & auro ornandas ipſis concedebatur. Sed Plautum audiamus Pœnulo.

Pulchrum ornatum turpes mores peius cœno collinunt.
Lepidi mores turpem ornatum facile factis comprobant.

INDVAT CYCLADEM) Quid in hoc genere ille monſtrorum domitor Hercules, quid Sardanapalus quauis muliere corruptior fecerint, lege Ouid. Faſt. lib. 2. Iuſtinum lib. 1. Diodorum lib. 3. Athenæum lib. 12. IAM LANVGO MALAS VESTIT) Lucret. lib. 5.

Tum demum pueris æuo florente iuuentus
Occipit, & molli veſtit lanugine malas.

Virgil. 8. Æneid. Tum mihi prima genas veſtibat flore iuuenta. Lanuginem vocat florem, eandem eodem libro veſtem. Aurea cæſaries ollis, atque aurea veſtis. Ita Lucret. lib. 5. & impubem molli pubeſcere veſte: ſtatimque ſequente, mollem barbam. Et pariter mollem malis demittere barbam. Ex quo veſticeps, qui eſt pubes, & inueſticeps impubes, inueſtis, planè imberbis. Nonius. Inueſtes dicuntur impuberes, quibus propter teneram ætatem nulla pars corporis pilat. Sed melius intelligi poteſt inue-

ſtes appellatos, quaſi in Veſta, id eſt, in pudicitia et caſtitate. BENE OLET FOEMINA) Cic. ad Att. ep. 1. lib. 2. Quanquam tua illa (legi enim libenter) horridula mihi, atq; incõpta viſa ſunt: ſed tamen erant ornata hoc ipſo quod ornamenta neglexerant; & vt mulieres, ideo bene olere, quia nihil olebant videbantur. Et in Orat. Vt mulieres eſſe dicuntur nonnullæ inornatæ, quas idipſum deceat: ſic hæc ſubtilis oratio etiam incompta delectat. Plaut. Moſtell. Æcaſtor, mulier recte olet, vbi nihil olet. Similis ſent. Varronis quam profert Macrob. lib. 3. Saturnal. Bellaria ea maximè ſunt mellita, quæ mellita non ſunt. POPPYSMVM) poppyſma & poppyſmus (vtrumq; enim dicitur) eſt acutus ille ſonus, qui labris compreßis editur. Etiam eſt blandus ille ſonitus, quem equorum domitores & magiſtri equos leniter manu attrectantes edunt. Virgil. Æneid. 12.

Circumſtant properi aurigæ, manibusq; laceſſunt
Pectora plauſa cauis, & colla comantia pectunt.

PROGYMNASMA DECIMVM.

Ceruix, humeri, brachia, manus, vngues, auriculæ.

MAGISTER, PETRONIVS, SVLPITIVS diſcipuli.

MAGI-

MAGISTER. O Petroni Petroni, quam contumax puer es? Sæpicule te docui, ne antrorſum ceruicem inflecteres, néue reſupinares, néue in dextrum, néue in ſiniſtrum latus inclinares, ſed molliter erectam ſuſtineres. Tu nihilominus in his omnibus offendere non dubitas. Si neceſsitudo aliqua poſtulet, non interdixerim, quin eam in vtramuis partem, atque etiam antrorſum retrorſúmque intorqueas. P. Conſuetudo hoc facit; conſuetudinis magna eſt vis. M. Si ego è diuerſo in conſuetudinem venero te pro iſtis ſolœciſmis aſsiduò pulſandi, non facilè abſtrahar ab hac cõſuetudine. Súmne planiloquus? paucíſne rem ipſam attigi? ſcapulas quoque, vt ſi te pedes morderent, crebrius agitas, & adducis. Tu Sulpiti, cur ita fœdè commoues humeros? tene quietos & æquales, ne, tanquam in trutinam eos impoſueris, nunc iſtum attollas, nunc alterum demittas. Niſi vitium emendas, emendaberis. Ex more tandem fit ob diuturnitatẽ natura: & quas illa corpori prauitates ac diſtortiones non dedit, eas conſuetudo peſsima conciliat. Dum fingi ac flecti poteſtis, fingam & flectam vos. S. non aliud habeo dicere ad excuſandum, quam quod dixit Petronius: non fit voluntate & conſilio, ſed mera aſſuetudine, & per imprudentiam. M. Itaque non aliud viciſsim tibi, quam illi reſponderim. Quod verò nunc anſatus incedis, nunc brachia in tergum reiicis, noſtin' quos referas? S. quos? P. In illo oſtentatores, in hoc fures, qui manus ponè reuincti, ad furcam educũtur. Portares ante pectus, hem pigritiam. Credíſne etiam decere manus in-

ter ſe fricare? S. egóne iſtuc? M. Vno die vel centies. Eaſdem pectinatim inter ſe complicare triſtitiæ indicium eſt. Quò autem illæ proferentur, eodem oculos ſeſe intendere conuenit. Prô ſcelus, quam longi, quam lutulenti vngues? opportunè cultellus calamarius in manu eſt: iam præſecabo vobis iſtos pulchellos vnguiculos tam leniter quidem, vt præ dolore clamorem ingeminetis. S. A Pręceptor, da veniam, ipſi præſecabimus domi. P. Ego præmordere ſoleo. M. honeſtius præſecantur: quamquam diligentes attentiq́ſtudioſi non aduertentes id faciunt quod tu: Vnde ſi quid cum cura & diligẽtia ſcriptum indicare volumus, demorſos vngues ſapere dicimus. Atat, etiam auriculæ ſordibus onuſtæ ſunt. O immundos. Purgate quamprimùm, aut in ludũ ne redite. P. Purgabimus. M. Sed eſt inſuper paucis quod vos monitos voluerim. S. quidnam iſtuc eſt? M. In aperiendis partibus, quas natura contexit atq; abdidit, videte dum neceſsitati paretis, vt id quã occultiſsimè faciatis, ne quid indecorè ac parum modeſtè, quamuis neminem viſurum ſciatis. Honeſtas enim etiam ſine teſte diligenda & cuſtodienda eſt. Hoc moneo, quod negligentes vos hac in re deprehenderim. P. & S. ad hunc lapidem deinceps non offendemus.

ANNOTATIONES.

IN HIS OMNIBVS OSTENDERE) *Quintuplici notione reperitur verbum offendere. Eſt etenim lædere, cuius exempla ſunt notiſſima. Item reperire.*

epiſt.

epiſt.14. lib.5. *Tam miſero tempore nihil noui conſilij cœpiſſem, niſi in reditu meo nihilo meliores res domeſticas, quam Rempub. offendiſſem.* Et incidere. 2. de Inuent. *Quod ſi in cæteris quoque ſtudiis à multis eligere homines commodiſſimum quodque, quam ſe vni alicui certo vellent addicere: minus in arrogantiam offenderent.* Et peccare, vel aliquid committere vnde exiſtimationis, honoris, beneuolentiæque iactura fiat. epiſt. 18. lib. 2. *Si dignum ſe maioribus ſuis præbuerit, vt ſpero & opto, tua laus ex aliqua parte fuerit: ſin quid offenderit, ſibi totum, nihil tibi offenderit.* Ad Att. epiſt. 4. lib. 10. *eumque perturbatum, quod intelligeret ſe apud ipſam plebem offendiſſe de ærario.* Paſſiuè demum ſumitur epiſt. 14. lib. 5. *Ex quibus aut in altera mihi velim, ſi potes, obtemperes: aut in altero non offendas,* pro, offendaris. Pro Milone. *Si in me aliquid offendiſtis.* Cæſar 2. de bello ciuili. *At, credo, ſi Cæſarem probatis, in me offenditis,* pro, offendimini. Hæc quam licuit breuiſſimè, magno cum deſiderio commodandi ſtudiis adoleſcentum ex Manut. in epiſt. 14. lib. 5. De quo viro cum omnia præclara ſentiam, tum verò ita de Cicerone meritum iudico, vt melius nemo. CONSVETVDINIS MAGNA EST VIS) Ita ſanè in 2. Tuſcul. Cicero. *Ac tanta omnino vis, vt cantetur vulgò: conſuetudo altera natura:* quod eſt in 5. de finib. Græci, ἡ χρῆσις ἑτέρα φύσις. Cuius ſententiæ primus auctor Theophraſtus. *Grauiſſimum eſt imperium conſuetudinis,* inquit Pub. Syrus. Cic. 1. de Inuent. *conſuetudo vim naturæ obtinet.* Et 1. de leg. *Corruptela*

malæ conſuetudinis igniculi extinguuntur à natura da-ti, exoriunturq́; & confirmantur vitia contraria. VT SI TE PEDES MORDERENT) *Pedes dicuntur, quos deminuto vocabulo pediculos nominamus. Ab his pedicoſi appellantur. Vt eſt illud: pedicoſus, ſqualidus, vbi me videt, caput ſcabit, pedes legit. Ioſephus Scaliger contendit, Feſtum apud quem hæc ſunt ex Titinio, pedidoſus legere debuiſſe. Profert etiam carmen Lucilij. Quod deformi' ſenex, pedidoſus ac podagroſus. Plaut. Vidularia muliebri genere, & ſingulari numero extulit. Vbi quamq; pedem videbat, ſuffurabatur omnes.* DVM FINGI, AC FLECTI POTESTIS) *Nouimus quid vſu veniat agricolis in ſtirpibus adultioribus: franguntur citiùs, quam inflectuntur. Idem in ætate humana contingit. Regitur, & quamuis in partem dirigitur facillimè, dum tenera eſt; grandis & robuſta inflecti ſe non patitur. Illuſtrabunt hunc locum, quæ ſunt apud Flaccum in extrema epiſt. 2. lib. 1.*

Fingit equum tenera docilem ceruice magiſter,
Ire viam, quam monſtrat eques. Venaticus ex quo
Tempore ceruinam pellem latrauit in aula,
Militat in ſyluis catulus. Nunc adbibe puro
Pectore verba puer, nunc te melioribus offer.

NVNC ANSATVS INCEDIS) *Quid ſit olla anſata, latet neminem. Cum itaq; ſublatis curuatisq́; brachiis manus ad latera admouemus, anſas exprimimus. Plaut. Perſa. Sed quis hîc anſatus ambulat? Rem eandem declarant, quæ proximè antecedunt: ſubnixis alis me inferam. Barbari & in ſermone latino hoſpites, cum ali-*

quid

quid dicendum, quod quemadmodum dicatur, ipſi prorſus neſciunt, ita loqui conſueuerunt: geſtu adhibito. Faciebat ſic, ita tenebat caput, habebat mirabile inſtrumentum, neſcio quomodo vocatur: erat quaſi, &c. Sic verba plus decem, non abſq; auſcultantium faſtidio profundunt, vbi vnum & alterum & ſuffeciſſet, & rem aliquantò melius expreſſiſſet. IAM PRÆSECABO VOBIS) *Vnde præſegmina. Nonius. Propriè Plaut. Aulul. præſegmina ea dici voluit, quæ vnguibus eminulis præſecantur.*

Quin ipſi pridem tonſor vngues dempſerat,
Collegit, omnia abſtulit præſegmina.

QVAS NATVRA CONTEXIT ATQVE ABDIDIT) *Cic. 1. Offi. Principiò, corporis noſtri magnum natura ipſa videtur habuiſſe rationem: quæ formam noſtram reliquamq; figuram, in qua eſſet ſpecies honeſta, eam poſuit in promptu. Quæ partes autem corporis ad naturæ neceſſitatem datæ, aſpectum eſſent deformem habituræ, atq; turpem, eas contexit atq; abdidit; & quæ ſequuntur, ad commendandum iuuentuti tum in rebus & actionibus ipſis, tum in colloquiis decorum dicta grauiſſimè. Arnobius Lactantij magiſter idem Chriſtianus, idem diſertus & elegans ſcriptor, conſidera mihi, quam venuſtè ac tectè loquatur lib. 5. contra gentes. Partes illæ, quas pudor communis abſcondere, quas naturalis verecundiæ lex iubet: quas inter aures caſtas ſine venia nefas eſt, ac ſine honoribus appellare præfatis.*

PROGYMNASMA VNDECIMVM.

Spuere, tuſsire, eructare, ſcreare, oſcitare, vomere.

PRVDENTIVS, STANISLAVS, ROBERTVS.

PRVDENTIVS. Non fœminis duntaxat, ſed adoleſcentibus quoq; vitio vertendum audiui à Magiſtro, crebrius expuere. Qui mihi (vt eſt homo in ſcriptis veterum diu multumq́; volutatus) è Xenophonte referebat: apud Perſas ſæpius ſpuere, nares emungere, eructare fuiſſe vituperationi obnoxia. Et quia hæc perrarò facerent, fuiſſe rem ipſam teſtimonium moderati ipſorum victus, laborumq́; quos cibi conficiendi cauſſa ſuſciperent. At quidam non tantá compulſi neceſsitate, vt equidem ſuſpicor, ſed more malo prauoq́;, etiam dum ſermonem cum aliis exſequuntur, poſt tertium quodq́; verbum ſpuunt. S. Sunt humidiore cerebro. Quid illis facias? vt ſaliuam deglutiant? hoc medici non approbauerint. R. Sinamus eos ſpuere, cum ipſorum conſtitutio id requirit, dummodo vrbanè, declinatione quadam corporis, nulliusq́; veſtem conſpurcantes. Item, ſi quid fœdius purulentiusq́; ac per ſcreatũ eiecerint, pede illud (ne aſpicientem cum nauſea offendat) ſubitò conterentes; quanquã huiuſmodi phlegmatica ſputa qui ſudariolis excipiunt, vt omnino

omnino ne videantur, multò ſe gerũt ciuilius. P. Illud abſurdum ruſticumq́ duco, quod nonnulli tuſsiculis interpoſitis loquuntur. Afferũt profectò opinionem audientibus, ſe non habere parata quæ verbis prodant, & interea dum ita tuſsiunt, configere aliquid, ac mentiri velle. R. In vitio ſunt iſti, quod patet. At illi magis, qui, cum natura compulerit, cum ſonitu maximo tuſsiunt, vt exaudiri poſsint è longinquo, præſentesq́ pituitoſa aſpergine contaminant. Quid autem videtur tibi, Staniſlae, de crudioribus, aut ſaturitate ebriis quibuſdam, qui ructus haud cohibent, verùm apertis faucibus fætētem craſſumq́ fumum è ſtomacho aſcendentem in alios exhalant? S. Quid aliud, niſi frontem perfricuiſſe? P. Sæpius ſcreantes, & cum impetu magno, perinde vt ſi conuellere pulmones, & euomere omnia viſcera conarentur, ferre nũquam potui. R. Nihilo magis ego. P. Solent etiam pueri diſtantes, inuicem ſcreatibus ſibi ſigna dare, ſeſeq́ monere atq; appellare quodammodo. Hoc modeſtiæ legibus aduerſatur. R. Quam inelegans etiam illorum mos, qui cum oſcitant, pergunt loqui, nec loquũtur tamen, ſed tanquam muti ſemet ad loquendum videntur vrgere. Et eſt reuerà potius vlulatus ille, quam vox dicenda. P. Adoleſcens honeſtatis ſtudioſus etiam cauebit ne frequenter oſcitet. S. Quamobrem? P. Qui id facit, exiſtimari poteſt eorum quibuſcum verſatur cœtum colloquiumq́ faſtidire, & alibi eſſe malle. Arguit deinde eadem res hominem animo & corpore otioſum atq; ſegnem: occupatos enim rarò oſcitare

 cerni-

cernimus. S. Quid vomentes? num hos perferre potes? P. Quoſdam ad vomitionem crapula, quoſdam ſtomachi imbecillitas, aut cruditas aliqua improuiſa compellit. Atq; illos quidem, qui propter ingluuiem vomunt, inter porcos deceret vomere: cum ipſi inter homines videantur quidam porci, quos ſcimus ſordibus & luto amicas eſſe animantes. Quacunq; autem de cauſſa eueniat, ſecedendum eſt in latebram. Multa quippe ſunt, quæ cum naturaliter fiant, ita demum honeſtè fiunt, ſi occultè: inhoneſtè, ſi in propatulo. R. Quomodo tu hoc nulla interpoſita dubitatione confirmas, ſic nos eidem nihil omnino refragantes, vt ἀποδεῖξει aſſentimur.

ANNOTATIONES.

CREBRIVS EXSPVERE) *Locus eſt in 1. de vita et diſciplina Cyri: ſic enim in Bruto κύρου παιδείαν Cicero conuertit, eosq́; libros ad Q. F. ep. 1. lib. 1. non ad hiſtoriæ fidem, ſed ad effigiem iuſti imperij ſcriptos, & à Scipione Africano nunquam de manibus poni ſolitos confirmat. Quin ſe ipſum quoq; κύρου παιδείαν contriuiſſe legendo, totamq́; in imperio ſuo (quod in Cilicia adminiſtrabat) explicaſſe gloriatur epiſt. 25. lib. 9.*
IPSORVM CONSTITVTIO) *Complexio Ciceroni eſt verborum comprehenſio, ſeu periodus, argumenti concluſio, dilemma, confuſio quædam in verbis, & genus exornationis apud Cornificium in 4. quod Repetitionem Conuerſionemq́; complectitur. Habitudinem & tempe-*

temperamentum corporis, conſtitutionem vocabimus, eamq́ firmam, infirmam, bonam, malam, &c. Cic.3. Off. *Corporis firma conſtitutione, eiusq́ conſtitutionis ſpe explorata, vita omnis beata (vt à Metrodoro ſcriptum eſt) continetur.* SATVRITATE EBRIVS) *Plaut. Capt. Vnde ſaturitate ſæpe ego exij ebrius. Verba ſunt Ergaſili paraſiti. Porro ebrij vocabulum vt hîc ad ſaturitatem, ſic ab Horatio ad fortunã belliſſimè tranſlatum eſt: Cleopatram quippe fortuna dulci ebriam dixit Ode 37. lib. 1. Demoſthenes item Philippum ſecundis rebus ebrium. Et Philoſtratus in Herodis vita, homines diuitiis ebrios. Et Theocritus Amycum plagis ebrium. Plaut. ebriam cœnam, pro adipali & opipara. ſic veſtis oſtrò ebria legitur, quam Martial. ſimili metaphora, ſaturatam murice appellat. Lucret. in 3. Ebrius vrgeris multis miſer vndiq́ curis. Legè cap. 6. lib. 3. apud Iunium, & 16. lib. 5. apud Muretum.* FRONTEM PERFRICVISSE) τρίψαι μέτωπον *Græci eodem ſenſu, cum nimirum ſignificant, aliquem impudentem factum. Cic. 3. Tuſcul. de Epicuro. Cum os perfricuiſti. Reliqua Victor. lib. 8. cap. 6.* OCCVPATOS ENIM RARO OSCITARE) *Ceſſantibus planeq́ otioſis amica eſt oſcitatio. Quare ſi quis forte de huiuſmodi numero in turba ſui ſimilium oſcitauerit, mox illos alios etiã videbis oſcitare, tanquam ſigno dato admonitos. Eſt præterea ſatis notum, quid oſcitãs in lingua latina ſignificet: negligentem ſcilicet ac deſidem. Vitium appellatur oſcedo. Eodem nomine vocantur oris vlcuſcula, quas medici aphtas.*

PRO-

PROGYMNASMA DVODECIMVM.

Riſus, ſeßio, genuflexio, inceſſus.

PAEDAGOGVS, COELIVS, QVINTINVS, FERDINANDVS alumni.

PÆDAGOGVS. Si tenetis pueri, quæ de morum honeſtate & elegantia adhuc præcepta vobis ſunt, bene eſt, & à me initis ſolidã & grandem gratiam. C. Tenemus vtiq;. P. Tu quidem citra cunctationem ſatis audacter affirmas pro omnibus; videbimus quam verax fueris, cum depoſitum exegero. Q. Inter nos heſterno die repetiuimus omnia, cum tu abeſſes. F. Si vel iam interroges me, poſſum recitare. P. Erit cum interrogabo. Nunc alia vos docebo. Ac primùm quæ in riſu cauenda. Adeſte animis. Totum corpus clamoſiſsimo, & inſulſiſsimo cachinno concuti, probro datur cuiuis ſexui, cuiuis ætati. Fuge cachinnari, ni faxis, plorabis. Vitioſiſsimum eſt etiam, quod quidam ridendo hinniunt. Alij os tam vaſtè diducunt, itáq; dentes ſpectãdos exhibent, vti canes, cum ringuntur. Adoleſcentiam verecundius ridere, ac potius tantum ſubridere pulchrum eſt, quod Platonem factitaſſe inuenio: nec ridere quia conſueuerit, ſed quia ita neceſſe ſit. Neq; verò quenquam propter aliquid à ſe lepidè

pidè ac iocosè dictum ridere conuenit, ne ſemetipſum commendare quaſi facetum videatur. C. Habemus quomodo ridendum ſit, ſine cachinnis, ſine hinnitu, ore clauſo, aut paulùm modeſteq́; aperto. Quando arridendum eſt? P. Qui dictis factíſue aut ſuis, aut alienis pæne omnibus arrident, ſtolidi: qui nullis vnquam, ſtupidi: qui flagitioſis & impuris, peruerſi, laſciuiq́; iudicantur. Q. Aliquando quiſpiam in ſolitudine, aut facetæ rei veniens in memoriam, aut incerta de cauſſa repentinò ridet. Quid de huiuſcemodi riſu ſentis? P. Quid ſentiam? Idem Catullo. Nam riſu inepto res ineptior nulla eſt. Et quod in monoſtichis legitur:

Γελᾷ δ᾽ ὁ μωρὸς κἄν τι μὴ γελοῖον ᾖ.
Cum cauſſa nulla, morio ridet tamen.

Si cui deſubitò, aliis præſentibus riſus eruperit, vt abhinc biduum Quintino, quid agendum? P. vt riſum hunc inopinatum mirari deſinant cæteri, & ne quis è corona ſe derideri arbitretur, promatur cauſſa, ſi proba eſt. Si tacenda, aliquid eiuſmodi afferatur, per quod leuitatis & ineptię ſuſpicionem euitemus. C. Quantum intelligo, non placent tibi loquendi illa genera, riſu corruere, diffluere, emori & ſimilia. P. Non plus quam ipſi riſus intemperantes atque immodici. Q. Si mihi propter factum, narrationemq́; aliquam deimprouiſò tantus concitetur riſus, qui ſimul latera, os, venas, vultum, oculos occupet, quem quantumuis cupiens tenere nequeam, quid agam? P. Strophiolo, aut explicata manu os tegēdum ſuadeo.

deo. Quales in ſedendo quoque vos eſſe oporteat, indicabo. Æquè parùm elegans & politum exiſtimo, diſtractis diuulſiſque ſedere genibus, atque diuaricatis & diſiunctis conſiſtere tibiis. Cum ſedebitis genua, cum ſtabitis pedes coniungite, aut aliquantulum diſiunctos habete. Ne pedem dextrum ſiniſtro ſuperponite cum ſtatis, ne ciconias imitamini, quę alteri pedi inſiſtunt: néue ita tibias componite, vt literam X ſtando exprimatis: ne tibiam ſuper tibiam ſedentes locate, néue pedibus ludite, néue alioqui manibus geſticulamini: hæc omnia fæda ſunt, & mentem vagam minuſque ſeria cogitantem produnt. F. Quintinum ter quater ita ſedere, vt dicebas, obſeruaui. Q. Tace tu, ne tua quoque vitia. Nam profectò nec ſtare, nec ſedere, nec ridere ſatis aptè noſti. F. Quot maledicta? Q. Indignis ſi maledicitur, maledictum id eſſe duco. Verùm ſi dignis dicitur, benedictum eſt, meo quidem animo. F. Carnifex quæ loquitur? P. Silentium eſto, non hîc linguis, ſed auribus vſus eſt. Indecorum porrò eſt ita ſedere, vt corpus in alterum, velut fulcrum inclines, aut ei tergum obuertas, pedémue ſic extollas, vt ſubligar appareat. Q. Scio quis hîc peccet. P. Iterum edico, ſile. De flectendis genibus hoc accipite. Vtrumque ſimul iunctim æqualiterque inflectere mulierum eſt. Hoc facere cauebitis. Religioſi & monachi verticem loco genuflexionis inclinant, modicè curuato corpore reliquo. Vos recto corpore manentes, pede dextro nonnihil præcedente ſiniſtrum, vtrumque poplitem mediocriter curuabitis. In hoc tamen, vt in aliis ad mores ſpe-

ctanti-

ctantibus, populorum regionumq; mos ſequendus, ſi cum honeſtate non pugnet. Etenim vnaquæq; natio ſuos ſibi mores laudat, alienos ac peregrinos ægrius tolerat. Atq; hoc ſæculo optandum eſſet, vt quidam Germani Italiſmis, Hiſpaniſmis, Galliciſmis parcius vterentur, & ſuum ſibi pulchrum domi haberent, quomodo aliæ nationes, patriisq; moribus & inſtitutis viuerent. C. Arbitramur te copioſum eſſe poſſe, ſi neoteriſmos iſtos velles ſigillatim recenſere. P. At nihil eſt neceſſe. De inceſſu audite. Cic. 1. Offic. Cauendum autem eſt, ne aut tarditatibus vtamur in ingreſſu mollioribus, vt pomparum ferculis ſimiles eſſe videamur, aut ſuſcipiamus nimias celeritates. Quæ cum fiunt, anhelitus mouentur, vultus mutantur, ora contorquentur. Ex quibus magna ſignificatio fit, non adeſſe conſtantiam. Ineptum item paſſus amplos facere, pedes altè attollere, cum ſonitu in terram deponere, tibias collidere, inclinare ſe inter eundum ad tibialia attrahenda, motu clunium greſſus anatum æmulari. Hæc vitabitis, & quæ præcepi paulò ante & aliâs, ea vſu exercebitis. C. Sic nos amabit veneranda Honeſtas, vt præcepta tua noſtra modeſtia vſq; ſarta tecta habebimus. P. Quamuis autem in ſingulis iſtiuſmodi, ſi pecces, parum quoddam peccatum atq; leue committi videatur, tamē vos cogitate, in multis ſimul atq; adeo vniuerſis prætermittēdis grauiter multumq; peccari: ex compluribus enim minutis erratis conflatur quoddam ingens. Quo verò maiora ſunt, eò cautione opus eſt maiore; ſiquidem non ita facilis eſt ſin-

gulo-

gulorum,& tam variorum multorumq́ animaduerſio. Quod ſi contemnantur, conſuetudo naſcetur in moribus aſsiduè labendi. Iam vt impenſæ mediocres & paruæ, ſi crebræ fuerint, paulatim & occultè magnum quoq; theſaurum exhauriunt atq; conſumunt; ſic iſta minima & leuiſsima delicta propter copiam ſuam quaſi furtim hominibus eximiis famam atque exiſtimationem magis magis eripiunt.

ANNOTATIONES.

RISVS) *Duæ affectiones, riſus atq; fletus humanæ naturæ ſunt propriæ, & vſitatæ admodum: nec aliud in ſcholis Dialecticorum, cum de proprietate quarti modi loquuntur, eſt illo tritius: homo eſt animal aptum ad ridendum. De riſu autem & fletu, item de voluptate ac dolore, quibuſcum illis duobus magna eſt ſocietas atq; coniunctio (nam et ex voluptate ſæpius naſcitur iucundus riſus, & ex dolore exiſtit amarus fletus) erudita conſcripſit opuſcula Nicander Ioſsius Venafranus. Cicer. quidem in 2. de Orat. capita ſolum indicat, quæ de riſu diſputari poſſent: ipſe nullum diſputat.* NI FAXIS, PLORABIS) οἰμώξεις, *eris miſer. Græci quomodo cui bene cupiunt, eum iubent* χαίρειν, & εὖ πράττειν *gaudere, et bene rem gerere, ita cui vel minantur, vel malū damnúmue precantur, eum iubent* οἰμώξειν, κλαίειν, *Latini plorare, flere. Horat. Sat. vlt. lib. 1.*

Diſcipularum inter iubeo plorare cathedras. Et Sat. 1. lib. 2.

Qui

Qui me commôrit,(melius non tangere clamo)
Flebit,& inſignis tota cantabitur Vrbe.

Et Ode 5. Epod. O multa fleturum caput. Legas cenſeo Victor. lib.13. cap.12. AVT TARDITATIBVS VTAMVR) Baſilij quoque præceptum Ciceroniano huic ſimillimum, hoc eſt, καὶ τὸ βάδισμα, &c. Inceſſus eſto nec ſegnis, ne animum diſſolutum declaret: nec rurſus vehemens inſolenterq́ incitatus, ne conſternatos impetus animi ſignificet. EX COMPLVRIBVS ET MINVTIS) Heſiodus lib.1.

Namq; ſuper paruum ſi paruum apponere cures
Idq́; frequens facias, ingens conſurget aceruus.

Plutarch. lib. de prof. virtutis ſentiendo. Non mediocre, inquit, argumentum eſt, nos in virtute progredi, ſi nullum iam peccatum leue & exiguum putemus: ſed omnia ſtudioſè vitemus atque obſeruemus. Vt enim qui diuites ſe fore deſperant, paruos ſumptus facere pro nihilo habent; quod nihil magni futurum putant, ſi paruum paruo adiiciatur: ſpes autem ad finem propius accedens, ſimul cum diuitiis auget diuitiarum amorem. Ita in virtute, qui non dicit: quid tum poſtea? modo ſic, aliâs melius, ſed ſingulis intentus, vbi vel minimo peccato vitium ſe inſinuans veniæ locum dare videtur, ægrè fert & indignatur, ſatis oſtendit, ſe purum aliquid ſibi iam comparaſſe, quod inquinari nullo modo velit.

VESTITVS, SIVE HABITVS.

PROGYMNASMA DECIMVMTERTIVM.

Veſtes litteratorum.

AEMILIVS, LIBERALIS.

ÆMILIVS. In hac pegrinatione mea, quæ mihi velut libera quædã legatio conceſſa eſt, cum animi cauſſa nobiliores Germanię ciuitates obirẽ ac perluſtrarẽ, in Academiam quandam ingreſſus ſum. Eo ipſo die commodùm accidit, vt quindecim, facie liberali, togati omnes, & quadratis pileis capita velati adoleſcentes in aula Academica pulcherrimis peripetaſmatis exornata, pręſentib' viris eruditis illuſtribusq; & ſtudioſorũ frequentiſsima corona, artium ingenuarũ, & philoſophiæ Magiſtri decernerẽtur. Et quia tum mos eſt de inſigni aliquo themate, quod literas literatóſue attingat orationẽ haberi ab eo, cui Promotori nomen inditur, quiq; Candidatis illud dignitatis vocabulum imponit, diſputabat ille de cultu literatorum, oratione longiuſcula, grauiter ſanè, cõpoſitè, ornatè & copioſè, cum magna, vt apparebat, aſſenſione audientiũ. L. Argumentum profectò his temporibus congruens & frugiferum

tracta-

tractauit. Nunc enim cernimus volitare ſtudioſos militibus aliiſue profanis hominibus quam ſimillimos. Æ. Hoc ille quoq; deplorabat, iſtamq; ſiue leuitatē, ſiue ſtultitiam, ipſa, cuius ſe alumnos profiterentur, ſapientia indigniſsimam aſſeuerabat. L. Quæſo Æmili, retinuiſtíne ſummā orationis huius? Æ. Summam? quid ſi pæne totam edidicerim? L. Quî hoc fiat ſemel audiendo, quāuis memoriæ præſtantia cum illis antiquis cōtendas? Æ. Amicus mihi in ea Academia, atq; adeo vnus de numero illorum Magiſtrorum eſt. Is oratu meo à Doctore ac Promotore ſuo eā extorſit; mihi deinde deſcribendi copiam fecit, deſcriptam attentius ac ſæpius legi. L. Vellem placeret tibi capita ipſa apud me ediſſertare, ſi tantum eſt otioli: idq; ego haud vulgaris beneficij loco ponerem. Æ. Faxo vt ſit, & hanc tibi operam dabo haud inuitus. Capitis adibo periculum dum proſim tibi, ait in Comœdia neſcio quis. L. In opaco illo frigidioreq; loco ſub platano propter aquæ riuum in herba tenera conſidamus. Æ. Vt vis. Proponebat ſe de tribus dicturum. L. Audio. Æ. Primùm. Certum quoddam genus veſtium conuenire his, qui ſe ſtudiis liberalibus cōſecraſſent. L. Intelligo. Æ. Secundo loco oppugnaturum eos, qui aut nimium luxuriarentur in cultu, aut ſordibus & ſqualore delectarentur. L. Tripartita hæc propoſitio (nam ſecundum membrum in duas diuiſum eſt partes) admodum mihi commoda & plana videtur. Quomodo igitur princeps illud caput explicabat? Æ. Oſtendebat literatos inter profanos Deoq; dicatos homines

(quos Eccleſiaſticos, & Religioſos contritis iam vocibus nuncuparemus) quaſi medios incedere, & ita ad vtrorumq́ꝫ communitatem inclinare, vt rurſum ab vtriſque non paulùm declinarent. L. Quid hinc effici volebat? Æ. Diſparibus vitæ generibus inſtitutisq́ꝫ diſparem reſpondere habitum oportere, quo illa in vulgus cognoſcerentur: alioqui perturbationem & cõfuſionem conſecuturam. Quapropter ſicut religioſo ſuus, ciui ſuus, colono ſuus, aulico ſuus, militi ſuus, ſutori, fabro, coco, venatori ſuus, ita conſectatoribus Muſarum ſuus quidam certus ſit veſtitus, quo ipſi, qui neque ad profanos, neque ad ſacerdotes vſquequaq́ꝫ accedunt, ab vtroq́ꝫ ordine, & à cæteris vniuerſis per indicium manifeſtiſsimum internoſcantur. Vt ne amictus ſimilitudo eſſe opifices neſcio quos, aut agricolas, aut bellatores, aut quoſdam otioſos adoleſcentes, de iis qui noctu plateas perambulant intuenti ſuſpicionem commoueat. L. Argumentatio haud ineptè cõcluſa. Formámne aliquam præcipiebat? id quod ab eo deſiderari video potuiſſe. Æ. Nullam, neq́ꝫ id ſe facere poſſe affirmabat, neq́ꝫ velle quamuis poſſet. L. Cur nam hunc in modũ ſe excuſabat? Æ. Quoniam in ipſa veſtitus honeſtate de qua agebat, varietatem exiſtere, & diuerſis diuerſa placere non ignorabat, ſuumq́ꝫ iudicium in diſquiſitionẽ vocari nolebat. Tantum admonebat, vt nec profanis, nec Eccleſiaſticis omnino, aut monaſticis veſtibus vterentur, propter rationem, quam paulò ante expoſui. L. Nulláſne quaſi leges dabat? Æ. Ille verò dabat, ac prudẽter quidem, nec
minus

minus doctè. L. Si memoria ſuppetit, profer aliquas in medium. Æ. Principiò, inquit, veſtitus ſit mundus. Eſt quippe, vt ait Seneca, natura mundum & elegans animal homo; idcirco ipſi munda veſtis appetenda eſt. L. Tam elegans, tamq; mira ſingulariq́; numinis prouidentia generatum, vt præclara ingenia quod ſtupeant ſemper ſint habitura. Æ. Vetus hæc & omnium conſenſu firmata opinio. Præterea ſit decorus, grauis, modeſtus. Nam modeſtia ſingulare eſt adoleſcentiæ decus, ea ex habitu quoque perſpicitur; qui, vt riſus, vt ſermo, vt inceſſus animi cogitationumq́; character & nota non immeritò perhibetur. Quare inepta veſtis ineptum, leuis leuem, muliebris effœminatum, ſtulta fatuum, monſtroſa monſtroſum: ac viciſsim idonea & grauis cordatum, prudentem, grauem arguet: atque vt illa probrum, ſic iſta laudem domino ſuo conciliabit. Exiſtimatio plurimi facienda eſt cuique noſtrûm; eam haud retinebit, qui, quo pacto veſtiatur, nihil referre putauerit. L. Probantur iſta mihi, vt quæ maximè. Quid ſequebatur? Æ. Aſperè vehementerq́; in eos inuehebatur, qui tam crebrò veſtimentorum figuras commutarent, qui aliam ſemper aliamq́; inuenirent. Nunc ita conformatum, & hoc colore imbutum geſtant pileum, paulò poſt aliter, deinde rurſus aliter. Hoc menſe pallium panno nigro, alio viridi, aut cæruleo: nunc manicatum, mox ſine manicis. Hoc ſemeſtri talis modi caligas, altero alterius modi. De calceis, thoracibus, deq; putida & ridicula exterarum gentium imitatione item diſſe-

rebat. Accuſabat etiam morem, quo quidam capillum in humeros promittunt, eumq́ tam impexum, pinguem, incultumq́, vt è ſylua Hercynia eos, aut è ſpecubus montanis prodiiſſe credas. L. Exſpecto iam quid contra luxum ornatumq́ ſuperuacuum attulerit. Æ. Nitidiorem veſtitum exiſtimationem afferre hominibus, formam etiam & dignitatem corporis augere non negabat, & in eam rem prouerbium adducebat: Veſtis virum facit. Verſantibus autem in occupationibus litterarum, veſtitum tantummodo ab omni leuitate remotum, mediocriter elegantem, nec adeo magnæ impenſæ volebat conuenire: ſiquidem nihil æquè ad gratiam auctoritatemq́ pariendam conducat, vt eruditio, cuius illi opinionem iam ſunt adepti. Non generis nobilitatem, non diuitiarum affluentiam, non conſulatus, non dictaturas proinde ſuſpicere, admirariq́ homines, vt ſapientiam, qua proximè ad diuinam præſtantiam accederemus. Hanc nobis munire ad æternitatem iter: hanc mortalitatem noſtram extendere, immò in quandam immortalitatem conuertere. Quidquid eſt opere aut manu factum, à confectrice omnium vetuſtate diſſolui, obrui, ad interitum redigi: ſapientiæ noceri nunquam poſſe. Eam à præſenti ætate non deleri, à ſequente non diminui, ſolum ſapientem generis humani legibus exemptum, cui omnia ſæcula, vt Deo, ſeruiãt. L. Vt me iſta delectant? vt paſcor? vt recreor? Æ. Quid de Socratis aliorumq́ philoſophorum honoribus imminuit veſtitus abiectio? aut quemnam adeo immenſum ſplendo-

ſplendorem Ariſtoteli peperit, quod eum curioſius tonderi, geſtare purpuram & annulum conſueuiſſe legimus? Norunt omnes in philoſophia nemini imitabilem, tam excultum ingredi ſolitum infiniti neſciunt, etiam qui literas ſciunt. L. Totus pẽdeo ab ore tuo, merum mel loqueris. Ne cela, quæcunq; occurrerint: meam enim ſitim nõ explebis. Æ. Non ego integram orationem, ſed capita duntaxat, præcipuasq; illius ſentẽtias recitaturum promiſi. Atq; vt ab initio multa præterij, ſic modò mihi faciendum eſt. L. Vt lubet, moleſtus nõ ero, perge modò. Æ. Dignum reprehenſione factum ſe exiſtimare, quoſdam ſtudioſos à potentiſsimis monarchis moderatione in hoc genere ſuperatos. Hadrianum Imperatorem frequenter ſatis vili tunica contectum proceſsiſſe in publicum, præcinctũ baltheo, in quo nihil ineſſet auri. Auguſtum non temere aliam veſtem, quam domeſticam, à ſorore, à filia, neptibusq; cõfectam induere conſueuiſſe. Oratorẽ Græciæ Demoſthenem propter nimis accuratum exquiſitumq; veſtitum probris ſæpe laceratum fuiſſe. Hortenſium item maledicorũ voculas ob nimiam mũditiam, nimisq; compoſitum ornatũ haud effugiſſe. Neq; verò ſe tantummodo luxum veſtium abeſſe poſtulare ab eruditis, verum etiã mollitiem. L. Suſpenſis auribus iſta bibam. Ad fælicem aurã currit cymba tua. Æ. Apage cum chirothecis tenuiſsima è pellicula elegãtiſsimo opere factis, & odoratis. Alioqui me tibi dicturũ puta, quod cuidã vnguentato Stoicus Zeno: quis hîc mulierem olet? Tollantur bombycinæ periſcelides illæ cum la-

minulis,ſeu bracteolis minutis & aureis. Ne calamiſtris inurantur comæ. Ne pili radantur & barba toties. Ne ſpeculum omni pæne hora conſulatur. Ne quis plicas in veſte perturbari, vt Hortenſius, ægrè ferat.

Sint procul à nobis iuuenes vt fœmina compti.
Fine coli modico forma virilis amat.

Hæc omnia mulierculis concedantur, quibus à natura inuſtum eſt ſeſe comendi, poliendi atque ornandi indefeſſum ſtudium. Ita eſt ingenium muliebre. Bene cum lauta eſt, terſa, ornata, ficta eſt, infecta eſt tamen. L. Bellè, ita mihi tibiq; eueniant quæ comprecamur bona. Æ. Reſtat vltima pars, de ſqualore ac ſordibus. L. Spero non ſqualidè, neque ſordidè etiam hîc oratorem tuum diſputauiſſe. Æ. Etiam cum feſtiuitate ac ſale. Produxit verſus Horatij de Satyra:

non ego auarum
Cum veto te fieri, vappam iubeo ac nebulonem.
Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines,
Quos vltra citraq; nequit conſiſtere rectum.

Similiter ego, ait, dum curioſam indumentorum immoderatamq; & laſciuam elegantiam in ſtudioſis exagito, nō idcirco iiſdem pannoſos, ſqualore ac pedore obſitos incedere ſuadeo: menſuram enim à Pythagora in carminibus inculcatam teneri deſidero, quam deſerunt non ſolum qui vltra prodeunt, ſed etiam qui citra reſiſtunt. Illuuiem ac ſordes non niſi in mendicis ferendas. Quare ſi quem videritis ſordente circum collum

induſio,

induſio, veſte diloricata, maleq́ accommodata, viliſsimo ac pediculoſo cum palliolo, diruptis caligis tibiam, aut per ſolum calcei pedes nudatum, pulueribus inquinatum, capillo impexo ac diſturbato, iſtunc non modò in ſtudioſis, ſed ne in mendicorum grege numerandum arbitremini; eſt enim infra gregem ducendus: nam quod illi miſeri neceſsitate, hic voluntate committit. Quis enim cogit? Si homo eſt naturà mundum & elegans animal, vt ex Seneca docui, hi, ſi naturà immundi inelegantesq́ ſunt, homines certè non ſunt. Si ſponte & volentes ac ſcientes, tum verò homines cum ſint, ad beſtiarum ſe ſocietatem aggregare geſtiunt; earum, inquam, quæ in cœno volutari pro ſummis & ſuauiſsimis deliciis habent. Porcorum eſt hoc quidē. Ac mihi ſane hac de re venuſtiſsimi verſus in mentem incidunt à lib. 6. Lucretij. Æ. Enuntia. L.

At contra nobis cœnum teterrima cum ſit
Spurcities, eadem ſubus hæc iucunda videtur,
Inſatiabiliter toti vt voluantur ibidem.

Æ. Nitidè vt omnia ſemper Lucretius. L. Immane quantum exopto me hunc hominem orantem, ipſiusq́ vultum & actionem eſſe contemplatum. Ne ſim, ſi ille manſuetiorum litterarum fuit imperitus; imperitus autem? immò peritiſsimus. Verùm nolo te interpellare pluribus. Æ. Animi confuſi, diſtracti, vagabundi, indiligentis non futile indicium videri, in cultu, cæterisq́ quibus vtare rebus non decorum, non modum, non ordinem conſeruare. Vt enim intus afficimur, ita nos

foris gerimus. Ne agreſtem quidem & ruſticanum veſtitum in ſtudioſis tolerandum; quia in ſcholas non tanquam in agrum ad fodiendum aut arandum, ſed tanquam in templum ad concionem audiendam, preceſq́; concipiendas ventitamus: non cum raſtris, ſarculis & ligonibus, ſed cum libris, atramento & calamis. L. Quanquam pollicitus ſum non interpellaturum, tamen me tenere non poſſum, quin tua bona cum venia iſtorum incompoſitorum horridorúmque ſtudioſorum cauſſam agam, ad exercendum nonnihil ingenium. Tu quod voles reſpondeto. Æ. Sanè quàm cupio vt ita facias, tantum abeſt vt nolim. Nam vt magis magis pateſcat aperiaturq́; veritas, quaſi quodam conflictu rationū, ac diſputationis contentione efficitur. L. Non erunt iſti fortaſſe tam grauibus verbis laceſſendi, ac velut de flagitioſiſſimo facinore poſtulandi. Quod enim corpus negligunt, eò fit, quia mentem nobiliorem melioremq́; ſui partem ſtudioſiſsimè curant, & in rerum indagatione, litterarumq́; meditatione toto pectore dediti, priúsne dextrum an ſiniſtrum calceum pedi inducant; diffluénsne & laxa, an aſtricta cingulo ſit tunica; purgatúsne, an puluerulentus pileus; vbiq; integra, an alicubi rupta veſtis; recénsne, an vetus, nitens an ſqualida, cogitare nequeunt. Dūmodo mens perpoliatur inſtituaturq́; diſciplinis optimis, haud multùm intereſt, quam honorificè accipiatur corpus, cuius ſeruitio, non imperio vtimur; cui perparum ſemper ſtuduiſſe legimus, quorum eſt præter cæteros in ſapientiæ diſciplinis nobilitata induſtria. Quid? premo te? non

non ſudas? Æ. Tu,ſi quid es facturus,alia firmiora conquiras oportet, arieteſq; maiores admoueas, ſi hunc murum quatere, & ſubruere moliris. Dicam candidè. Idem ſibimet Orator ille obiiciebat, quod tu in præſens mihi. L. Iam iſtuc gaudeo, congruere cogitata mea cum ingenio illo præclariſsimo,atq; in illius me veſtigiis pedem poſuiſſe. Quæ fuit reſponſio? Æ. Primùm aiebat vota facienda tali defenſori, vt ipſe eiuſmodi defenſione nunquam egeret. L. Teneo. Æ. Deinde,vitium ſpecie virtutis & vmbra fallere pleroſque mortalium, & in hoc negotio neglectionem corporis vocari attentionem animi in ſtudiis: quemadmodum auaritia nonnunquam appellari ſolet parſimonia, effuſio liberalitas, audacia fortitudo,calliditas prudentia. L. Sic certè apud Salluſtium M. Cato. Hîc mihi quiſquam, inquit, manſuetudinem & miſericordiam nominat?iam pridem equidem nos vera rerum vocabula amiſimus. Quia bona aliena largiri liberalitas, malarum rerum audacia fortitudo vocatur: eo reſpub. in extremo ſita eſt. Æ. Non ſe requirere anxiam curam veſtium atq; corporis, quam cum illo ardore, & cupiditate ſciendi cohærere coniungiq; non poſſe certum ſit: moderatam tantum, penituſq; ſobriam, quæ à communi ſenſu iudicióque non abhorreat. Timere ſe,ne iſti ſtolidum quoddam genus poëtarum æmulentur, quos commemorat Flaccus,cum accepiſſent Democritū Phyſicum docuiſſe,magis ingenio,quam arte poëtam valere, & neminem omnino poëtam futurum ſine inflammatione animorum, & ſine quodam

afflatu quaſi furoris, ideo vngues non præſecabant, non barbam tondebant, balneis carebant, conſpectum hominum frequentiamq́ꝫ fugiebāt: atqꝫ vt præſtantes poëtæ haberentur, furorem ſimulabant. Hos veriſsimè furere & inſanire pronuntiat. Sic vereor, inquit, ne iſti, nō quia nimium in literas ſe abdiderint, eam ob rem corpus ſuum negligant: verum idcircò curam eius intermittant, vt ſummopere literis implicati, & in eas ſe ingurgitaſſe exiſtimentur. Diogenes cum veniſſet Olympiam, ibiqꝫ adoleſcentes quoſdam Rhodios vidiſſet amictu ſplendido, cum riſu; hoc nihil eſt, dixit, niſi faſtus. Rurſus cum in Lacedæmonios incidiſſet vilibus tuniculis ac ſordidis opertos. En, inquit, alius faſtus. Quare mihi quoqꝫ hi, vt quos ſupra accuſaui, oſtentatores videntur; & illi Rhodiis, iſti Spartanis aggregandi. L. Puer à gigante perculſus proſtratusq́ꝫ ſum. Arena cedo. Æ. Nihil reliquū eſt, promiſſo ſatisfeci. L. Quàm vellem tecum attuliſſes orationem ipſam, ac de ſcripto ad verbum recitaſſes: ſumptuosè epulatus eſſem hodie. Sed mutuam abs te ſumam. Æ. Dabitur mutua quandocunqꝫ petiueris. L. Bene narras. Et huius meriti erga me tui memoriam nulla delebit obliuio. Nunc mecum pro iſto labore tuo cœnabis. Æ. Seriόne hoc? L. Seriò. Æ. Tum me quantum operis fecerim haud pœnitet. L. Si tamen quotidiani victus tui, hoc eſt, frugalis ac philoſophici ventrem affers. Æ. Quaſi me clam ſit victum tuum haud ſcrupoſam commeare viam.

ANNO-

ANNOTATIONES.

VELVT LIBERA QVÆDAM LEGATIO) *Senatoribus à ſenatu legationes liberæ ad quamcunq; nationem priuatarum rerum gratia, negotij ſcilicet procurandi, pecuniæ exigendæ, hæreditatis obeundæ, voti ſoluendi, &c. concedebantur. Itaq; non permittente ſenatu ab vrbe ſenatori abeſſe non licebat. Quo autem eſſent honoratiores apud exteras nationes, legationis nomen addebatur. Cic. lib. 1. Philip. Quæ cum audire quam videre mallem, haberemq; ius legationis liberæ. Vide præterea Manut. in ep. 1. lib. 11.* MEMORIÆ PRÆSTANTIA CVM ILLIS ANTIQVIS) *Celebrata eſt literis memoria Cyri Regis, Scipionis, Cyneæ Pyrrhi legati, Mithridatis, Simonidis, Apollonij Thianæi. Plin. cap. 24. lib. 7. Quintil. in extremo cap. 2. lib. 11. Muret. cap. 1. lib. 3. Charmidam quendam in Græcia refert eodem loco Plinius, quæ quis exegerat volumina in bibliothecis, legentis modo repræſentaſſe. Cic. in Academ. diuinam quandam memoriam rerum in Lucullo, maiorem verborum in Hortenſio fuiſſe ſcripſit: qui orationem iis verbis & componebat & pronunciabat, quibus erat meditatus. Portius Latro declamator, quæ dicturus eſſet, ediſcendi cauſſa nunquam relegebat: ſcribendo enim ediſcebat, itáq; dicebat, vt in nullo vnquam verbo memoria laberetur. Iubebat nominari aliquem ducem, moxq; res illius geſtas ad vnguem omnes pleniſſimè commemorabat.* SVB PLATANO PROPTER

AQVV-

AQVVLAM) *Dicta eſt* ἀπὸ τοῦ πλατέος *hæc arbor: quoniam eſt patulis diffuſa ramis, vnde* ἀμφιλαφὴς *à Græcis. Ob ſolùm vmbram, potatoribus præſertim, erat in deliciis. Ab* Horat. *Ode 15. lib. 2. cælebs dicitur, quod non quemadmodum vlmus ad ſuſtentandas vites adhiberetur. Ode 11. lib. eiuſdem. Cur non ſub alta vel platano vel hac Pinu iacentes, &c. potamus vncti? Virgil. Georg. 4. Iamq́ miniſtrantem platanum potantibus vmbram. Tantus item honos ei habebatur, vt mero infuſo enutriretur. Plin. lib. 12. cap. 1. Martial. de platano Cordubenſi. Creuit & infuſo lætior vmbra mero. De Xerxe Perſarum Rege, quo pacto is Platanum à ſe amatam magnificentiſsimis ornamentis coluerit, Ælian. lib. 2. cap. 14. Platanon eſt locus platanis conſitus. Plin. iunior ep. 3. lib. 1. Quid agit Comum tuæ meæq́ deliciæ? quid Platanon opaciſsimus? Conſidet autem ſub platano diſputaturus cum Phædro apud Platonem Socrates, & apud Ciceronem 1. de Orat. Craſſus cum Scæuola, Antonio, Cotta, Sulpitio.* NON GENERIS NOBILITATE, NON DIVITIARVM) *Cum laudamus ampliſsimo genere ortum, parentes auosq́ laudamus. Cum diuitem & copioſum, fortunæ eſt benignitas. Cum præualentem viribus ac ſanum, morbi præda eſt. Cum forma egregium, ſenectute flos ille defloreſcet. Cum doctrina & probatis moribus excellentem, ipſum planè hominem laudamus. Hæc quippe bona nec à parentibus ad nos perueniunt, nec à caſu & fortuna pendent, nec temporum viciſsitudini ſubiiciuntur. Et qui hæc ſecum portat,*

tat, omnia ſecum portat. DECVS ARISTOTELI PEPERIT) *Præter Laert. lege Ælian. cap. 19. lib. 3. Vnam diſsidij cauſſam inter ipſum & Platonem hanc quoque fuiſſe narrat, quod vitam, & ſuperuacaneum corporis delicatioremq́ ornatũ non probaret in Ariſtotele Plato.* ORATOREM GRÆCIÆ DEMOSTHENEM) *Quam ſollicitè nitorem, venuſtatem, munditiam veſtitus conſectati ſint Demoſthenes & Hortenſius, quo pacto hic diem collegæ dixerit, quod ei in loco anguſtiore forte obuius togæ ſtructuram diſturbauerat; qui item ſpeculum ſæpius conſulebat, Gell. lib. 1. cap. 5. Crinit. lib. 6. cap. 9. Et hortabatur adoleſcentes Socrates, vti ſpeculum frequenter inſpicerent. Ac ſi quidem eſſent formoſi, adhiberent ſtudium ne pulchritudinem prauitate morum contaminarent: ſin autem deformes, corporis vitium virtute morum, hoc eſt animi pulchritudine corrigerent. Plutarch. in præcept. coniugal.* A PYTHAGORA IN CARMINIBVS) μέτρον δ' ἐπὶ πᾶσιν ἄριστον. *Præſtat quauis modus optimus in re. Quæ exuperantia, & defectione peccantur, iis nos modus per medium incedens, & vitia vtrinq́ iacentia declinans liberat. Quia ergo in victu, veſtitu, domicilio, & ſuppellectili, & aliis ad corpus ſpectantibus vel ad luxum abduci, vel ad nimiam tenuitatem ſordesq́ procedere poſſumus, caueamus ne à mediocritate vnquam aberremus. Quoniam enim animus intelligentia præditus corpori moderatur, omnia etiam quæ corporis ſunt cum intelligentia & ratione conſentire oportet, quæ neq́ luxum, neque ſordes*

patiens

patiens cum dignitate ſua iudicat omnia debere congruere. Hierocles *comment.* NON MODO IN STVDIOSIS, SED NE) *Vſitatiſſimum eſt veteribus, non modo, pro, non modo non. Cuius quanquam ratio conſtare nulla videtur, nihilominus in vſu loquendi ipſam bene loquentium conſuetudinem pro ratione habendam ducimus.* Cic. *ad* Lentulum. *Non modo præmiis, quæ apud me minimùm valent, ſed ne periculis quidem compulſus vllis. Pro Sext. Roſcio. Qui tantum facinus commiſerunt, non modo ſine cura quieſcere, ſed ne ſperare quidem ſine metu poſſunt. Et aliâs perſæpe. Liuius lib.25. Poſtremo ita aſſuetudine mali efferauerant animos, vt non modo lacrymis, iuſtoq́ comploratu proſequerentur mortuos, ſed ne efferrent quidem, aut ſepelirent. Lege Muret.cap.7.lib.10. Idipſum Manut.alicubi comment.in epiſtolas multis exemplis.* IMPERITVS AVTEM?) *Iucunditate quadam permulcentur aures, cùm hæc particula, & vltimum verbum præcedentis ſententiæ cum interrogatione ipſi ſententiæ affirmanti mox ſubiicitur, cum his verbis, immò verò.* Cicer. *ad Att. Sed ferendus tibi in hoc meus error: ferendus autem? immò verò etiam adiuuandus. Et omiſſo, autem. Cic. pro Mil. Quæ quamuis etiam mediocrium delictorum conſcientiam perculiſſet, vt ſuſtinuit, dij immortales? ſuſtinuit? immò verò vt contempſit?* AD CONCIONEM AVDIENDAM) *Triplex vis eſt huius nominis. Significat enim ſuggeſtum & locum vnde verba fiunt.* Hinc *illud, in concionem aſcendere, & pro concione quidpiam dicere.*

dicere: Cœtum conuocati, ſeu aßiſtentis populi conuentum. Salluſt. concione aduocata huiuſcemodi orationem habuit. Cicer. in Orat. Conciones ſæpe exclamare vidi, cum aptè verba cecidiſſent. Orationem denique ipſam. Cic. ad Dolabellam. legi concionem tuam, nihil illa ſapientius. Salluſt. concione habita. MELIOREMQVE SVI PARTEM) Cum conſtemus ex animo & corpore, & illo quidem immortali ac diuinæ naturæ perſimili, hoc autem caduco, & communi cum beluis: cum, inquam, illius imperio, huius ſeruitio vtamur, illeq́; ſit dux & imperator vitæ mortalium, vt ait Criſpus, in quo eſt conſilium, mens, ratio, ingenium, memoria, per quæ nomini acquiritur æternitas, quis eam dubitet meliorem noſtri partem nominare? RECENSNE, AN VETVS) Recens & nouum ita differunt, vt vetus & antiquum, & quæ ſequuntur apud Manut. in ep. 21. lib. 11. IN RERVM INDAGAT. LITERARVMQVE MEDITATIONE DEDITI) Quod nunc ſtudere alicui rei, & alicui rei deditum eſſe dicimus, id veteres ſtudere in aliqua re, & in aliqua re deditum eſſe dicebant. Cato. Poeticæ artis honos non erat. Si quis in ea re ſtudebat, aut ſeſe ad conuiuia applicabat, graſſator vocabatur. Lucret. lib. 3. Et ſimul in pugnæ ſtudio quod dedita mens eſt. Rurſum lib. 4. Præterquam quibus eſt in rebus deditus ipſe. Catull.

> Ne leuis tuus in mala
> Deditus vir adultera.

In quem verſiculum hæc Muretus. DIOGENES CVM

VENISSET OLYMPIAM) *Hac de re Ælian. lib. 9. cap. 34. Ad reprehenſionem ſordidorum iſtorum, & ipſo incultu ſapientiam ſimulantium permultum faciet epiſt. 5. Senecæ, ad quam vide notas Mureti.* SI TAMEN QVOTIDIANI VICTVS TVI) *Plaut. Capt.*

Nec nihil hodie, nec multò plus tu hîc edes, ne fruſtra ſies.
Proin tu tui quotidiani victi ventrem ad me afferas.

Victi, pro victus, vt alia non pauca, quæ nunc ſunt quarti ordinis, antiqui patrio caſu per ſecundum efferebant, vt ſenati, ornati, tumulti, &c. Verſus hunc ſenſum continet. Ventrem afferas parabili, & quotidiano victu tuo contentum, eſcas exquiſitas non appetentem. Scrupoſam porrò viam commeat is victus (vt eſt in ead. comœdia) qui difficili, latebroſa, ſalebroſa via quæritur: hoc eſt, qui impendio magno paratur, quoniam minimè vilis, ſed lautus eſt ac precioſus. QVANTVM OPERIS FECERIM HAVD POENITET) *Terent. Heaut. At enim me quantum hîc operis fiat pœnitet. Id eſt, parum videtur. Pœnitet enim eum, qui parum putat. Virgil. eclog. 3. Nec te pœniteat calamo triuiſſe labellum. Cic. 1. Off. Tamdiu autem velle debebis, quoad te quantum proficias non pœnitebit. Quæ hoc dialogo, & proximè ſuperiore, & ſequenti de ratione veſtitus aguntur, pro inſtituto noſtro agenda nobis fuerunt: cum in hoc etiam ſita ſit morum quædam honeſtas ac turpitudo. Et habemus autores magnos viros, quos accuſabunt, ſi qui iſta fortaſſe arroſerint.*

PRO-

PROGYMNASMA DECIMVMQVARTVM.

Decorum veſtium generatim.

SALVIVS, FELICIANVS, NICASIVS diſcipuli, EVPHRONIVS magiſter.

SALVIVS. Cum tu, obſeruande doctor, pectora noſtra non minus morum amabilium & antiquorum, quam literarum præceptionibus aſsiduò formare atque excolere, quantum animo conniti, quantum larga opera conſequi potes non intermittas, nosq́ in vtroq́ proceſſus efficere tota cogitatione cupiamus non pœnitendos, magno abs te opere petimus & quæſumus, quod ſine moleſtia tua fiat, nos doceas, quæ in veſtitu adoleſcentibus iuxta ac viris fugienda, quæ præſtanda ſint. E. Multa ſunt. Sed capitibus aliquot rem comprehendere tentabo. F. Optimè, ſic facilius meminerimus quæ audiemus. N. Et tibi explicationis labor non erit æquè oneroſus. E. Inprimis conſiderandum opinor cuique, qua fortuna, qua conditione & ſtatu ſit. Nobili genere procreatos, beneq́ nummatos, ac magiſtratum gerentes ornatus decet exquiſitior, ac delicatior: pauperes, ignotos, obſcuros, terræ filios ſimplicior, nec magno impendio comparatus. Quapropter Reges, Principes, dynaſtæ Attalicis, auróue intertextis, phrygianis & conchyliatis veſtibus vtantur. Viri ſanguine illuſtres, qui ſummam

gerunt Rempub. rectores prouinciarum atque vrbium ſericis, vndulatis, damaſcenis, holoſericis, atq; etiam purpuratis ſeu oſtrinis cooperiantur. Locupletes quoq; ad tegendum corpus pro pecuniarum ſuarum magnitudine pannos emant lineos & laneos, carbaſinos, byſsinos, bombycinos, & pelles laboratas vulpium, luporum, muſtelarum domeſticarum, aliarumq́; animantium, atque è peregrinis item regionibus allatum corium, vnde ſibi thoraces, ſcortea colobia, & alia parent quæ libuerit. S. Tenemus hoc. E. Intuenda eſt item natio & populus, apud quem vita degitur. Nam ſicut non omnis tellus fert omnia, ita alia alibi gentium, quà de moribus, cibo, veſtitu, legibus vſitata ſunt, decoráque habentur: quæ ſi quis omittat, aut etiam ſi contrà quid agat, culpam committere videatur. Quid videatur? immò aliquando puniatur. N. Res ita eſt. E. Foro igitur ac ſcenæ pareamus, & illud Germanorum ſermone iactatum adagium ante oculos proponamus,Ländtlich ſittlich. Si populares mei capillum tondeant, nolim ego capillatus incedere. Si barbam nutriant, me quoq; barbatum eſſe iuuet. Si hoc genus, & hanc formam veſtis probare incipiant, eaq́; paſsim vtantur, quamuis mihi adeo non arrideat, vtar ea tamen, & ad vulgatam conſuetudinem accommodabo morem meum; ne quis putet ſtatuiſſe me repugnare vnum omnibus, quod maximè inuiſos reddit, & omnium in nos oculos cum odio, velut in monſtra quædam prodigiáque conuertit. F. Sunt quibus diſcolor veſtitus placet, nobis haud ita. Nec Itali, aut Galli ami-

amiciuntur lineis ac pellitis vti nos. Hungari ſtrictas,& infra poplites demiſſas gerunt tunicas, femoralia turgentia auerſantur. Illorum ſunt ferrata calceamenta,prȩter morem aliorum. E.Quis omnes varietates enumerauerit? N. Quid inſuper obſeruandum præcipis? E. Tempori quoque ſeruiendum. Nam non omnia vbique, nec ſemper placent omnibus. In luctu lugubre,id eſt pullum tegumentum vſurpandum eſt, quod alicubi locorum cucullum adiunctum habet. In nuptiis nitidæ ac ſegmentatæ veſtes ſunt aptiores: & feſtis diebus quis nolit incedere cultior? De Kalend. Ianuariis, quo die deſig. Coſſ. inibant. Ouid.1. Faſt.

Veſtibus intactis Tarpeias itur in arces,
Et populus feſto concolor ipſe ſuo eſt.

Taceo in æſtu non probari vellera ouium, aut abollas,in hyeme veſtes è tela aut corio confectas. Iter facientibus lacernæ ſiue penulæ ſunt vtiles, & ad ſolem defendendum cauſiæ. S. Vt hæc tria quæ hactenus diſſeruiſti ſeruentur, nihilominus peccari,& ab eo quod deceat diſcedi poſſe credimus. E. Vtique poteſt. F. Doce quonam modo. E. Si qua veſtis eum vſum & commodum non præſtat, cuius cauſſa inuenta eſt veſtis, quis dubitet ea paranda fruſtra conſumptam eſſe pecuniam? S. Sed enim de veſte vt de domo ſentiendum opinor: quam cum neceſsitas inuenerit,quò nimirum ab iniuriis cœli tuti eſſe poſsimus, ornatus poſtmodum ad eam acceſsit: ſic cùm tegendi corporis gratia reperta initiò ſit veſtis, additus eſt ei poſtea decor & elegãtia. Quare quam-

pis eſt in veſtitu breuitas, vt partes illæ appareant. S. Intelligimus quas partes dicas, Oedipo nihil opus. E. Id in palliis vehementer eſt indecorum. F. Ita eſt. E. Diſſectas quoque amare veſtes, vereor ne ſit hominum diſſectas mentes poſſidentium. Quocirca aut nihil in hoc genere probem, aut modicum. N. Siccine vt meus hic thorax, & femoralia minutis ſectionibus diſtinguuntur? E. Admodum. F. Diuerſos colores in veſtibus? E. ego vt laudem nondum adducor. Ne quid laſciuiæ, faſtus, luxus, nouitatis præferat veſtis, & à ſordibus aliena ſit prorſus ac libera. Præcipiendum quoque adoleſcentibus, vt ne ad cubitum, ſicut ſalſamentarij & figuli ſe emungant. Vt veſtes in latus, aut in tergum diffluere ne ſinant; bene compoſitas, & circa collum pectusq́ꝫ clauſas habeant. Si quam nouam & pulchram induerint, ne gaudio intemperanter exultent, ne ſe circumſpectent, atque apud alios ſuperbè oſtentent: eſt enim hoc odioſum. S. De ſubligaculis follicantibus, (Plöderhoſen) quid cenſes? quibus ſunt aptiſsima? E. Sutoribus, ſartoribus, militibus: illa præcipuè, quæ infra genua demittuntur, quibus Aeolus includere potuiſſet etiam plures ventos, quam in vtre illo, quem Vlyſsi nauigaturo tradidit. F. Calcei feneſtrati quorum ſunt? E. Haud ſcio an grauium virorum ac ſtudioſorum adoleſcentum, quos grauitati in hoc quoqꝫ morigerari mos bonus eſt. N. Crepidas & ſicyonia, item pedulia non interdicis nobis? E. Hyeme non interdico, ipſemet crepidatus incedo: ſandalia fœminis relinquamus. N. Vincula illa

calceorum ſerica, rubra, flaua, viridia, cærulea ecquid approbas? E. Delicatorum iuuenum, & nouitatis affectantium ſunt. S. Quid de pileis acuminatis, in quibus flores, auium plumæ & ſpiræ admirabiles? E. Ornatus puerilis, leuis, profanus. F. Ocreæ num decent ſtudioſum? E. Si aut equitet, aut per lutum gradiatur: alioqui ruſticorum ſunt ocreæ. S. Quid bardocucullus? E. Honeſtum pallium eſt magis, quam ſcholaſticum. Honeſtiora autem pallia manuleata, quæq; non carent laciniis, & genua obuelant. N. Quis color in veſte probatiſsimus? E. Simplex, & vnius generis. N. Et quis hic? E. Niger. S. Voluntati noſtræ paruiſti ſatis. Tuis præceptis viciſſim obtemperabimus ſedulò, humaniſsime Præceptor. F. Quoad nobis vita ſuppetet.

ANNOTATIONES.

TERRÆ FILIOS) *In homines obſcuros, ignotos & ignobiles, quorum parentes maioresq; ignorarentur contorquebant: ſiquidem terra communis eſt & antiquiſsima omnium mater, ideoq; magna parens dicta Ouidio 1. Metamorph. Hoc ſapiens ille Brutus ab oraculo Delphico rediens, & velut ſi prolapſus cecidiſſet eam oſculo contingens monuit. Liuius lib. 1. Tertull. Apologet. Nam & terræ filios vulgus vocat, quorum genus incertum eſt. Cic. ep. 9. lib. 7. Cn. Octauius, an Cn. Cornelius? tuus quidem familiaris, ſummo genere natus, terræ filius. Et epiſt. 11. lib. 1. ad Att. Huic terræ filio neſcio cui commit-*

committere epiſtolam tantis de rebus non audeo. ATTALICIS VESTIBVS) *Attalus fuit Pergami totiusq́; Aſiæ Rex opulentiſſimus, qui pop. Rom. hæredem inſtituit. In cuius aula primum inuenta dicuntur magnifica tapetia, quæ aulæa vocamus. Idem inuenit aurum intexere veſtibus. Plin. lib. 8. vnde cognomen Attalicis. Horat. Ode 1. lib. 1. Attalicæ conditiones ſunt ampliſſimæ ac ſplendidiſſimæ.* SCORTEA COLOBIA) *Colobium veſtis ſeu tunica longa ſine manicis, quo veteres magis vtebantur, ne ſcilicet impeditiores eſſent. Vox profecta non à collo, ſed* ἀπὸ τοῦ κολοβοῦ, *quod mutila & truncata ſit. Veruntamen cum Nomenclatore ſcorteum ſeu coriaceum colobium libenter appellauerim, quod Germani* ein Lidern Goller / *eſt enim id etiam* κολοβόν. FORO AC SCENÆ PAREAMVS) *Scenæ ſeruire eſt tempori ſeſe rebusq́; præſentibus accommodare. Tranſlatum ab hiſtrionibus, quibus vna hæc cura, vt placeant ſpectatoribus, ne exſibilẽtur. Eandem vim habet, vti foro. Id eſt, præſentem ſtatum boni conſulere. Seneca. Vtamur foro, & quod ſors feret, æquo feramus animo. Terent. Phorm. Sciſti vti foro; in quem locum lege Donat.* SEGMENTATÆ VESTES) *Segmenta ſunt faſciæ, quæ muliebribus veſtimentis ad oram circumcirca aſſuũtur ornamenti cauſſa. Hinc ſegmentatæ veſtes, hoc ornatu inſignes. Aut ita. Segmenta ſunt purpurei, aureíue panni virgæ quaſi, & Zonæ, quæ veſtibus ad ornatum inſeruntur, quibus illæ verſicolores redduntur, tanquam limbis & inſtitis. Turneb. lib. 4.*

 cap.

cap.23. Iſid.lib.19.cap.22. AD SOLEM DEFENDENDVM) *Defendere, latinis crebrò valet idem quod arcere, excludere, prohibere, propulſare. Cic. pro Sext. Roſcio. Iniuriam nouo ſcelere conflatam putant oportere defendi: defendere ipſi propter iniquitatem temporum non audent. Pro Milone. Cum vi vis illata defenditur. In Catone, & nimios ſolis defendit ardores. Cæſar lib.1. de bello Gall. & quod non bellum intulerit, ſed defenderit. Plaut.Rudent.vt illos ſerues, vim defendas. Horat.Sat.3.lib.1. toga quæ defendere frigus Quãuis craſſa queat. Sic defenſor valet repulſor. Cic. pro Mil.loquens de ſeruis Milonis, qui Clodium domino ſuo inſidiantem occiderant. Quos niſi manu miſiſſet, tormentis etiam dedendi fuerunt, conſeruatores domini, vltores ſceleris, defenſores necis.* SVPERBAS PAVONVM CAVDAS) *Turneb. lib. 9. cap.6. explanans illud Horat. lib. 1.Sat.3. nihilo vt ſapientior ille Qui te deridet caudam trahat, exiſtimat caudam trahere eſſe magnificè ſuperbeq́ incedere, vt qui talari toga palláue ornati longo ſyrmate verrunt terram. Horat.ad Piſon. traxitq́ vagus per pulpita veſtem, id eſt, magnificè inceſſit ſaltans. Nam ad ſyrma alluſum eſſe puto, quod à tractu nomen eſt adeptum: aut, quod non æquè placet, tractum erit ab auibus, vt gallis gallinaceis & pauonibus, qui ſua inſoleſcere videntur cauda. vnde Horat. lib.2. Sat.2. & picta pandat ſpectacula cauda. Trahit igitur caudam qui ſibi placet, ſeq́ ſapientem arbitratur.* NAVIS ET MVLIER) *Plaut. Pænulo.*

Negotij

Negotij ſibi qui volet vim parare,
Nauem & mulierem, hæc duo comparato.
Nam nulla magis res duæ plus negotij
Habent, forte ſi occœperis exornare.
Neque vnquam ſatis hæ duæ res ornantur,
Neque eis vlla ornandi ſatis ſatietas eſt.

EVRIPIDEM ME EXPERIRENTVR) *Qui hũc Tragicum legerunt, ignorare neutiquam poſſunt, quam acerbo is mulierum odio imbutus fuerit, quamq́ue iure* μισογυνὴς *dictus ſit. Vbicunque datur occaſio, miſeras contumelioſiſſimè vexat.* ARGVMENTVM EST HOC IPSVM) D. *Baſilius in illa longiuſcula & pulcherrima epiſtola ad Greg.* Theologum, *qua vitã ſolitariam commendat, inter alia præcepta, de cinctu hæc præſcribit,* χιτὼν μὲν διὰ ζώνης, *&c. Tunica per cingulum adſtringatur corpori. Cinctus autem neque ſupra ilia adhibeatur, quia mulierum: neque laxus ſit, vt tunica diffluat, quia hoc deſidioſorum ac mollium eſt.* QVIBVS ÆOLVS INCLVDERE POTVISSET) *In 10. Odyſſ. ventorum pater Aeolus ventis reliquis vtre illo quem Vlyſſi tradiderat incluſis, ſolum Zephyrum dimittit liberum, cuius ille flatu in patriam deferatur. Meminit Horat. Ode 3. lib. 1.* SICYONIA, PEDVLIA) *Sicyon vrbs Peleponeſi, in qua delicati, elegantesq́ue admodum, & fœminis, quam viris aptiores calcei conficiebantur. Eiuſmodi orationem Lyſiæ ſibi videri dixit in carcere Socrates 1. de Orat. Lucret. in 4. Vnguenta & pulchra in pedibus ſicyonia rident. Lucilius. Et pedibus læua ſicyonia demit honeſta. Heſychius,* σικυώνια, γυναικεῖα

ὑποδή-

ὑποδήματα. *Vtebantur & ſaltatores in conuiuiis. Prouerb. Calcei ſicyonij de re pulchra, ſed quæ parum deceat virum. Pedule, inquit Cornelius Fronto, ſub pedibus præſtat vtilitatem. Exiſtimat Nomenclator, eſſe laneum calceum, qui plantis tanquam ſolum quoddam aduerſus frigora ſubſternitur,* Wullen Socken. *Magius lib. 3. cap. 3. linteos calceos Frontonem intellexiſſe credit. Ibidem multa de faſciis cruralibus, calceorum generibus, feminalibus, tibialibus, ocreis, & originatione vocis, crepida.* SANDALIA FOEMINIS) *Sandalium fuit genus calceamenti ſumptuoſum, diuitumq́; fœminarum proprium. Victor. lib. 14. ca. 15.* BARDOCVCVLLVS) *Genus pallij, cucullum habens adiectum, & è panno craſſiore. Simile eſt, quod ab inuentoribus Hiſpanicum nominatur,* ein Spaniſche Kappen. QVÆQVE NON CARENT LACINIIS) *De vocabulo, lacinia, copiosè eruditeq́; diſſeruit in epiſt. 21. lib. 16. Manut.*

PROGYMNASMA DECIMVMQVINTVM.

Muliebris cultus.

PRISCVS, ZACHARIAS.

PRISCVS. Pol hic quidem fungino genere eſt, capite ſe totum tegit. Quis horſum ſe capeſsit? quis hic petaſatus mihi fit obuiam? Hem,

Hem,ſodalis eſt meus. Zacharia ego te ſaluto,voce ſumma, quoad vires valent. Z. Et ego te. P. Vnde redis ſudoris oppletus ac pulueris? Z. Inde quo iueram. P. Ludis me. Cenſen' me ſcire quò tu iueris? Z. In agrum paternum. P. Quid ſibi volunt hoc ſarculum, hoc ſemicinctium,iſti perones,& ſagum? Z. Labori ſunt idonea,laborare me oportuit, ita iuſsit pater. P. Inclemens pater. Non conducit operas? Z. Conducit. Veruntamen vt Lacedæmonium me tractat; vult me aſperis rebus perferundis aſſueſcere, & robuſtum membris euadere. P. Duras profectò partes tuas prædicas. Z. Sed quo tute ambulas? quid in ciſtellula portas? P. Ad forũ ſcrutarium greſſus dirigo:hîc ornamenta quædam inſunt ſororis meæ,quæ eius nomine vendat anus illa Staphyla, quam noſti, multiloqua & merobiba. Z. Etiam multibiba. quæ ſunt? obſecro. P. Curioſus homo es.dicam. Eſt calantica,ſpiræ duæ,reticula capillaria duo, plagula & ſtrophium. Z. Tantúmne vel eget argento germana tua, vel iſtiuſmodi ornamentis circumfluit, vt hæc vendat? P. Tritiora illi vetuſtioraq; ſunt, quam vt geſtare vltra velit. Mulier eſt mulier, cui naturæ nihil neq; nimium,neq; ſatis diu bellum & elegans videri poteſt. Nuperrimè precibus parentes peruicit, vt cycladem ipſi pulcherrimè ſcutatam curarent: item ſupparum è lino ſubtiliſsimo, plicis innumerabilibus. Pallam inſuper ſubſutam pellibus haud parui precij. De galericulis, mammillaribus,ſertis,crinalibus, mitris, fimbriis, annulis nihil addam. Quid quæris? mirarere,ſi eius videres

ſynthe-

ſynthesin. Equidem non puto in hac vrbe virginem aut fœminam reperiri, cui plura ſint veſtimenta, ferme tot, quot in anno dies. Ad paupertatem propemodum parentes protrahit. Z. O ſororem prædicatam ferme familiariter. quando tandem nuptum locabitur? quouſque manebit vidua? P. Adoleſcens de ſummo loco, ſummis diuitiis breui eam ducet. Lactauit certè procos, & falſa ſpe produxit plurimos, quamuis telam non retexuerit. Z. Oſtende ſis mihi ſpiras. P. En. Z. Prô quam nitent auro & margaritis, præſertim maior? Eſtne tibi quod vendas mihi? P. Eſt. Z. Quid eſt? P. Aſcopera, quam perdudum donauit mihi parens, ante cataclyſmum, ſeu eluuionem illam terrarum, quas poëtæ Deucalionis aquas nominant, aut paulò pòſt factam, vti credo; & grallæ, quibus ſenex & podagroſus vtebatur atauus meus. Z. In malam rem cum iſtis mercimoniis: nolim vel gratis accipere. At enim, quid te moror? vade quo miſſus. P. Vado.

ANNOTATIONES.

QVIS HIC PETASATVS) *A verbo* πετάννυμι *vox eſt. Tegmen capitis late patens, vſitatum viatoribus ad defendendum ſolem. Ac Mercurius quidem petaſatus fingitur. Hinc idem apud Plaut. Amphit. Ego has vſque habebo in petaſo pinnulas. In Pſeud. enumerans quæ peregrè abeunti conuenirent. Etiam opus eſt chlamyde, & machæra, & petaſo. In milite & Perſa vocat cauſiam. Dicitur item galerus. Cic. ad Caſſium*

ſium lib. 15. Sed petaſati veniunt, comites ad portam exſpectare dicunt. NON CONDVCIT OPERAS?) *Opera eſt actio, & perſona ipſa, quæ opus peragit. Opus finis eſt, & fructus operæ.* Nonnunquam *opus pro opera videtur accipi. Virgil. Aeneid. 8. Mollibus è ſtratis opera ad fabrilia ſurgit. Donat. in Heaut.* VT LACEDÆMONIVM) *Lacedæmona patientem non ſine cauſſa appellauit Horat. Ode 7. lib. 1. Tota quippe ipſorum diſciplina, qua pueritiam inſtituebant, patientiæ diſciplina fuit. Plutarchus in Lycurgo: literas quidem vtilitatis cauſſa diſcebant: alia verò tota inſtitutio eò referebatur, bene vt quiſque pareret, & vt laborem perferre fortiter, & pugnans vincere poſſet. Cic. 2. Tuſcul. Sparta verò pueri ad aram ſic verberibus accipiuntur, vt multus è viſceribus ſanguis exeat: nonnunquam, vt, cum ibi eſſem audiebam, ad necem: quorum non modo nemo exclamauit vnquam, ſed ne ingemuit quidem. Ara illa erat Dianæ, cognomento Orthiæ. Dicebantur hi* βωμονίκαι, *ad aram certantes ſeu vincentes: ipſa dimicatio* διαμαστίγωσις *difflagellatio. Qui diutius verbera tolerasset, illuſtris claruſque habebatur. Scribit Lucianus in Anacharſide, ſtatuarum honore affectos inter verbera exanimatos pueros.* AD FORVM SCRVTARIVM) Auff den Tendelmarckt. *Qui vocis originem ſpectant, ſcruta interpretantur omnia veteramenta, quæ per vias & rudera ſcrutando eruimus. Alij coriacea omnia, & ſcortea vetera opera, vt ſcruta quaſi ſcorta intelligantur, quæ notio poſtea omnem vilem & veterem ſupel-*

lectilem

lectilem complexa ſit. Græci γρυτάεια *nominant, & quem nos ſcrutarium,* γρυτοπώλην, ῥυπoπώλην. *Vide Gell.lib.3.cap.11.Turneb. lib.5.ca.13.* EST CALANTICA, SPIRÆ DVÆ) *De his vocibus aliisq́ue conſule Iſid. ſuo loco, & Nomenclatorem: nos enim non ſic abundamus otio, vt ſingulas declarare, & Calepinum conſcribere poſſimus.* QVID QVÆRIS?) *Cic. ep.9.lib.2. Ego voluptatem animi nimiam? quid quæris? dum illum rideo, pæne factus ſum ille. In quem locum ita Manut. Vbi ſatis verborum effluxit: nec tamen omnino videmur quod volumus explicaſſe, ad hanc interrogationem confugimus, Quid quæris? & ad exitum ſtatim ſententia perducitur.* QVOVSQVE MANEBIT VIDVA?) *Viduam non modo eam, quæ aliquando cum viro fuiſſet, ſed eam quoq; quæ nulli adhuc nupſiſſet appellatam à Iurecoſ. legimus. quoniam vidua dicta ſit vt vecors, veſanus, qui ſine corde, ſine ſanitate eſſet: & illa ſine duitate.* QVAMVIS TELAM NON RETEXVERIT) *Vulgatiſſimum illud de Penelopa, quomodo procos texenda & retexenda tela feſellerit. Diximus annotatione quadam in volumen primum, dialogi 17.* AVRO ET MARGARITIS) *De margaritis & vnionibus Plin.lib.9. cap.35. Iſid.lib.16. cap.10. Effertur & genere neutro, margaritum. Vtuntur auctores his vocabulis ferme ſic, vt gemma omnis lapillus precioſus ſit: margarita concharum partus. Iurecoſ. gemmas eſſe volunt, quæ pellucidæ ſint materiæ: velut ſmaragdi, chryſolithi, amethyſti: lapillos verò contrariæ ſuperioribus*

ribus naturæ. Margaritas autem nec gemmis, nec lapillis annumerant. Sic Horat. Ode 24. lib. 3. gemmas & lapides, aurum & inutile. Plin. lib. 37. gemmas violari ſignis nefas ducebant. id enim de pellucidis intelligo. Torrent. in Suetonij Aug. ad cap. 30. ASCOPERA) *Pera viatoria,* Wadſack. *Eſt apud Suetonium. De variis manticarum, perarum, ſacculorum nominibus, quæ in ſcriptoribus paſſim occurrunt, Crinit. lib. 12. cap. 6.*

CONVICTVS.

PROGYMNASMA DECIMVMSEXTVM.

Morum elegantium vtilitas, & neceſſitudo.

AVDITOR, ETHICVS.

AVDITOR. Laudas tu quidem mihi morum inſtitutionem vehementer, ac noſſe cum aliis ſeſe vrbanè, comiter, honeſtè, amabiliter ac venuſtè gerere, aut virtutem quãdam eſſe à me obtinere vis, aut virtuti maximè geminum atque proximum. Sint hæc ita vt tua ponit ſententia; nihilominus hoc tibi confitendum eſt;

G poſsi-

poſsidere iuſtitiam, fortitudinem, liberalitatem, cæteroſq; de hoc genere diuinos animi habitus, multò quiddam præſtantius, & cum per ſe optabilius, tum omnium mortalium prædicatione dignius videri. E. Vt iſtuc tibi largiar, vti largior, tamen tu viciſsim mihi des & concedas oportet, æquè commodare nobis morum in omni genere honeſtatem, ſuauitatem & quaſi pulchritudinem, ac illas virtutes, quas enumeraſti. A. Velim doceri quî tandem. E. Quî? Inter eos, quos naturæ ſimilitudo nobiſcum cõiunxit ſpiritum nos ducere, eorumq; mutuis ſermonibus, opera, commercio, & conſuetudine vti ac frui in dies ſingulos ecquid neceſſarium eſſe intelligis? A. Equidem intelligo. E. Hinc fit, vt etiam quotidie multa præſtare habeamus, quæ à morum doctrina præſcribuntur. Magnanimitate autem, temperantia, beneficentia, æquitate, tolerantia vtimur nos quidem, at certè minus frequenter vtimur; quid dicã in horas ſingulas? A. Moliris igitur hoc efficere, opinor, ſuperiora iſta quidem eſſe nobilitate & excellẽtia ſua, rurſus autem inferiora illis numero, & aſsiduitate vſus. E. Hoc ipſum. Quod ſi liberet, nominarem complures, quos vna ſcientia rectè, ſcitè, cõmodè, ac lepidè verſandi cum aliis, ad altiſsimos honorũ gradus extulerit, (illis præteritis, quibus virtutum paulò ante abs te allatarum ornamenta non deerant) homines nullis diuitiis, nulla fama, nulla demum claritate inſignes, humili loco oriundos, in re tenui, & inglorios. A. Affirmatio tua mihi admirationi eſt, eiuſq; rationem deſidero. E. Rationẽ? A. Sanè. E. En tibi.

Quem-

Quemadmodum enim præfracti, inconditi, inſuaues, difficiles, illepidi, inſulſi, ac moroſi mores deſpicientiam, alienationem, atque odium parere: ſic contrà faciles, modeſti, commodi, temperati, venuſti, humanitate conditi atque iucundi ſummum amorem, propenſum ſtudium, præſtantem beneuolentiam apud omnes inuenire conſueuerunt. Iam ſi neque vlla vnquam pœna illos, neque vllum aliquando præmium iſtos ſequeretur (quorum vtrumq; falſum eſt) attamen placere nemini, & tanquam peſtiferam quandam contagionem vitari ab omnibus, haud leue ſupplicium; eſſe autem charum acceptumq; vniuerſis, & allicere ad ſe omnium ſtudia, omnium volũtates, vti magnes ad ſe ferrum trahere, haud contemnendam remunerationem exiſtimare deberemus. A. Agreſtes iſti, illiberales atque inepti muſcarum, culicum, & pulicum perſimiles mihi videntur. E. Expedi cauſam huius ſimilitudinis. A. Quoniam nimirum, vt illa inſecta nõ timemus, cùm pardos, vrſos, leones timeamus, penitus autem odimus, propter moleſtias, quibus nos continenter afficere nõ deſinunt: ſic hos malè tornatos, inconcinnos, bardos, ruſticos, & velut ex hara prodeuntes ferre ſine cruciatu non poſſumus: quorum moribus quaſi muſcarũ pulicumq; morſibus & compunctionibus ſæpiſsime lædimur; etiamſi eos non metuamus, vt audaces, impios ac ſceleratos metuimus, qui inſtar immanium belluarum horribiles clades, & detrimenta grauiſsima facilè cuique noſtrum importauerint. E. Scitiſsima cõparatio. In dubium ergo vir prudens vocare ſuperſedebit, ei qui ab ho-

minum cœtu in vaſtam aliquam ſolitudinem demigrare nō vult, ſed in mediis vrbibus, & in ſuorum ciuium frequentia ætatem agitare conſtituit, valde conducere, ingenio tractabili ac leni, & ſermone, geſtu, actione ad communes vſus accommodatum eſſe. Et quia ſcientia hæc in oratione, motionibus membrorum, atque corporis potiſsimùm conſiſtit, vel pecuniam magnam quam largitione diſpertiat, vel pericula quæ ſubeat, vel incommodam fortunam quam perferat, vel voluptates quas prætermittat, vel denique res alias, in quibus ſeſe exerceat, & ſine quibus nulla ſit, nō requirit; vt benignitas, vt animi inuicti excelſitas & magnitudo, vt patientia, vt temperantia. Sed tu iam probè perſpicis, quantam & vtilitatem, & neceſsitatem habeat morum iſta commoditas. A. Approbè.

ANNOTATIONES.

CONVICTVS *hoc loco nihil aliud eſt, quam quod voce nequaquam Romana Conuerſatio dicitur à barbaris. Docebimur dialogis aliquot deinceps, quo nam modo eleganter, ac politicè omnino feſtiueq; in ſermone & geſtibus inprimis verſari cum aliis, & hominum agreſtium, inſulſorum, malè dolatorum euitare dedecus, politorum autem, concinnorum, lepidorum, excultorumq; famam & gratiam colligere poſsimus. Sciendum verò, nos eam venuſtatem ac leporem haud requirere neq; hoc capite, neq; libro toto, qui in palatiis*

Regum ac Principum addiſcitur & exercetur. Sed cum iſta ſcribamus iuuentuti generatim, volumus eam eiuſcemodi in conuictu morum ſuauitatem adhibere, quam communis opinio atq; ſenſus non repudiet, vel potius flagitet, quamq́; eruditi homines in præceptis reliquerunt; quam cognoſcere, & factis approbare non adoleſcentum modo, verum etiam natu maiorum interſit, qua ad extremum vita humana vix caruerit, cuius crebrior magisq́; aſsiduus in omni pæne loco & tempore vſus, quam virtutis, qua nonnulli cum primùm in ſumma gratia apud potentes ac dynaſtas ſeſe poſuiſſent, deinde honores quoque, & diuites diuitias illorum ope ſunt adepti. Et quoniam (vt eſt ſcriptum in fine huius dialogi) res iſta aliam rem, quemadmodum virtus, non requirit, totaq́; in nobis eſt poſita, debent adoleſcentes hoc alacrius ad eam ſe dare, ſuamq́; ingenuitatem hac etiam laudabili exercitatione omnibus palàm oſtendere.

PROGYMNASMA DECIMVMSEPTIMVM.

Qui potiſsimùm in coniunctione conſuetudinis atq; ſermonum odioſi.

FLAVIVS, MARTIANVS.

FLAVIVS. Prô quam grauiter apud me offendit heſterno die, quamq; nobis omnibus inuiſus & ingratus fuit quidam, ſi vultum conſideres, nobilis & quantiuis pretij; ſi mores, ipſa ruſticitate ruſticior, ipſa arrogantia arrogantior. M. Quonam in loco Flaui? F. In diuerſorio, quà nox proſerpens coëgerat cum comitibus. M. Quid is homo faciebat? F. Silebo de edacitate portenti, qua Crotoniatam Milonem vincebat. Tacebo de potandi auiditate, qua Alexandros, Tiberios, Traianos, & qui dictus eſt amphora, Xenagoram illum Rhodium ſuperabat. Nihil dicam de modo comedẽdi ſpurciſsimo. Turgebat faſtu, ſeq; ipſum admirabatur impenſius. M. Rem inſolitam apportas meis auribus. Sed niſi narras facinora, fruſtra me tibi poſtulas credere. F. Magna verò ad narrandum ſuppetit benignitas, Martiane. Sic ſe gerebat, ſic loquebatur, vt ſatis liqueret, eum nos præ ſe contemnere, ac pro nihilo putare. In quo illud præceptũ à ſua mente penitus repudiare viſus eſt, quo pueri monemur in ſcholis, ne aut dicamus, aut agamus qdpiam, vnde in ſuſpicionem veniamus, quaſi non valde amemus, aut parui faciamus eos, quibuſcum viuimus & verſamur; néue tales ſimus, vt niſi iniquiſsimo animo videre nos nemo queat. M. Nullúſne ibidem aderat, cui vel cedere ipſum, vel æquales partes concedere decuiſſet? F. Ac plures quidem, illoq; nobiliores. Veruntamen tumor, & inſolentia viri, quotquot aderant quodammodo conculcabat. In accubitu principem ipſe ſibi locum deligebat, nobis tanquam pueris

ſuum

ſuũm cuique diſtribuebat. Primus in patinam manus mittebat, plurimùm ipſe fabulabatur. Si quis noſtrum cœpiſſet narrare aliquid, ipſe narrationem interrumpebat; nec quidquam quod ipſe non dixiſſet, rectè ac verè dictum interpretabatur. Miniſtris, diuerſoribus, & hoſpiti mandabat liberrimè quæ libido ferebat, omnes ſua cauſa occupatos, in ſe vnum intentos ora tenere, atque ad nutum ſuum paratos eſſe æquum cenſebat. M. Vocemus hunc ſtabulum impudentiæ, theſaurum arrogantiæ, ſiquidē ita ſe geſsit, vt ais. F. Audi cataſtrophen huius comœdiæ. Cũ quieti corpora commendare inſtitueremus, in omnium molliſsimo lecto ſe collocari imperabat. Quærebat etiam ab hoſpite, num cubiculum elegantius & ornatius non haberet, in quo ipſe ſolus capere ſomnum poſſet. Negante illo. Tu verò, inquit, extruēdum curato, quò aliâs me ac mei ſimiles pro conditione nobilitateq́ꝫ noſtra etiã cubituros accipias. Formidabã ne prçciperet mihi, vti ad ſe accurrerē, caligasq́ꝫ detraherem. Animo geſsiſſem morē, adeo depexum dediſſem flagitiũ illud hominis, vt quoad vixiſſet, mei ſemper meminiſſet. Ad verba quidē atrocia ventum eſſet, ſi pruriētes manus cōtinere à vetulo illo veruece potuiſſem. M. Peccaſſes tu quoq́ꝫ victus cholera, & à reprehēſione haud abfuiſſes, parũq́ꝫ promouiſſes. Furore & iracundia præcipitē abire turpiſsimũ eſt. Recitare te prius tacitũ oportuiſſet quatuor & viginti literas, quod Auguſto ſuaſit Athenodorus philoſophus, ac deinde inuadere in hominē. Potius nobis Seneca audiendus. Aut potētior, aut imbecil-

lior te læſit: Si imbecillior, parce illi: ſi potentior, parce tibi. Non eſt magnus animus quē incuruat iniuria. F. Quid? tu patrociniū huius arripis? hui' tam merentis? M. Atqui nec tutū, nec decorū eſt quemq́; merentē à quouis, vbiuis, quocunq; tempore vel obiurgari, vel admoneri, vel puniri. F. Honeſta oratio. Sed quãuis tua natura nihil miti' cognouerim, non tuliſſes tamen, credo, tantum, tamq́; inſolens faſtidium. M. Valeat arrogans ille. Cēſen' minus incurrere in odium hominū quoſdam cerebroſos, tetricos, acerbos, iracūdos? Quibus nihil ſatis placet vnquam, quod alius fecerit, vultu nūquam ſunt ſereno, quidquid & quomodocunq; illis dixeris, ſemper reſponſant, perpetuò caſtigant alios, toties conuitiantur, domi, foris, p̄ſentibus aliis, & abſentibus. Nunc deliquit neſcio quid vxor, nunc liberi, nunc ancillæ, nunc ſerui, nunc vicinus, nunc popularis, nunc extraneus. F. Quid ſi quiſpiam iſtis moribus tam inamœnis potius peruerſa quadam aſſuetudine, quam deſtinatò, & nequitià ſit præditus? video certè hoc accidere poſſe. M. Etiã fures & graſſatores aſſuefacti furtis & latrociniis peccant: nihilominus velint nolint, illi laqueo fracta gula, hi rota cõminutis oſsibus vita exturbantur. Vitioſæ conſuetudini nulla prorſus eſt relicta defenſio. F. Non pateris ergo patremfamiliâs aliquē excãdeſcere, aſperius appellare, pulſare etiã ſuos. M. Ego verò patior, ſed iudicio adhibito: vt neq; ſæpe, neq; nimium, neq; paſsim, neq; corã quibuſlibet. Locus, pſona, tempus, aliaq́; adiuncta efficiunt, vt dignū reprehenſione fiat, quod opportunè factū laudari poterat.

rat.

rat. F. Veritatis vis me cogit aſſentiri; ſuperbos & iracundos fugiendos duco. M. Ego inſuper refractarios. F. Deſcribe breuiter horum ingeniū. M. Aliorum voluntati atq; votis in omni negotio reſiſtere, aduerſari, velleq́; contraria. F. O duros & inhumanos. M. Cogitemus pauliſper, quantum iſta tam contumax, & ferrea repugnandi libido ad amicitias conglutinandas momentum afferat. F. Ad amicitias? ad contemptum, ad odium, ad deteſtationem longè maximum. M. Ita eſt Flaui, vt dixiſti. Obiicere enim ſeſe, totisq́; viribus, omniq́; impetu animi alterius voluntatem oppugnare, eius delectamenta impedire, inimicorum eſt officium. Inimicos autem, ſi naturam ſpectes, quis diligat? quapropter illud conſequitur, vt terra mariq́; fugere iſtiuſmodi prauitatem debeamus, ſi nos cæteris charos & iucundos eſſe ſtudeamus. F. De moroſis quoq; verba te facturum opinione præcipio. M. Et hi malè morati non malè poſſunt appellari. F. Vnde hoc nomen adepti? M. Quod ſunt multorum, variorum, & contrariorum morum. Quibus aſsiduè plurima, & facillimè diſplicent; qui ſemper, etiam minutiſsimis in rebus inueniunt quod cauillentur, quodq́; hoc aut illo modo faciendum audacter pronuntient. Aut ita. Moroſus eſt cui non placet id, quod placere debet: vel, qui plus quam oportet, exigit ab aliquo; vel qui non fert, quod ferendum videtur. Senibus familiare vitium, de quibus perquam venuſtè Lucret. in 3.

Poſt vbi iam validis quaſſatum eſt viribus æui
Corpus, & obtuſis ceciderunt viribus artus,

Claudicat ingenium, delirat linguaq́ꝫ mensq́ꝫ,
Omnia deficiunt, atqꝫ vno tempore deſunt.

Rarò quenquam blandè ſalutant moroſi. Rarò aut humaniter colloquuntur, aut placidè aſpiciunt, aut ſedatè reſpondent. Solent item negare ſæpius, quæ ab aliis affirmantur, quod'qꝫ ipſis beneuolè officioſe'qꝫ aut fit, aut offertur ab aliis, id importunè atque inurbanè auerſantur. Saluus ſis mi Paule. Nihil moror ſalutem tuam: non ſalueo. Malo ægrotare, quã eſſe tua ſalute ſanior. Ita quidam de iſta colluuie apud Plautũ. Vt vales, amantiſsime Ioannes? Quid interrogas? valeo ſicut heri & nudiuſtertius. apage. Quin imus ambulatum, & corpus recreamus? Tu ito ſi vis; ambulationem nihil curo. Pro certo nuntiatur Antuerpiam conceſsiſſe iam in poteſtatem Regis. Quis hoc ait? commentum eſt. Dono te iſtoc gladio. Mallem me pecunia donares; retine tibi tuum gladium. Vellem te paucis. Vade in cruciatum, nõne vides me ampliter occupatum? Tuæ crepidæ nimium ſtrident. Hanc literam quam malè pronuncias? crebrò tuſsis, ſæpe rides, domus tremit, & rimas agit, quãdo tu ambulas, ita ambulas. Phui, vt longa tibi barba? non poſſum ferre. Diſertè Horatius ſatyra 3. lib. 1. Tigellium quendam moroſum exprimit, quam'qꝫ diuerſorum morum & inæqualium fuerit oſtẽdit: cui ſimiles alios exiſtimemus licet: eoſdem videlicet, vt Martialis dixit, difficiles, faciles, iucundos, acerbos; vt cum ſine iis viuere non poſsis, tamen non poſsis cum iis viuere. Cantores quidem in hanc turbam coniiciuntur ab eodem. F. Quomodo? M. audi.

Omnibus

Omnibus hoc vitium eſt cantoribus inter amicos,
Vt nunquam inducant animum cantare rogati,
Iniuſſi vt nunquam deſiſtant.

F. Nihil potuit dici credibilius. Moroſum eſt hoc genus hominum, & interdum optima quoq; faſtidit. M. Haud mirum, nimis purgatas ac teretes habent aures, vulgus nō item. Redeamus ad Horatium.

Sardus habebat
Ille Tigellius hoc. Cæſar, qui cogere poſſet,
Si peteret per amicitiam patris, atq; ſuam, non
Quidquam proficeret. Si collibuiſſet, ab ouo
Vſq; ad mala citaret, Iô Bacche, modo ſumma
Voce, modo hac reſonans, quæ chordis quattuor ima.
Nil æquale homini fuit illi: ſæpe velut qui
Iunonis ſacra ferret: habebat ſæpe ducentos,
Sæpe decem ſeruos. modo reges, atq; tetrarchas,
Omnia magna loquēs; modò, ſit mihi mēſa tripes, &
Concha ſalis puri, & toga, quæ defendere frigus,
Quamuis craſſa queat. decies centena dediſſes
Huic parco paucis contento, quinq; diebus
Nil erat in loculis. Noctes vigilabat ad ipſum
Mane, diem totum ſtertebat. Nil fuit vnquam
Sic impar ſibi.

F. Nunquid non hos, vt Plato Xenocratem, iubeamus ſacrificare Gratiis? M. Etiam Zenonem Cittiæum imitari. Is cum natura aſper, intractabilis, & moroſus eſſet, nec tamen morbum ſuum amaret, (quod contra plerique facimus) quo eum expel-

expelleret, vinum moderatè bibiſſe, atq; ita placidus & commodus euaſiſſe dicitur. Aiebat enim, ſimilem ſe eſſe lupinis: illos quippe priuſquam macerarentur acerbos, maceratos verò dulces reddi. F. In vino igitur non ſolum veritas, ſed etiam humanitas. At melancholici propemodum eodem ſunt ordine, quo moroſi. M. ſunt affinia hæc duo, melancholia & moroſitas, idē non ſunt; multoq́; tolerabiliores melancholici, magisq́; pacifici, quam moroſi, quibus nihil eſt aut intolerabilius, aut exoſum magis. Eſt quoddam genus hominum altiſsimis cogitationibus intentum, nunquam pæne apud ſe, audiens non audit, videns non videt. hoc quidem literarum ſtudio conſecratis, & obſcuriſsimarum reconditiſsimarumq́; rerum inquiſitione & contemplatione diſtentiſſimis (vt antiquis philoſophis nonnullis) euenire poteſt, quibus ignoſcēdum eſt. Nihilominus tam hi, quam reliqui, cum mentes ſuas meditationibus implicatas habere volunt, ad vitādam offenſionem ſeiungere ſe ab aliis, aut congreſſu aliorum abſtinere debent. F. Probo conſilium; nemo enim libenter cum iis agat, qui ſeſe in congreſſu conuictuq́; attonitos, & tanquam ſtipites ac truncos præbent. M. Rectè intelligis. Reſtant quidam molliores vel cuniculi capillo, vel anſeris medullula, vel infima auricula: teneri omnino & delicati, quibuſcum verſari oportet quam cautiſsimè, quam blandiſsimè, quam curioſiſsimè. F. Suntne cerei, an lanei, an vitrei, vt lædi, turbari, frangi ſubitò, nulloq́; molimine poſsint? M. Complectar vno verbo; ſunt fœminei. Erras in titulo ipſorum,

rum, mox quaſi in ordinem redacti iraſcuntur, inimicitias indicunt. Minus diligenter eos ſalutas, dolent. Haud ita frequenter eos viſis, mirantur. Non ſummè reuereris, deſpici ſe arbitrantur. Ad quęſita tardius, nec quę ipſis lubet audire reſpondes, iniuria ſe affectos conqueruntur. Non celeriter exequeris quæ cupiunt, non te geris perfectè vt ipſi iudicant, & volunt, cœlum terræ miſcent. Prô diuûm atq; hominum fidem, quid ſtolidi iſti, quid tandem non ægrè ferunt? F. Immodicè profectò ſe amant, & à virilitate longiſsimè recedunt. M. Et quia in ſui ipſorum amore toti ſunt, amare alios non curant, immemores illius: ab alio exſpectes, alteri quod feceris. Quis enim queat amare eiuſmodi homines, quorum gratia tam citò, tam leui de cauſſa amittitur? quis ſeſe tanquam pedibus illorum ſubiectũm velit? F. Recenſuiſti, & depinxiſti homines, quorum ſocietas non immeritò odioſa videatur; arrogantes, cerebroſos, refractarios, moroſos, animo abſentes, delicatos. De moribus inſtituendis plura, cum vterq; otium nactus erit. M. Si placebit, & ſi placuero. Num quid aliud vis? F. Vt priſtinam erga me voluntatem tuam conſerues. M. Iniuriam mihi irrogas, dum iſtuc rogas. Sed quid ais? F. Quid vis? M. Quid ſi perendie ad te reuiſam, vacabíſne? nam mihi decretum eſt quędam agere tecum, quorum tibi nulla nunc quidem incidit ſuſpicio. F. vacaturum puto. M. Hoc volebam ſcire.

ANNOTATIONES.

NOtantur deſcribunturq́ hoc progymnaſmate hominum genera omnino ſex, quorum conſuetudo & ſocietas iniucunda planè, & ingrata ac moleſta eſt, toleratuq́ difficillima; arrogantes videlicet, cerebroſi & iracundi (barbari capitoſos nominant) refractarij, moroſi, attoniti, delicati ſiue nimium ſui amantes. IN DIVERSORIO) Tametſi, diuertere, verbum commune eſt, pertinetq́ ad loca omnia ſiue aliena, ſiue noſtra, ad quæ de via deflexímus, paullò pòſt diſceſſuri; diuerſoriũ tamen appellari non ſolet, quocunq́ diuertimus; aliquid enim habent proprium quo differunt diuerſorium, hoſpitium, taberna, quam opinor cum caupona idem eſſe, &c. Manut. in epiſt. 19. lib. 6. QVA CROTONIATAM MILONEM) Athletæ robuſtiſſimi nomen eſt, qui & in epigram. græcis celebratur. Taurum ictu vno nudæ dexteræ interfeciſſe, per ſtadium humeris portaſſe, vno die totum comediſſe perhibetur. Ita malum punicum tenebat, vt è manu nemo illi extorqueret, aut digitum inflecteret, cum is tamen malum nuſquam læderet. Cum ſemel conſtitiſſet, nemo eum è veſtigio educebat. Lege Crinit. lib. 8. cap. 6. Sed quanquam robuſtus corpore, non tamen animo forti erat. Ælian. lib. 2. cap. 24. De eiuſdem miſerando interitu Gell. lib. 15. cap. 16. XENAGORAM ILLVM) Ælian. lib. 12. cap. 26. quo & alios vinoſos recenſuit. ASSVETVDINE QVADAM) Qui mala & vitioſa conſuetudine officium deſerunt,

runt, ipſimet cauſſa ſunt quare peccẽt, talesq́; ſint; nempe impotentes, iniuſti, intemperantes, vinolenti, &c. αἱ γὰρ περὶ ἕκαστα ἐνέργειαι τοιούτους ποιοῦσι. *Nam quales in quaq; re collocatæ ſunt functiones, tales efficiunt eos qui funguntur. Ariſtoteles lib. 3. Ethic. Cic. 3. Verr. O conſuetudo peccandi, quantam habes iucunditatem in improbis, cum pœna abfuit, & licentia conſecuta eſt. Plutarch. Sympoſ. lib. 5. Quæſt. 7. Omnes animi affectiones ſi diu inhæreant, prauos ingenerant habitus: qui, vbi vim naturæ adepti ſunt, quauis occaſione concitati ſæpenumero etiam inuitos ad familiares impellunt affectiones. Vides meticuloſos etiam ſalutifera formidare: iracundos cariſſimis etiam ſuccenſere; libidinoſos ad extremum ne ſanctiſſimis quidem abſtinere corporibus. Magna enim vis eſt conſuetudinis habitum ad familiarem affectionem deducendi: & qui ad lapſum ſunt procliues, eos neceſſe eſt ad obuia quæque offendere.* SI NATVRAM SPECTES, QVIS DILIGAT?) *Quam variæ magnæq́; vtilitates ex inimicis capiantur; quomodo item eos citra vitium vlciſci conueniat, eruditè, vt omnia, libello quodam Plutarchus nos docuit. Quia tamen inuiti ac nolentes proſunt, gratiam & amorem haud merentur. Sed doctrina Chriſti natura & philoſophia ſuperior, diligere inimicos, & orare pro perſequentibus & calumniãtibus imperat. Et alio loco: ſi diligitis eos tantum, qui vobis benefaciunt, quæ gratia eſt vobis? nonne & Ethnici hoc faciunt?* SENIBVS FAMILIARE VITIVM) *Epigram. lib. 1. titulo* εἰς γῆρας καὶ γέροντας, *incerti auctoris hoc eſt.*

Αμ

PROGYMNASMA DECIMVMOCTAVVM.

Compoſitio corporis inter colloquendum, & conſuetudines ruſticanæ.

ADELPHVS, EVLALIVS.

ADELPHVS. Peruellem, Eulali, ſi eſſet tibi complacitum, quod in Grammaticis, idem in iis præceptionibus inſtitutũ teneremus, quibus morum laudabilium rationes in gymnaſio explicatæ ſunt: vt alter ſcilicet alterum ſuper illis interrogaret; quo & tenacius inhærerent in mentibus quę manſiſſent, & eodem reuocarentur quæ effluxiſſent. E. Bonum & æquum oras Adelphe; tam tua quam mea cauſſa volo. A. Per triduum proximè tranſactum de congreſſionibus diſputatum eſſe ſcis. Quamobrem de iis compẽdio colloquamur, ſi videtur. E. Mihi verò. A. In capite primo partes interrogandi, in reliquis reſpondendi ſumam ego: niſi tu aliud vis. E. Velle tuum volo. A. Quod erat primum? E. Quis totius corporis ſtatus deceret adoleſcentem in colloquio. A. Apud viros auctoritate, grauitate, amplitudine aliqua præcellentes cum ſit aſtandum & loquendum aperto capite, tenendúsne interim ſub axilla pileus? an in manibus haben-

dus ille quidem, circumagendus tamen ſenſim in orbem? an inde villi decerpendi? an puluiſculus decutiendus? E. oh, nequaquam. Iſti agricolarum, & aurigarum ſolœciſmi ſunt. Siniſtra pileum teneat, dexteraq; ad pectus, ſeu vmbilicum quam leuiſsimè admoueatur. A. hoccine modo? E. Hoc ipſo. A. Quid oculi & vultus? E. Amico lumine intuendus, qui cum ſermonem exſequimur, non toruiter, non impudenter, non ferociter. Facies in rubore, proinde vt ſi ſudaret, non abſtergenda, nec aliorſum conuertenda, nec commutanda; verùm in eodem habitu conſtanter conſeruanda. A. Explana hoc. E. Prohibemur iam criſpare naſum, iam frontem nubibus obducere, & conſulcare, iam attollere ſupercilia, iam diſtorquere labra, iam hiare faucibus. A. Qualis animi hæc putas argumenta? E. Ventoſiſsimi, imprimisq; temerarij. A. Quid habes monere de capite? E. Sunt qui illud quietum tenere haud queunt. Sunt qui ipſum quatientes petita negant. Quoſdam videmus eo reducto alios acceſſere. Alios fricare occipitium, vel quatuor digitis, vel vno etiam, quod olim reprehenſum eſt in Pompeio, vt mea eſt memoria. Horum nihil committendum; vt neq; adducendi humeri, agitanda brachia, quaſi muſcas abigeremus, neque digitis exercendæ argutiæ, vacillandúmue pedibus, ſed in veſtigio primo conſiſtendum. A. Supereſt de tuſsi & ſcreatu. E. Quod neceſsitas non coegerit, vitandū eſt; obturbantur enim loquentes. A. Si inter amicos, ſodales ac familiares de vtilibus honeſtisq; rebus ſit introductum colloquium,

quium, an me tum ibi obdormiſcere deceat? E. Niſi hoc deceat, præbere opinionem iſto facto, quaſi præſentes in contemptionem nobis venerint, & ipſorum ſermones cum aſpernatione audiamus. Largiter quoſdam in eo, vſq; ad ronchos delinquẽtes obſeruaui, quibus item ſaliua in barbam defluebat. A. In conſeſſu confabulantium quid aliud cauendum? E. Ne exſurgamus, & interea per conclaue inambulemus. A. quid præterea? E. Ne corpus iterum iterumq; commoueamus, & nunc quidem in hoc, ſtatim in aliud nos latus conuertamus. Ab agro etiam ſunt, qui eo ipſo tempore, ſi quam ſecum ferunt ad ſe conſcriptam epiſtolam, educunt è marſupio, & in conſpectu omnium taciti legunt; quíque cultello vngues præſecare non erubeſcunt; veluti ſi aut nemo adeſſet, aut qui adſunt, caules aut fungi eſſent. A. Ad cætera delabamur. Tu interroga. E. Immò tu interroga. A. Reſpondere iam malo. E. Non luctabor tecum, interrogabo.

ANNOTATIONES.

REPREHENSVM EST IN POMPEIO) *Plutarch. lib. de vtilit. ex inimicis cap. vbi monet, cum probrum falſum obiectum fuerit, vt inquiramus quibus ex cauſſis eiuſmodi maledictum ſit natum: deinde caueamus metuamusq;, ne quid imprudentes deliquerimus vel affine, vel ſimile ei quod obiicitur. Lacides, inquit, Argiuorum Rex, ob comam compoſitiorem, & inceſſum delicatiorem vulgò malè audiuit, veluti mollis*

& effœminatus. Idem accidit Pompeio, propterea quod vno digito ſcalperet caput, quum à mollitie & laſciuia longiſſimè abeſſet, etc. Quindecim leges hoc dialogo datæ ſunt. De pileo vbi caput nudaueris non ruſticè tenendo, de dextera, de oculis, de facie, ſiue de vultu, de capite, de humeris, de vtroq; brachio, de digitis, de pedibus, de tuſſibus & ſcreatibus, de ſomno vitando, de non exſurgendo, & ambulatione, de corporis quieto ſtatu, de non legendis epiſtolis, de vnguibus eo tempore non præſecandis. Horum pleraq; ſæpius ab annoſis perpetrari videas.

PROGYMNASMA
DECIMVMNONVM.
Honores quibus, & qui.

IIDEM.

EVLALIVS. Quid poſthæc docebamur? A. Quibuſnam hominũ ordinibus in omni aditu, congreſſione, occurſuq;, & qualis quãtusq; honor tribuendus. E. Quibuſnam ergo? A. Sacerdotibus ac Religioſis. E. Hiſce ante omnes? A. Ante omnes. E. quapropter? A. Sunt enim Deo Opt.Max. dedicati, cui ſtudioſius miniſtrant, ſolliciteq; inſeruiunt. Dei autẽ famulis qui neget præ aliis obſeruantiam honoremq; deberi, propter eundem Deum videlicet, quem in ipſis diligimus veneramurq;, is non eſſe in poteſtate mentis videatur. E. Si fuerint potores, aliisq; flagitiis cooper-

cooperti, quales hiſce triſtiſsimis extremisq́ temporibus non pauci inueniuntur? A. Deus, & amplitudo, ſanctitudoq́ muneris quod procurant, non ipſa perſona quæ ſe ſcelere adſtringit, ante oculos ſtatuenda eſt. Illa ſuam dignitatem retinent ſemper; hæc turpis, infamiæq́ maculis notata atq́ inuſta eſſe poteſt. E. Quibus exemplis ad rem illuſtrandam vtebatur? A. Conſtantini Magni, D. Franciſci, & aliorum. E. Strictim de illis duobus. A. Auguſtus ille, Imperatorum Chriſtianorum ſignifer, cum in Concilio Niceno vltimus inter Epiſcopos aſſediſſet, eorumq́ libellos accuſatorios accepiſſet, omnes nondum lectos ſimul in ignem abiecit. Vos ſacerdotes, inquit, tanquam dij ad homines gubernandos delecti atq́ conſtituti eſtis. Ite igitur, cauſſasq́ veſtras inter vos diiudicate. Eiuſdem eſt. Si quempiam ſacerdotem peccantem offenderem, chlamyde mea operirem, ne ab aliis conſpiceretur. D. autem Franciſcus dicere ſolitus eſt: ſi cui beatorum è cœlo delapſo, & cum aliquo ſacerdote ambulanti occurreret, prius ſe ſacerdotis manum oſculaturum, deinde beato illi honorem habiturum. ſuo prætere exemplo quanta eſſet ſacerdotij præſtantia oſtendit, cum, vt eo inaugurararetur, induci nunquam potuit, diaconiq́ nomen & locum tenere vſquē ad occaſum vitæ perſeuerauit. E. æternæ memoriæ commendandum facinus. Secundum hos qui honore proſequendi? A. Parentes, cuius rei & natam, & ſcriptam à Moyſe legem habemus. Per eos quippe dias in luminis oras exorti, hoc cœli ſpiritu fruimur, & homines, id eſt, ani-

mantia rationis,& conſilij plena procreati ſumus. E. Immenſum vtique, immortaleq́; beneficium. Qui tertium gradum obtinent? A. Præceptores. E. quare? A. Ex animo & corpore coagmentamur: atque vt parentes corpus iſtud caducum ac diſſolubile, ita hi animum ſempiternum, omnis ſcientię capacem progignunt quodammodo, nobisq́; inſerunt, dum ipſum literarum virtutumq́; præceptis diligenter excolunt & informant. E. Quid de Alexandro? A. Plus ſe Ariſtoteli magiſtro, quam parenti Philippo debere: quod ab hoc quidem accepiſſet vt eſſet, ab illo autem vt bene eſſet. Quocirca non immeritò lætitia magna elatum Regem illum, ſibi Ariſtotele ſuperſtite filium eſſe natum, cui eum concredere erudiendum poſſet. E. Quid vult illud, bene eſſe? A. Literatum eſſe, quando vita ſine literis mors eſt dicenda potius, quam vita. E. Et hîc Auguſtorum exempla producta recordor. A. Antoninus magiſtrorum ſuorum imagines aureas domi habere, eorum ſepulchra floribus conſpergere ſolebat. Gratianus Valentiniani filius Auſonium conſulem creauit, cui in Galliam ſcripſit in hæc verba. *Cum de coſſ. in annum creandis mecum ſolus volutarem, vt me noſti, atque vt facere debui, & te velle ſciui, conſilium meum ad Deum retuli. Eius auctoritati obſecutus, te conſulem deſignaui, declaraui, & priorem nuncupaui. Trabeam palmatam tibi miſi, in qua D. Conſtantinus pater noſter intextus eſt. Solui quod debui, & adhuc debeo quod ſolui.* E. Quomodo quæſo debet aliquis quod ſoluit? an hoc non eſt incredi-

credibile & abſurdum? A. Non eſt, Eulali, ſi gratias infinitas debeat, vt debere ſe hic ſapientiſsimus Imperator adoleſcens iudicabat. Legerat, credo, illud Ariſtotelis: diis, præceptoribus & parentibus pares gratiæ referri nunquam poſſunt. E. Quî omnium dictorum tam pulchrè meminiſti? A. Sollicitam dedi operam, ne elaberentur animo, ſententiam in ſchedas confeſtim retuli ex ore magiſtri, poſt ſæpe mecum reuolui. E. Iam quos nominabis? A. Senes, quos & ſanctæ literæ honorare iubent. E. Iurè, multa enim ſenes tempus docuit, quod, vt auferat cætera, prudentiam quidem certè affert. A. Sola mens ſeneſcens iuueneſcit, ſcriptum eſt apud Plutarchum; & tempus cum adimat alia, ſenectuti apponit ſcientiam. E. Nihilominus verè Plautus: non ætate, verùm ingenio adipiſcitur ſapientia. A. Et Seneca ille morum vitiorumq; publicorum & deſcriptor veriſsimus, & accuſator acerrimus, libro de Tranquillitate animi, haud omnes ſenes honorandos inſinuat, cum ait. Nihil turpius eſt, quam grandis natu ſenex, qui nullum aliud habet argumentum, quo ſe probet diu vixiſſe, præter ætatem. Nec omnibus, quibus corpus annis infirmum, ingenium ſapientia validum eſt; ſtulti, ſtolidi, fatui, fungi, bardi, blenni, bucones multi inter ſenes. E. Qui ſuperſunt? A. Nobilitate generis illuſtres, qui cum imperio & poteſtate ſunt, ampliſsimóque magiſtratu præditi, qualeſcunque, ſeu boni, ſeu mali, de quibus & in Apoſtolicis ſcriptis mandatum accepimus. E. Poſſumúſne pares & inferiores honore honeſtare ali-

quo? A. Maximè immò, tametſi ad id nulla lege adigimur. Laudabile ſiquidem, & honorificum Chriſtianis eſt, audire ſuadentem Paulum: honore inuicem præuenientes. Fit autem quiſque, dum minores honore proſequitur, non ipſe minor, ſed maior potius; quia modeſtiæ, ſummiſsionis, ciuilitatisq; ornamenta ad cæteras virtutes ſuas adiungit. E. Doce nunc quinam, & quantus honor iſtis omnibus impēdendus quos protuliſti. A. Honeſtiſsima pars corporis noſtri, caput, inquam, reuerenter nudanda. E. Teneo. Quid poſtea? A. Poplites incuruandi aliquantum. E. Amplius? A. Aſſurgendum. E. Adhuc? A. de via decedendum. E. Nihil aliud? A. Si vnà ambulandum, locus dexter illis relinquendus, & medius, ſi plures duobus ingrediamur. Quidam ſolent etiam manus ſuas honoris ipſorum cauſſa oſculari, quod ab antiqua deos venerandi adorandíque conſuetudine profluxit. E. Tu velim deinceps interrogantis perſonam ſuſcipias: ego reſpondentis recipiam. A. Tuo verò id quidem arbitratu, mi Eulali.

ANNOTATIONES.

PROPTER EVNDEM DEVM VIDELICET) *Legendum emblema 8, Alciati.* NON TIBI, SED RELIGIONI, *& in idem Claudius Minos. Diuus Gregorius Magnus Homilia in Dominicam tertiam poſt Pentecoſten. Seruus ſum ſummi patrisfamiliâs. Cum vos admoneo ad contem-*

contemptum ſæculi, inuitare vos venio ad cœnam Dei. Nemo me propter me hoc in loco deſpiciat. Sæpe euenit, vt perſona potens famulum habeat deſpectum: cumq́; per eum ſuis fortè, vel extraneis aliquid mandat, non deſpicitur perſona loquentis ſerui, quia ſeruatur in corde reuerentia mittentis domini: nec penſant qui audiunt, per quem, ſed quid, vel à quo audiant. De honorandis porrò patribus, ſacerdotibus, ſenioribus, eruditis, præceptoribus, magiſtratibus multa Mapheus lib. 4. cap. 4. 6. 7. 8. 9. 10. *Apud maiores, ait Gellius lib. 2. cap. 15. neque generi, neq; pecuniæ præſtantior honos tribui, quam ætati ſolitus, maioresq́; natu à minoribus colebantur ad Deûm prope, & parentum vicem, & quæ ſequuntur.* LÆTITIA MAGNA ELATVM) *Epiſtolium eſt apud Gellium lib. 9. cap. 3. Latinum (vt quidem Gellius cõuertit) adſcribemus. Filium mihi genitum ſcito, quod equidem diis habeo gratiam: non proinde quia natus eſt, quam pro eo, quod eum naſci contigit temporibus vitæ tuæ. Spero enim fore, vt eductus eruditusq́; abs te, dignus exiſtat & nobis, & rerum iſtarum ſucceſſione.* NON ÆTATE, VERVM INGENIO) *Titulo 16. lib. 1. in ſenectutem & ſenes, elegans & ſententioſum eſt epigramma Philonis. Canos, ſi adſit prudentia, dicit venerabiles fore. Nam ſi ea deſit, magis turpem quam honeſtam videri canitiem. Et capillos albos, ſi taceas, exiſtimari poſſe indicium intelligentis animi. Sin loquaris, tum non magis arguere prudentiam in ſenibus, quam iuuenibus.*

Αἱ πολιαὶ σὺν νῷ γεραρώτεραι. αἱ γὰρ ἄτερ νοῦ
μᾶλλον τῶν πολλῶν εἰσὶν ὄνειδος ἐτῶν.
Αἱ τρίχες ἢν σιγᾷς εἰσὶ φρένες. ἢν δὲ λαλήσῃς,
ὡς αἱ τῆς ἥβης, οὐ φρένες, ἀλλὰ τρίχες.

APOSTOLICIS SCRIPTIS) *Paul. ad Rom. 13. ad Hebræos item 13. Petrus ep. 1. cap. 2.* LOCVS DEXTER ILLIS RELINQVENDVS) *Dexter, an ſiniſter locus veteribus honeſtior fuerit, quæri poteſt, & quæſitum à Lipſio Elect. lib. 2. cap. 2. probatumq́ dextrum viſum potiorem.* MANVS SVAS HONORIS IPSORVM CAVSSA OSCVLARI) *Hic mos oſculandæ manus cum potentes ac fortunatos ſalutamus, aut honorem ipſis habere volumus, ab antiquorum deos multos colentium ridicula & impia ſuperſtitione promanauit. Cum enim fanum aliquod præterirent, aut ligneum lapideúmue Deum aliquem aſpicerent, manum ad os referebant, tenuiq́ murmure eos precabantur, vt ſibi fauerent. Cuius meminerunt Minutius Felix in Octauio, Apuleius Apolog. 1. Plinius lib. 28. cap. 2. Hieronymus Apolog. 1. in Ruffinum. Vide Muretum lib. 10. cap. 1. Pithœi aduerſar. lib. 1. cap. 7. Eodem modo aſtra, quæ in diis numerabant, venerabãtur. Hinc illud Iobi cap. 31. Si vidi ſolem cum fulgeret, & lunam glorioſè incedẽtem, & deceptum fuit in occulto cor meũ, & oſculatum eſt manũ meam os meum. Id eſt; ſi vidi ſolem & lunam, & manum meam admoui ad os meum. Vt ſi diceret. Si cum vidi ſolem & lunam, adoraui ea,*

manu

manu videlicet admota ori, atque ad oſculum relata. In quem locum videndus D. Hieronymus.

PROGYMNASMA VICESIMVM

Epitheta, ſeu tituli.

IIDEM.

ADELPHVS. Quæ de titulis, vt à pleriſque vocantur, audiuimus, itera ſummatim. E. Hoc primum. Inter loquendum crebrius admiſcendos, quando ea res nos in gratiam ponit: gaudet enim quiſq; ſe honorificè appellari, & quomodo nos ignominia appetentibus non bene, ſic viciſsim honore augentibus naturà optimè cupimus. A. Ita vt memoras. Quotuplices ſunt tituli? E. Duplices. A. cedô. E. Peculiares & communes. A. Enumera communes. E. Qui literas tractant, audient à nobis, viri eruditiſsimi, doctiſsimi. Sacerdotes & monachi, religioſiſsimi, aut reuerendi Patres. Qui ſunt æquales nobis ætate, genere, fortunis, amici appellabuntur, & nõnunquam fratres. Ignotis dominorum nomen impertiemus. A. Atqui apud veteres hoc verbi in reprehenſione erat, & tyrannum quaſi ſonabat; proditumq; literis eſt, Auguſtũ & Tiberium dominos ſeſe nominari vetuiſſe. Declarant etiam voces; dominari, dominatus, dominatio, quæ ſæpe in malam partem ponuntur, quænam vis & pote-

poteſtas illi vocabulo ſubiecta aliquando fuerit. Odiosè item ſonant rex, regnum, regiè & regnare apud Tullium. E. Cum alios dominos hodie, & nos alicuius ſeruos nominitamus, ſciendũ Græcorum Latinorumq́; , qui multis abhinc ſæculis vixerunt nos conſuetudinem retinere; apud quos in omni congreſsione, in ſcriptis quoq; nihil his duobus ſimilibusq́; vocabulis tritius atque vſitatius. Quò factum, vt iam veluti herbæ in aquam iniectæ, diutiusq́; maceratæ ſuam amaritiẽ exuerint: verendumq́; interdum, ne dum nimis, & in omnibus Ciceroniani eſſe nitimur, à prudentioribus imprudentes, inepti ac ruſtici numeremur. A. Doctè obiecta ſoluiſti. Quos vocas titulos proprios? E. Quoſdam voco proprios, nõ ita tamen, quin adhuc ad communitatem ſint idonei: quorum certi Epiſcopis tribuuntur. A. Quinam illi? E. ampliſsimi, ſanctiſsimi, integerrimi, vigilantiſſimi, religioſiſsimi Antiſtites, Præſules, Pontifices. Certi deinde magiſtratibus, vt Conſulibus, quos licebit dicas prudentiſsimos, ſapientiſsimos. Vt Iudicibus, quos dicemus incorruptiſsimos, ſanctiſsimos, integerrimos, æquiſsimos, iuſtiſsimos. Alij artium ingenuarum magnarumq́; cultoribus & profeſſoribus, vt Theologis, Oratoribus, Poëtis: primi grauiſsimi, ſecundi eloquentiſsimi ſeu diſertiſsimi, poſtremi nobiliſsimi, clariſsimi nominabuntur. A. Pater, mater, fratres & ſorores? E. Pater optimus & amantiſsimus; mater ſuauiſſima, & dulciſsima; fratres & ſorores amantiſsimi, chariſsimi, optatiſsimi. Illud tamen ignorandum non eſt, epitheta quædam eſſe perpetua, vt

curuum

cúruum de littore (omne enim littus curuum, & ſemper) album de lacte, viridis de ſmaragdo: quale vult Seruius eſſe illud apud Maronem ecloga 3. iniuſta nouerca. certè perpaucos adhuc extitiſſe puto, qui nouercas commendarint, iuſtasq́ꝫ & clementes ſibi cognouerint: quædam temporalia, quæ non ſemper, ſed quandoqꝫ ſubſtantiuis ſuis conueniunt, vt pudica, bona de muliere, graue, ſalubre, ſerenum de cœlo. Sic nos, cum in epithetis alicuius ordinis hominum id inueniemus, à cuius ſubiecta notione req́ꝫ ipſa procul quiſpiam abeſt, non id, verùm alia ex eadem ſerie ipſi tribuemus. Antiſtitem cõſueſcentem cubilibus flagrantemq́ꝫ infamia cur aut integerrimũ, aut ſanctiſsimum potius falsò, quam ampliſsimum, reuerendiſsimum verè compellem? Regem ardentem auaritia cauebo dicere munificentiſsimum, beneficentiſsimũ, quamuis ſic quoqꝫ reges ſciam nominari: inclytum, magnanimũ, aliiſue in eum cadẽtibus appellabo. A. Quæro iam, hæc adiuncta ad nomẽ, ſeu appoſita, vt à Cicerone & Quintiliano, ſeu epitheta, vt paſsim à doctis vocantur, vtrum in abſtracta (vt Grammatici loquuntur) mutare poſsimus. E. Quid ni? A. Exempla requiro. E. Iuua me conſilio vir ſapientiſsime, ſic mutabo: iuuet me conſilio ſapientia tua. Sic, tua nobilitas, moderatio, bonitas, eruditio, & alia infinita poſitiuis & ſuperlatiuis quaſi quandam vicariam dabunt operam. A. Quomodo epithetis elegantibus, ac propriis abundabimus? E. Si & libellum Ciceronianorum epithetorũ ſæpe verſabimus, & multa inſuper, præſertim coniuncta,

quæ

quæ Nuneſius magnam partem præteriit, ipſimet diligẽtia ſtudioq́ noſtro è Ciceronis monumentis excerpemus, atq; in locos certos digeremus, idq́; cum in propriis, tum in appellatiuis nominibus. Veruntamen illa his ne permiſceantur. Obtineãt ſuas paginas ſeorſim propria, ſuas item appellatiua, & ordine alphabetico vtraque colligantur. A. Coniunctorum illorum in vtroque genere exempla vellem afferres. E. Sic faciam. Socrates parens philoſophiæ, princeps philoſophorum, præſtans vir virtutis & ſapientiæ gloria. Plato ſapientiſsimus Græciæ vir, longeq́; doctiſsimus. Ariſtoteles ſingulari vir ingenio & pæne diuino. Pythagoras locupletiſsimus auctor. Pompeius omnium ſæculorum atque gentium princeps. Vir abundans bellicis laudibus. Epaminondas princeps Græciæ. Huiuſmodi non in ipſos tantum valebunt, quibus à Tullio apponuntur, verùm etiam in alios; doctorum in doctos, Imperatorum atq; ducum in Imperatores & duces, virorum bonorum in bonos viros, fœminarum in fœminas. Quod autem de laudationis, idem de vituperationis epithetis intelligamus, quæ pari ratione obſeruanda, cõquirendaq́; ſunt. A. Num hoc in aliis prętera ſcriptoribus licebit? E. Prorſus, in illis ſcilicet, qui vel ſæculo Tulliano æuum tolerarunt, vel non multò poſt. Item è Chriſtianis, & noſtræ ætatis, qui ad excellentiam Ciceronianam aſpirare contenderunt, quos nominarem, niſi omnibus eſſent notiſsimi. A. Narrabat Magiſter, ſe adoleſcentem è Lactantio Firmiano libellum epithetorum ſibi confeciſſe, quo ſcri-

ptore

ptore tum plurimum propter claram pollentemq; facundiam fuiſſet delectatus. Proferebat exempla quæ mihi exciderunt. E. Nec ego omnium, multorum tamen recordor. A. Redige mihi in mentē, niſi moleſtum eſt. E. Prius monebat, ſe etiam periphraſes, antonomaſias epithetorum nomine, à quocunq; auctore ſumerentur, comprehendere; ſiue id Grammatici æquo, ſiue iniquo ferrent animo. A. Nil moramur Grammaticos. E. Quam pulchrè de Deo? Illa ſumma rerum poteſtas, ac diuina vis. Æterna mens, & ex omni parte perfectæ conſummatæq; virtutis. Communis parens generis humani, & rerum mirabilium fabricator. Ille præſes mundi, & rector vniuerſi. Sancta & ſingularis illa maieſtas. De Chriſto. dux communis, & magiſter hominum. Legatus, nuncius, & ſacerdos ſummi patris. Omnium iuſtorum caput. De M. Tullio, quem mirabiliter ſuſpicit, Romanæ philoſophiæ princeps. Vir ſapientiſsimus. Romanæ linguæ ſummus auctor. Perfectus orator. Summus philoſophus. Qui ita ſtuduit philoſophię, vt nullus vnquam diligentius. Vir ingenij ſingularis. Eloquentię ipſius vnicum exemplar. De Epicuro. Homo, quo ſano & vigente nullus æger ineptius delirauit. Turpiſsimæ voluptatis aſſertor. De Diabolis & diabolo, impuri, immundi, inquinati ſpiritus. Malorum quæ geruntur auctores. Perditores hominum. Spiritus contaminati ac perditi, nequiſsimi. Inimici & vexatores hominum. Hoſtes humani generis. Machinator omnium malorum, Ille colluctator & aduerſarius noſter. Diuini nu-

minis

minis ſemper inimicus. A. De hæreticis etiam quædã adducebat. E. Pulcherrima. Verbi cauſſa. Delira capita. Oblatrantes atq; obſtrepentes veritati. Cæci & hebetes, ac rerum & veritatis ignari. Et ſuarum & alienarum interfectores animarum. Qui prauis religionibus inſtitutis auertunt homines ab itinere cœleſti, & in viam perditionis inducunt. Eorũ libros vocat ſacrilegas literas. A. Multa ſatis meminiſti; ad Ciceronem reuertamur, è quo exẽpla appellatiuorũ exſpecto. E. Homines ſeu viri ſumma grauitate, ſummaq; cõſtantia, virtute, fortuna, gloria, reb9 geſtis ampliſsimi. Ciuitatis ſuæ nobiliſsimi. Egeſtate & ſcelere perditi. In ſtupris inauditis nefariisq; verſati. Singulari cupiditate, audacia, ſcelere præditi. Tetræ immanesq; belluæ, funeſti latrones, proditores ac vexatores Reipub. peſtes ciuitatis, turpiſsimi & improbiſsimi ciues, fatalia portenta prodigiaq; Reip. parricidę patrię. Adoleſcẽtes rectiſsimis ſtudiis atq; optimis artibus præditi. Incredibili ac diuina quadam mente atq; virtute. Clariſsimi atq; omnium præſtantiſsimi. Inprimis inter ſuos honeſti ac nobiles. Sunt alia quàm plurima tum ad laudem, tum ad reprehenſionem pertinentia, ex quibus in iſtis libellis epithetorum pauca cernas. Parui autem refert, multa horũ de Catilina, Clodio, Antonio, Verre, Piſone, aliisq; huiuſmodi mõſtris, & de Pompeio, Lentulo, aliisq; viris optimis à Tullio dici: poterũt enim à nobis & de propriis, & de non propriis rectè eleganterq; vſurpari. Atque hæc ferè iſtoc triduo, quę hactenus breuiter à nobis repetita ſunto.

ANNOTATIONES.

AVGVSTVM ET TIBERIVM) *De Auguſto hunc in modum Sueton. cap. 53. Domini appellationem, vt maledictum & opprobrium ſemper exhorruit. Cum ſpectante eo ludos, pronunciatum eſſet à mimo. O dominum, æquum & bonum: & vniuerſi quaſi de ipſo dictum exſultantes comprobaſſent: ſtatim manu vultuq́ indecoras adulationes repreßit, & inſequenti die grauißimè corripuit edicto: dominumq́ ſe poſthac appellari, ne à liberis quidem aut nepotibus ſuis vel seriò, vel ioco paſſus eſt: atq́ huiuſmodi blanditias etiam inter ipſos probibuit. De Tiberio autem cap. 27. Dominus appellatus à quodam, denuntiauit, ne ſe amplius contumeliæ cauſſa nominaret. Lege Notas Mureti ad ep. 3. Senecæ, & Torrent. in Sueton. Domitianum ferunt primum fuiſſe, qui ſe dominũ appellari pateretur. Et Plinius Traianum ſic appellat in epiſtolis. Obſeruanda & in hoc, & in aliis multis veterũ Imperatorũ moderatio.* VT REX, REGNVM, REGIE) *Tametſi adoleſcẽtes facilè inuenturi ſint exempla & harum vocũ, et illarum, dominus, dominatus, dominari, tamẽ aliqua nihil obeſt adducere. In Verrem. Dominationẽ exſpectant, rerum potiri volunt. Pro domo ſua. L. Brutus populum Romanum dominatu regio liberauit. Pro Milone. Quo (Milone) interfecto ſe regnaturum putabat. 2. Philipp. Quem negant regẽ, qui eius, &c. loquitur de Iulio Cæſare, quem aliâs tyrannum vocat liberrimè. Catil. 2. Si in hunc animaduertiſſem,*

crudeliter & regiè factũ eſſe dicerent. P.Scipio, vt prodiderunt memoriæ Polybius et Liuius, cum in victoria magna ab Hiſpanis rex ſalutatus eſſet, id nomẽ Romæ intolerabile eſſe dixit. Vide plura apud Victor. lib.6. ca.4. A PRVDENTIORIBVS IMPRVDENTES, INEPTI) *De ſtultitia quorundã, qui ſe Ciceronianos nominant, è re tua magnopere futurũ cenſeo, ſi legas cap.1. lib.15. apud Muretum. Sanè rigidus, & ad vnguem Ciceronianiſmus in rebus religionis ſacrorumq́ noſtrorũ declarandis eſt in reprehenſione ponendus, de quo nonnulla ibidẽ Muretus. Quibus autem barbaries et ſolœciſmi in diuinis libris vehementius diſplicent, eos oratione grauiſſima & acerrima perſequitur Arnobius lib.1.* QVI NOVERCAS COMMENDENT) *De odio nouercali lege titulũ 50. lib.1. Epigram. græcorum, in nouercas. Ex illo autem quod primo epig. narratur (tria enim ſunt) de ſtatua nouercæ tumulo impoſita, quæ in priuignum ſeſe coronantem illapſa mortem ei attulit, natum fortaſſe prouerbium:* γυναικὶ μὴ πίστευε μηδ' ἂν ἀποθανῇ. *Ne fidem habeto fœminæ, vel mortuæ.* E CHRISTIANIS, ET NOSTRÆ ÆTATIS) *Humanioribus, hoc eſt, litteris iis quæ ab humanitate nomen trahunt, probe inſtructis non eſt ignotum quos intelligam. Sigonios vtiq́, Muretos, Lambinos, Victorios, &c. De antiquis autẽ principem ſtatuo Lactantium, qui ætatis ſuæ Chriſtianorũ Cicero prædicari iuſtiſſimè potuit. Magiſtrum certè Arnobium, ipſum quoq́ diſertum in primis & ornatum lactea fandi copia poſt ſe reliquit.*

PROGYM-

PROGYMNASMA VICESIMVMPRIMVM.

Quales in ſermone.

PORPHYRIVS, AGAPIVS.

PORPHYRIVS. Sermonem noſtrum Agapi, qualem vult eſſe doctor noſter? A. Minimè feſtinum & præcipitem: vt cum animo voluamus ac reputemus prius, quam vocem edamus, ne lingua mentem anteuertat. Hoc Iſocratis eſt. Bene Diogenes, duas aures & vnicam linguam homini datam, vt plus audiendum ſibi quam loquendum ſciret: quod qui in loquendo celeres & expediti ſunt, nequaquam faciunt. P. Mihi quoque, qui meditatò & conſultò non loquuntur, quaſi abortioni dare operam, ſeu fœtus effundere inchoatos magis quam perfectos vidētur. quibus neceſsitas imponitur ſæpius ſe excuſandi, dicendiq́; ignoſce mihi, erraui in hoc. Aliter eſt. Immò ita volebam. Sic potius dicendum erat, & his demum conſentanea. Auguſtus Imp. neq; in ſenatu, neq; apud populũ, neq; apud milites vnquam niſi meditatus verba feciſſe dicitur: de quo etiam literis proditum eſt, grauiores ſermones, cum ſingulis habendos ſcribere, ac de ſcripto recitare ſolitum. A. Oportet adhæc ſermonem diſtinctum, & explanatum eſſe, vitareq́; (quantum per naturam concedetur) battariſmum. Humanitate item

refertum, qualis non eſt moroſorum, iracundorum, aliis ſtudioſè contradicentium, libenter rixantium, omnia maledico dente carpentium. horum verò oratione nihil poteſt reperiri inhumanius, iniucundius, acerbius. P. Ad hoc ipſum caput pertinere ſentio, emendare vocem raucam, aſperam, & ſtridulam; quoniam vehementer eſt ingrata. Et balbum aut raucum nolim frequenter loqui. Neque probo quoſdam, qui ita vocem tollunt, vt ſi præcones eſſent, atque edictum promulgarent: & illos contrà ſimiliter parum duco laudabiles, qui eam tantopere ſummittunt, vt audiri ægrè poſsint. A. Si quis primò verba mea non perceperit, ſintq́ ea mihi iteranda, nonne elatiore vtar voce? P. Res ipſa monet. Cauendum tamen ne vociferere, vt ſi illa neceſſaria iteratio ſtomacho tibi eſſe videatur. A. Pro certo nouerim aliquid falſum, & vt Plautus ait, nuſquam neque pictum neque fictum, neque ſcriptum, quomodo alium vel citra offenſiunculam, vel citra odium redarguam? P. Perutilem doctrinam hoc loco, à me ex ore doctiſsimi viri hauſtam, tecum communicabo. Aſſueſcendum verbis modeſtis, gratis & iucundis, in quibus nullus inſit aculeus, nulla inurbanitas, nulla bilis, nulla offenſio. A. Difficilè hoc quidem factu, iis potiſsimum, quorum natura eſt incitatior. P. Difficilia & laborioſa omnia, quæ honeſtate & excellentia quadam copulata ſunt; vincit tamen ac perrumpit difficultates etiam maximas conſuetudo. Quando igitur audimus, quod veremur, ne non ita ſe habeat, dicamus

eamus nos dubitare. Fieri nihilominus poſſe vt aliter ſit. Cogitemus, Petre, diligentius num verum ſit. Non poſſe nos in præſentia omnino credere: libenter aſſenſuros, credituros cum rem exploratius cognouerimus. Quin, ſi conſtabit falſum prorſus eſſe quippiam, his ipſis modis adhuc vtemur, & ſimilibus; non, vt agreſtes quidam, impudentes & imprudentes: Mentiris; hoc non eſt verum; eſt falſiſsimum. Si hoc verum eſt, dabo tibi caput meum. Talibus dictis tam audacibus, & lutulentis aures animosq; vulnerari quis non videt? Si perſona honorata fuerit, illa ipſa ſuperiora cum præfatione veniæ proloquemur. Ignoſce mihi, pace tua, tua bona venia dictum ſit. A. Quid in cauſſa eſt, cur iſti ſupra abs te recenſiti modi non offendant? P. Quoniam excuſari quempiam in eo, in quo ipſum fas ſit reprehendere, eſt amabile. A. Vt vitia noſtra occultari, laudes publicari plerique omnes cupimus? P. Si nos quiſpiam in fraudem deduxerit, promiſſa non præſtiterit, dicemus putare nos, ipſum impeditione curarum non potuiſſe negotij veritatem perſpicere; aliquid nec opinatò illi fuiſſe obiectum; aut certè quam leniſsimè ac molliſsimè hominem caſtigabimus, vt ille gaudeat obiurgatione potius, quam doleat. Errorem item amici communem ſibi facere, ac tum demum admonere ipſum & caſtigare, manſueti animi officium eſt. Fallimur, mi Iacobe, fallimur vehementer. Hem quînam iſtuc obliti ſumus? O nos incogitantes. Diſcedamus tãdem ab iſta pertinacia. Imitemur Xenocratem, & certũ tempus diei, vt aliis

negotiis, ſic etiam ſilentio demus; ne continenter fabulemur. A. De interpellationibus velim te nonnihil verborum facere. P. Sunt quidã adeo verborum fundendorum cupidi ac ſitientes, vt in medio curſu orationis alios reſiſtere cogant, ipſiſq; tanquam bolum è faucibus eripiant. Accipe ſapiẽtiſsimi Plutarchi monitum lib. de Audit. Adoleſcens dicentem audiens ne perturbet, neq; ad ſingula elatret. Sed etiamſi oratio non probetur, ſuſtineat tamen, & exſpectet, dum ille finẽ loquendi faciat. Efferuntur iracundia, quibus hanc irrogamus iniuriam: quod toties contingit, quoties volũtati ac deſiderio alicuius, quamuis parua in re impedimentum ac remorã inferimus. Ego, exempli cauſſa, oſcitare incipio, tu deimprouiſo os mihi opprimis: iraſcor tibi: Et tamẽ leue quiddam, ac pæne nihil eſt oſcitatio. Suſtuli dexteram ad iaciendum lapidem, tu repente brachium retines; cumulatur ira cor meum. Quod ſi vel in ioco atque ludo nemo ſine morſu aliquo doloris impeditur, multò amplius in oratione, præſertim ſeria, curſum ſuum præpediri atq; interrumpi indignabitur. Quocirca commemorante quopiam, aut explicante rem aliquam, parcamus ita erumpere: iam ſcio, intelligo quorſum tendas, omittis hoc. A. Nihil iſtac animaduerſione tua ſapientius. Vetus eſt: quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. Hoc ſi alibi vſpiam, hîc profecto valet. P. Id magis dices, cum audieris omnia, quæ eodẽ ſpectant. A. Quæ ſunt? obſecro. P. Si quis tardior fuerit in loquendo, non erit anteuertendus. Si indiſertior, non erunt ei tanquam mendico verba

ſuppe-

ſuppeditanda: ſequitur enim perturbatio & alienatio, eorum maximè, qui ſe non indiſertos arbitrantur. A. Vitioſum hoc quidem & barbarum, vſitatum tamen, vt alia complura, quæ morum grauitati honeſtatiq́; aduerſantur. P. Vide ne tu etiam me interpelles, idq́; agas, quod iam dudum mecum reprehendis. A. Tacebo, loquere continenter. P. In progreſſu orationis ſi quis, vt fit, mendaciolum aſperſerit, non hoc illi ſtatim aut verbo, aut geſtu exprobrandum, quaſſando caput, oculos diſtorquẽdo, ſibilando, & aliis inurbanis rationibus; nec obſtrependo, nec interim noui aliquid monſtrando, præſentiumq́; attentionem aliorſum traducendo perturbandus eſt qui loquitur. Nos item ipſi ad ſermonem alterius attenti ſimus, ne iterum iterumq́; interrogare neceſſe ſit; quid dicebas? quomodo? haud ſatis percepi, dic iterum. Indecorum id eſt, & eadem repetere iniucundum. Si omnino res poſtulabit, præfabimur vno verbo, paucißimisq́; interrogabimus. A. Quæ adhuc in cõgreſſu vitanda mones? P. Multa. A. Hem multa? P. Audies. A. Acriter tibi animum ad ea intendo. P. In colloquio familiari iuſiurandum non eſt interponendum; apud tribunal id fiet rectius, ſi condicio negotij ita ſuaſerit. A. Tu igitur, quantum coniicio, adoleſcentes noſtrates nulla interpoſita dubitatione condemnares, qui poſt tertium quartumq́; verbum in ore habent, bey Gott/auff mein Seel/der Teufel führ mich hin/ & huius generis alia, quæ ab hominibus leuißimis, atq; à parentibus parum religioſis diſcuntur. P. Egóne? Con-

demnarem, moremq́; peruerſum vſq; ab radicibus euellerem. A. Ad alia procede. P. Cum alloquimur quempiam, præſertim ſpectatum, non tam propè conſiſtemus, vt anima ipſum contingamus, quamuis illa non fœteat. Sunt quippe, qui halitu alieno afflari nullo modo ſuſtineant. Neq; cubito illius latus fodiẽdum, quicum ſermonem conferimus, quod inepti ſolent cum his verbis. Quid videtur tibi? intellexiſti? nónne vera dico? quid tu ais? A. O mores plane moros. P. Actiones illæ partesq́; naturales, cum de iis loquendum erit (erit autem aliquando, & quidem neceſſariò) circuitione quadam, tectisq́; verbis ſunt indicandæ. Quid libro de Vniuerſitate per detractionem confecti conſumptiq́; cibi velit Cicero, ad declarandum Delio natatore haud eſt opus. A. Cur conſiſtis? P. Quoniam ad metam perueni. A. Si velles vltra currere, me ſpectare non pigeret. P. Spectantes nunquam vidi ſudare, currentes ſæpe. A. ἀλληγορούμενον τοῦτο.

ANNOTATIONES.

BATTARISMVM) *Battus ſenex quidam, equorum paſtor à Mercurio propter perfidiam in ſaxum mutatus ſcribitur 2. Metamorph. Ibidem Ouid. homini huic vitium fuiſſe indicat ineptè verba iterandi: ſic enim, dum quò ſint abacti boues Mercurio patefacere vult.*

At ſenior poſtquam eſt merces geminata, ſub illis
Montibus inquit, erant, & erant ſub montibus illis.

Hinc

Hinc battariſmus. Quanquam multò aliter de vocibus βαττολογεῖν *&* βατταρίζειν *paræmiographus.* MALEDICO DENTE CARPENTIVM) *Celebratum eſt, dente Theonino rodere, & rodi. Theon fuit poeta quidam maledicentiſsimus. Vide adagium.* ASSVESCENDVM VERBIS MODESTIS) *Plutarchi doctrina hæc eſt, libello de diſcrimine adulat. & amici. Ciuilius enim arbitror (inquit) ſi quis dicat; Ignoraſti, quam, iniuriam feciſti. Et: non attendiſti, dictu mollius eſt, quam, turpiter egiſti. Item; fuge mulierem te corrumpentem, vrbanius, quam, ſi dicas, deſine mulierem corrumpere. Nam hunc deſiderat modum admonitio, qua mederi velis amico.* VEREMVR, NE NON) *Cum quid accidere nolumus, & ne accidat timemus, tum vtimur verbo vereor, cum ſimplici negatione, ne. Vereor ne mentiaris. Cum quid optamus euenire, geminamus negationem, hoc modo. Vereor ne non intelligas. Pro his duabus negationibus vtimur particula vt. Vereor vt pater approbet. Sed multa ſuper vſu huius verbi Manut. in epiſt. 1. & 6. lib. 2. & in 1. lib. 6.* SI CONSTABIT FALSVM) *Falſum eſt quo tegitur id quod factum eſt. Vanum quod fieri non poteſt. Fictum quod non eſt factum, & fieri potuit. Falſum loqui mendacis eſt: fictum callidi: vanum ſtulti. Falſum loqui culpæ eſt: fictum virtutis: vanum vecordiæ. Auctor Donatus in Eunuchum.* PLERIQVE OMNES) *Locutio hæc idem valet, quod, omnes, vel, maxima ex parte. Tale eſt plus ſatis, pro ſatis. Ab Atticis manaſſe vult Priſcianus lib. 18. illi enim*

πλείονες δὴ πάντες τοῦτο λέγουσιν ἄνθρωποι. ACTIONES ILLÆ, ET PARTES NATVRALES) *Si legeris epiſt.22.lib.9. cuius initium, Amo verecundiam, & in eandem Manut. Cic.1.Offic.de Diuinat. & nat. Deor. & Plaut. Arnobium contra gentes, Muretum lib.6.cap.7. Crinitum lib.20.cap.6. magiſtros denique morum, cognoſces quo te pacto geras verecundè in huiuſcemodi rebus politè etiam ornatéque eloquendis.*

PROGYMNASMA VICESIMVMSECVNDVM.

Sermones fugiendi.

DOCTOR, AVDITOR.

DOCTOR. Decretum eſt mihi hodie quidem potiſsimùm imitari Gorgiam Leontinum, qui vnùs ac primus è ſophiſtis in conuentu poſcere auſus eſt, de quo quis vellet audire, cum diceret προβάλλετε, proponite. Dicat igitur de frequentia veſtra cui libitum eſt, qua de re diſputari poſtulet. A. De ſermone maiorem in modum cognoſcere auemus, quotquot hîc congregati ſumus, qua ratione is laudem promeriturus ſit; ſeu, quænam deuitanda declinandáque nobis arbitrere in ſermonibus atque colloquiis quà rei, quà perſonarum. D. Hoc inprimis ſcito, difficillimum mihi videri linguā ſub imperium cogere;

cogere;vt ſanctus ille vir ſapienter, veréque ſcripſerit; nullum mortalium tantillum membrum corporis domare poſſe;& perfectum eſſe,qui lingua non offenderit. Celebratur item illud Heſiodium.

Optimus eſt homini linguæ theſaurus, & ingens
Gloria, quæ parcis menſurat ſingula verbis.

Adhæc, quis eſt quem fugiat tritiſsimum illud, à Xenocrate profectum:locutum eſſe pœnituit,tacuiſſe nunquam?multò & tutius,& facilius eſt tacere omnino, quàm omnem loquendo culpam effugere. Nihilominus, quia non pecudes, quas natura mutas ac pronas, ventríque tantum obedientes finxit, ſed rationis orationisq; luce ac facultate præditæ animãtes ab huius immenſi operis effectore & gubernatore conditi ſumus, prouidendum eſt, vti lingua ex eiuſdem voluntate mandatisq; vtamur, & ea tum nobis, tum aliis quantas dabitur vtilitates conciliemus:ſiquidem vel ex Platone apertum eſt, homines hominum cauſſa eſſe generatos. A. Tu nos docebis, vt autumo, quibus de rebus agamus in congreſsionibus,& capita quędã,nec ea non multa pręſcribes. D. Immò enim verò docturus de quibus non ſit agẽdum, certisq; capitibus definiturus ſum hanc doctrinam meam: è quibus, (quando eadem eſt contrariorum diſciplina) facilè etiam quæ res in ſermonem inducendæ ſint intellecturi eſtis. A. Quod tu optimum factu putas,id tibi tam in hoc, quam in aliis libẽter aſſentiemur.Etſi autem perpetuam orationem audire mallemus, tamen ſi quid neceſſe erit, patieris me aut rogare, aut ſententiam

tentiam meam proferre,aut dubitationem expo-nere. D. Ita tibi & horũ cuilibet faciendum autumo. A. Me ſuam vicem fungi cupiunt.Ego os ero commune noſtrûm omnium.Tu ordire;en,conticuere omnes, ad te tanquam ad oraculum audiendum quietiſsimi atq; promptiſsimi. D. Iſtuc primo loco pręcipiendum.Nunquam néue ſeriò, néue iocò, néue modicum, néue magnum quippiam aduerſus Deum,cœlites,& eccleſiaſtica myſteria effutiamus:ne nõ ſolum leuitatis,ſed etiam cuiuſdam, vt videtur, impietatis maculam ſuſcipiamus, quam quidem reformidare plus quam vllius facinoris crimen debemus. A. Vt ſępe contra factum, & me fabellis quibuſdam parum ſeueris, diſputationibusq; parum idoneis hilaritudine mira perfuſum memini? D. De ſacris,diuinis,cœleſtibusq; rebus timidè,non audacter:parcè,non effusè:conſideratè,non temerè:religiosè, non impiè: grauiter, non ridiculè Chriſtianum loqui oportet. Eundem de ſordidis,impuris, impudicis prohibet ſermocinari Apoſtolus,vbi turpiloquium prohibet; cuius eſt etiam iſtuc verbũ: omnis ſermo malus non procedat de ore veſtro. Noſtis illa:qualis oratio,talis vir:qualis hera,tales pediſequæ. Quocirca cuius vel lingua, vel aures obſcœnis delectantur ſermonibus,eius mens,cui vox vt ancilla paret, à fœdiſsimarum cogitationum labe vacare quî poteſt? A. Aptè concluſum argumentum.Ex abundantia cordis os loquitur. D. Proinde mentiuntur de ſe poetæ illis verſibus. Ouid.Vita verecunda eſt,Muſa iocoſa mea. Martial. Laſciua eſt nobis pagina, vita proba eſt. Et Hadria-

Hadrianus in Voconium quendã. Laſciuus verſu, mente pudicus eras. His quidem ipſorum vita impuriſsimè acta reclamat. Omnibus, quod manifeſtum eſt, fractis pudicitiæ repagulis caput impoſitis preſsit Amor pedibus. Feſtiuitatem, leporem, elegantiam, ſalem omnem in verborum ac ſententiarum ſpurcitie conſtituit iſte, nec putat nitidum ac mundum, ornatumq́ futurum, niſi quis in luto ſeſe volutauerit prius, quę porcorum ſunt deliciæ, qui tum deniq; elegantes, tum beati videntur ſibi, cum in cloacis & volutabris capite tantum extantes iacent. Mittamus poetas illos, quorum libelli nefariis libidinib⁹ referti, & adoleſcentibus, quorum animi molles, & ob ætatem fluxi, tanquam Sirenum ſcopuli fugiendi ſunt. A. In tales cadere opinor, quod à Tullio ſcriptum eſt Tuſculana 2. Sed vidésne, inquit, poetæ quid mali afferant? lamentantes inducunt fortiſsimos viros: molliũt animos noſtros: ita ſunt deinde dulces, vt non legantur modò, ſed etiam ediſcantur. Sic ad malam domeſticam diſciplinam vitamq́ vmbratilem & delicatam cum acceſſerunt etiam poetæ (Catullus nempe, Martialis, Ouidius, Propertius, Tibullus & ſimiles) neruos omnes virtutis elidunt. D. Rectè omnino. Ac ne leuia quidem, abiecta, friuola, anilia venire in colloquium debent, è quibus neq; ſincera & liquida voluptas, neq; vlla percipitur vtilitas: ipſi autem huiuſcemodi fabularum, ineptiarumq́ recitatores ſemet in contemptionem adducunt. Peccant verò in hoc non pueri duntaxat, ſed viri quoque; viri, inquam, ſi annos numeremus, mente pueri. A. Si

quis

quis fabellam, ſeu apologum Æſopi pro re nata afferat, num huius præcepti tui violati reus erit? D. Reus? ego Æſopum iſtum feci ſemper maximi, iudicauíque animum eius ſapientia pleniſsimum honeſtiore, commodioreq; domicilio dignum fuiſſe. Video ſcriptores illuſtriſsimos eius vti teſtimonio, nec ignoro, quid ſignificet: ne Æſopum quidem triuiſti. A. Amabo, quis dicti huius eſt ſenſus? D. In vehementer ſtupidos atque imperitos iacitur: nam vulgus quoque olim per Græciam commenta illa ingenioſiſsima prudentiſsimáque (vt Heſiodum pueri pro Catechiſmo) ediſcebat. Non ſunt expertia frugis illa Æſopica, non. Elaborant hæretici populo vt placeant, quas ipſi procudunt fabulas: præſtaret Æſopum æmulari, & ad virtutem pectoribus inſerendam, aut ad vitium euellendum, ad res humanas deniq; vt in ſpeculo demonſtrandas aliquid de aſino, de vulpe, de coruo, de ſimia, de cane comminiſci. In bibliotheca mea cum Cicerone, cum Virgilio, Demoſthene, Homero, Platone, Ariſtotele etiam Æſopum aſpicietis, qui mihi frequenter è poculo non aureo, non gemmeo, ſed ligneo vinum dulce propinat. A. Caueat Magiſter, ne iſta dulcedine illectus, fiat aliquando ebrius. D. Iſtiuſmodi vina, auditores mei, ex ebrioſis reddunt ſobrios. A. Extra iocum. Quandoquidem hic libellus abs te tantopere commendatur, ſtudioſius eum in poſterum legemus, relegemus. D. Mihi pergratum, vobis operæpretium facietis: nunc ad alia. A. Quo nos cunq; duces, celeri paſſu ſequemur. D. Sunt argumenta quædam ſpinoſa, ſubtilia, exquiſita, à commu-

communi captu abhorrentia, vt diſputationes Theologicæ, Philoſophicæ, Mathematicæ, iuris ciuilis, & interiorum artium, quas ad ſcholas amando: ne iſtiuſmodi rerum imperitis, & tamen aſtantibus atque auſcultantibus moleſtia generetur. Omnia tempus habent: quod æquè illi neſciunt, qui quamuis alioqui probanda, tempori tamen, perſonisq; nequaquam accommodata loquuntur. Die feſto ab adoleſcentibus ad hilare conuiuium, ad iucundiſsimos ludos conuenitur, iſti de ſpectris, de carnificinis, de triſtibus & quorum tunc omnis eſt intermittenda mentio narrationes ordiuntur, aut concionari incipiunt. τὸ δ'ἄκαιρον πανταχοῦ λυπηρόν, ait Iſocrates. Quid tu ibi ad mœſtitiam, ad ſuſpiria, ad horrorem vocas animos, vbi eſt indulgendum lætitiæ, honeſtisq; voluptatibus? A. Si quis in ſermonem eiuſmodi delapſus ſit? D. Taceat, vel potius ſemetipſum ad res hilares ſuaui modo conuertat, aut à ſodalibus conuertatur. Audiui præterea quoſdam & audiui non ſine bile atq; faſtidio, qui ſæpe de domeſticis rebus, de fratribus, vxoribus, parentibus, filiis, ſeruis, nutricibus garrirent, quaſi ea ſcire alios permagni intereſſet. Accipite, inquiunt, quid heri meus Gregorius, mea Catharinula, meus lepidiſsimus catellus fecerit. Prô quã fidam & probam vxorem habeo: mira poſſum narrare vobis. A. Abſurdum genus mortalium, nec penitus ſani capitis. D. Reperiuntur item qui conentur delectare circumſtãtes narrandis ſomniis: quæ ſi eſſent ſimilia illorum Ioſephi, Pharaonis, Nabuchodonoſoris, poſſent audiri non faſti-

dioſè:

dioſè: viderentur enim diuinitus oblata rerum futurarum præſenſionem habere. Nunc cum ſint pleraque inaniſsima, ac ſummè ridicula, & narratores, & auditores nugarum iſtarum ſunt in vitio. A. Cum vates Mantuanus canat duas eſſe ſomniorum portas, corneam, & eburneam, longè plura per hanc, quam per illam emittuntur. D. Sinamus hos ſomniare, cœptúmque ſermonem pertexamus. A. Ita profectò, ſinamus. D. Turpius delinquunt, qui mentiuntur; idq; non vt ſibi commodum aliquod, aliis incommodū pariant, ſed quia ſic conſueuerunt, delectationis nimirum aucupandæ gratia: perinde vt qui non propter ſitim, ſed bibēdi conſuetudinem calices euacuant. Quid de his dicemus, qui, veluti famis rabie ſubacti, cum deeſt quod comedant, ſuos ipſorum artus miſerè depaſcuntur? A. Et qui tandem iſti? D. qui immoderato gloriæ appetitu cruciati, cum laudator deeſt, ſeſe ipſos turpiter laudant in corona, in circulis, in conuētibus, tamq; falſa quam vera de ſe prædicant, & admirādam rerum ſcientiam ſibi nihil verentur attribuere. Quos proximè ſequuntur, qui genus, nobilitatem, honores, opes, amicitias, clientelas, res geſtas aut ſuas, aut maiorum iactant. Hi gratiam inirent, ſi ſummiſſius, quam glorioſius de ſe loquerentur, mallentq; de iure ſuo aliquid amittere, quam nimium ſibi arrogare, viderîq; præſentes, non etiam ignobiles, non pauperes, non ſtultos præ ſe parui pendere. Auarities, inquit Lucretius, & honorum cæca cupido, Quæ miſeros homines cogunt tranſcendere fines Iuris. A. Neq; tamen fortaſſe probandi

ſint,

ſint, qui omnia ſua nimis deprimunt & extenuant, eosq́ honores pertinaciſsimè reſpuunt, quibus omnium confeſsione digniſsimi iudicantur. D. Improbandi ſummopere. Datur enim ſignificatio ſuperbiæ cuiuſdam: quaſi ipſi ſoli vituperent, aut contemnant, quæ ab hominibus magni fiunt. Bono autem & cordato viro, nō modo malum, ſeu vitium ipſum, verum etiam vmbra vitij, ſuſpicioq́ ſedulò fugienda eſt. A. Ecquid in eodem exercitu militāt, qui factis ipſis ita ſe gerunt, quaſi omnium poſtremi, & viliſsimi, nulloq́ penitus honore dignādi? Quas ob res vltimum ſemper locum quærunt, & tanquam equi indomiti, aut perterrefacti ſemper retrocedunt, reſiſtunt, obnituntur manibus, pedibus, toto corpore, nunquam præcedere, perpetuò ſequi, non aliquando ad dexterum, ſemper ad ſiniſtrum latus ire contendunt, quamuis tu id ab ipſis omnibus precibus petere contendas; vt quoddam velut bellum cum iis ſuſcipere, & quaſi inuitos canes venatum ducere, eorumq́ cauſſa interdum totum negotium aut differre, aut interrumpere neceſſe ſit. D. Non malè iudicaſti; imbiberunt virtutis cauſſa, quam non ſatis cognorunt, repugnare, & aliis negotiū faceſſere. Addam porrò ad ſuperiora etiam hæc. De alienis rebus, cauſsis, moribus, negotiis, ingeniis, nationibus nihil ſiniſtrè dicendum, quo aut in contemptum ac deſpicientiam veniant, aut in inuidiam adducātur. Odioſum tale genus hominum, & hirudines imitans, dum quodammodo bonę famę ſanguinem exſugit. Quod alium ſilere volumus, de conſilio Senecæ, primi ſileamus.

Neminem gibboſum, coclitem, luſcum, claudum, nothum, ſimiliq́ corporis, aut etiam fortunæ aliquo vitio deformatum & notatum irrideamus, ſcommatisq́ laceremus. Quî ſcimus enim nos immunes ab iis malis futuros? & quis noſtrū ſeſe irridere cupit? Verùm hic mos eſt, vt quæ nolumus ipſi mala, iis afficiamus alios facillimè: quę volumus bona, iis ſoli fruamur libentiſsimè. A. ἐκ τρίποδος. D. Rumoribus nec ipſi citò fidem adiungamus, nec eos inconſideratè in aliorum aures infundamus: fama enim tam ficti prauíque tenax, quam nuntia veri. A. Mirum quantum ſæpius pœnituit credidiſſe, ac leuem auditionem pro re comperta habuiſſe. D. Quem non pœnituit? niſi ad quem nullus vnquam rumor peruenit. A. Iocari & facetis eſſe per te nobis licet. D. Licet verò. Veruntamen ſine aculeis, ſine irriſionibus, quamuis inimiciſsimi fuerint in quos iocamur: ineſt enim contemptus, quamuis voluptas quęratur iocationibus huiuſmodi. Sunt quidam ita agreſtes, duri & auſteri, vt cum iis iocandum non ſit. Nec in rebus grauibus aut flagitioſis locum habent facetiæ. Non enim riſu, ſed pœna dignos iudicare ſceleratos conuenit. Cauendum autem ne magis propter iocantis inſulſitatem, quàm propter ipſas facetias in riſum erumpant audientes. Diſtorquere oculos, aut os deformare, aut vultuoſum fieri riſus captandi gratia ſtultum eſt. Hæc ferè ſunt, quæ de quæſtione tua mihi viſa ſunt diſſerenda. Poteram pluribus, ſed breuitas & in ſcribendo, & in diſputando mihi eſt amiciſsima. A. Et me nosq́ omnes erudita, rerumq́ plena

na breuitas, quam nugæ canoræ, quam orationes longæ, parumq́ue doctæ magis capit.

ANNOTATIONES.

IMITARI GORGIAM LEONTINVM) *Cic. 2. de Finib. Eorum erat iſte mos, qui tum ſophiſtæ nominabantur: quorum è numero primus eſt auſus Leontinus Gorgias in conuentu poſcere quæſtionem, id eſt, iubere dicere, qua de re quis vellet audire. Iunius lib. 4. cap. 17. Multa item de Gorgia comment. in Brutum Sebaſtianus Corradus. pag. 42.* LINGVAM SVB IMPERIVM COGERE) *Præcepta complura linguæ moderandæ, eaq́ue longè optima collegit Mapheus lib. 5. cap. 2.* OPTIMVS EST HOMINI LINGVÆ THESAVRVS) *Egregium caput Gellij eſt 15. lib. 1. quo loquacitatem inſectatur. In eo item verſiculi hi duo Heſiodij proferuntur. Quapropter Heſiodus, inquit, poetarum prudentiſſimus linguam non vulgandam, ſed recondendam eſſe dicit, perinde vt theſaurum. Eiusq́ue eſſe in promendo gratiam plurimam, ſi modeſta, & parca, & modulata ſit. Bias ab Amaſide Ægypti rege iuſſus de victima, quam illi miſerat, optimum & peſſimum remittere, linguam remiſit. Plut. de Auditione.* HOMINES HOMINVM CAVSSA ESSE GENERATOS) *Cic. 1. Off. Sed quoniam (vt præclarè ſcriptum eſt à Platone) non nobis ſolùm nati ſumus, ortusq́ue noſtri partem patria vindicat, partem parentes, partem amici: atque (vt placet Stoicis) quæ in terra gignuntur, ad*

vſum hominum omnia creari, homines autem hominum cauſſa eſſe generatos. Teſtantur hoc idem ſanctæ literæ. Vnicuique commiſit Deus curam de proximo ſuo. NEVE SERIO, NEVE IOCO) *Eſt Iudæis liber, cui Talmud nomen inditum, in eo portentoſa & ſcurrilia de Deo commenta innumera. Chriſtiani etiam de Chriſti, & S. Petri peregrinationibus, déque aliis, qui nunc ſumma cum fœlicitate immortali æuo fruuntur, leuiſſimas & ineptè excogitatas inter ſe fabulas animi cauſſa hybernis præſertim noctibus commemorant. Multum etiam ſermonem ipſis dant ſacerdotum mores & ignorantia, atque adeo in tractandis ſacramentis vel leuitas, vel inſcitia, vel negligentia. Ad horum ſocietatem aggregandi, qui quærunt & diſputant; num Deus quod factum ſit poſſit non factum efficere (qua ſola poteſtate ipſum carere dixit Agatho, cuius ſententiam affert & laudat in 6. de moribus Ariſtoteles) & ſimilia, in quibus vt ingenij abundantia aliquando, ita ſemper iudicij egeſtas ſeſe prodit. Audiamus Cic. 2. de nat. Deorum. Mala & impia conſuetudo eſt contra deos diſputandi, ſiue id ex animo fiat, ſiue ſimulatè.* CVIVS VEL LINGVA, VEL AVRES) *Quam multa improbarum cogitationum, & à recta ratione auerſarum affectionum irritamenta ſeſe per aures in animum infundant, quis neſcit? Bene igitur Plutarchus. Nec vrbi portæ cæteræ clauſæ id præſtabunt, vt non capiatur, ſi per vnam aliquam hoſtes recipiantur: neque adoleſcentem continentia aduerſus reliquas voluptates adhibita conſeruabit, ſicubi impru-*

dent

dens per auditum ſeſe illis capiendum dederit. Hæc ille libro de poetis audiendis. Rurſum libello aureolo de Auditione. Xenocrates aurium munimenta pueris potius quàm athletis iubebat applicari: quod horum aures verberibus, illorum mores verbis peruerterentur. TANQVAM SIRENVM SCOPVLI) *Videndus Homerus Odyſſea. Item adagia, apud Sirenum ſcopulos conſeneſcere, Gellius lib. 16. cap. 8. Apud Sirenas aut Lotophagos hærere; Sirenibus ad perſuadendum aptior; Sirenas præternauigare, de quibus Iunius:* ἀλληγορικῶς *Homerus meretriculas quaſdam fuiſſe inſinuat, quæ inanis voluptatis dulcedine, quaſi quodam ſuauißimo cantu, viatores incautos ad ſeſe allicerent, eosq́; fortunis & fama euerterent. Huic loco addēdum puto, quod Nazianzenus & Hieronymus retulerunt in litteras: apud Hebræos olim cautum fuiſſe, ne adoleſcentes ante annum triceſimum Geneſeos librum, Cantica canticorum, partem Ezechielis legerent.* ÆSOPVM ISTVM FECI SEMPER MAXIMI) *Gellius lib. 2. cap. 29. narraturus ex eodem feſtiuißimum de caßita apologum; Æſopus ille, inquit, è Phrygia fabulator, haud immeritò ſapiens exiſtimatus eſt, cum quæ vtilia monitu ſuaſuq́; erant, non ſeuerè, non imperioſè præcepit, & cenſuit, vt philoſophis mos eſt: ſed feſtiuos delectabilesq́; apologos commētus, res ſalubriter ac proſpicienter animaduerſas in mentes animosq́; hominum cum audiendi quadā illecebra inducit. Similia Maximus Planudes principio vitæ ipſius.* HONESTIORE COMMODIOREQVE

MICILIO) *Vertice acuminato erat, humeris depreſſis & contractis, labris prominẽtibus, ventrioſus, incuruus, valgus, niger ac blæſus, omninoq́ Therſites alter, de quo Homerus 2. Iliad. Sed quoniam datus eſt locus, adſcribamus verba Senecæ ex ep. 66. Claramum condiſcipulum meum vidi poſt multos annos: non puto expectas vt adiiciam ſenẽ: ſed me hercules viridem animo ac vigentem, & cum corpuſculo ſuo colluctantem. Iniquè enim ſe natura geſſit, & talem animum malè collocauit: aut fortaſſe voluit hoc ipſum nobis oſtendere, poſſe ingenium fortiſſimum ſub qualibet cute latere. Et poſt nõnulla. Poteſt ex caſa vir magnus exire; poteſt & ex deformi humiliq́ corpuſculo formoſus animus ac magnus.* VT HESIODVM PVERI) *Teſtis Columella. Indicat idem Cic. epiſt. 18. lib. 6. Lepta (filius Leptæ, puer) ſuauiſſimus ediſcat Heſiodum: & habeat in ore,* τῆς ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοί, *etc. Primus quidem liber aliud nihil, quam pulcherrima quædam honeſtatis & officij præcepta continet.* CVM CICERONE, VIRGILIO, &c.) *Manut. in illum locum ex ep. 18. lib. 16. An pangis aliquid Sophocleum? fac opus appareat. Opus eſt id, quod poſt operam remanet, & ex aliqua re quaſi fructus enaſcitur. Itaq́ interdum libri opera dicuntur, vt hic, quia fructus otij ſignificatur. Et 3. de Offic. nulla eius ingenij monumenta mandata literis, nullum opus otij, nullum ſolitudinis munus exſtat. Accipitur itaq́ pro quacunque re, quæ poſt operam extat, non ſimpliciter pro eo quod ſcribitur. Malè igitur latinè loquuntur, qui Platonis opera*

opera dicunt. Hæc eo libentius adſcribo, vt ex ore tanti viri communem errorem iuuentus animaduertat. τὸ ἄκαιρον πανταχοῦ λυπηρόν) intempeſtiuum vbiq; moleſtum, Iſocrates ad Demonicum. Momentum & vim maximam omnibus in cauſsis atq; negotiis habet καιρὸς, latinè tempus, ſiue opportunitas, ſiue occaſio. Nam honeſtum in turpe, emolumētum in damnum, voluptatem in dolorem, amorem in odium, beneficium in maleficium; & viciſsim turpia in non turpia, detrimentum in quæſtum, moleſtiam in lætitiam, odium in beneuolentiam, malefactum in benefactum poteſt conuertere: quo diligentius obſeruanda nobis eſt. Ac meritò inter dicta 7. ſapientum & hoc fertur, γνῶθι καιρὸν, noueris tempus. Monet item ſapiens: Omnia tempus habent. DVAS ESSE SOMNIORVM PORTAS) In extremo 6. Æneid.

Sunt geminæ ſomni portæ, quarum altera fertur
Cornea, qua veris facilis datur exitus vmbris.
Altera candenti perfecta nitens elephanto.
Sed falſa ad cœlum mittunt inſomnia manes.

Cur autem Æneas ſeſe per eburneam dicat exiſſe, Seruius affirmat ideo factum, quia voluit intelligi, falſa eſſe omnia quæ dixit. SESE IPSOS TVRPITER LAVDANT) Quanquam ſeipſum laudare impudentiſsimum & iniquiſsimum videatur, tamen eſt, cum quiſpiam de ſe ſine vlla inuidia ea poteſt dicere, quæ ſibi laudem afferant; non propter laudem, ſed rebus & opportunitatibus ita flagitantibus. Scriptum reliquit hac de re commentarium Plutarchus. NEQVE TAMEN

FORTASSE PROBANDI) *Prudentia (Chriſtianis doctoribus diſcretio) magiſtra & rectrix eſt virtutum omnium. Hac abſente verendum eſt ne accidat ſæpius, etiam excellenter bonis, quod ait ad Piſones Horatius. Dum vitant ſtulti vitia, in contraria currunt. Quo enim alio nomine vitium prudentiæ aduerſarium, niſi ſtultitiæ appellabis?* IMBIBERVNT VIRTVTIS CAVSSA) *Imbibere eſt certum ac deliberatum habere, planè ſibi proponere, ita aliquid in mente & cogitatione ſua defixiſſe, vt nequeat euelli. Sic locutus eſt Cicer. pro Quintio, vt quidem Manut. & Muretus emendandum cenſuerunt. Quod ſi facere nolit, atq; imbiberit eiuſmodi rationibus illum ad ſuas conditiones perducere. Eodem modo duobus locis Lucretius, imbibit petere, & Liuius. Vide Muret. lib. 1. cap. 6.* NEGOTIVM FACESSERE) *Negotium & pro re ſimpliciter capitur, & pro re moleſta ac difficili, vt cum additur verbum faceſſere. In Verrem. Cum audiſſent ei negotium faceßitum. Pro Cluent. ſi cui forte negotium faceſſetur. Faceſſere periculum in eadem ſententia dixit in Diuinat. Exhibere negotium lib. 3. Off. Hæc eruditiß. Manut. in ep. 10. lib. 3.* NEMINEM GIBBOSVM, COCLITEM) *Præcipit hoc etiam Iſocrates ad Demonicum.* μηδενὶ συμφορὰν ὀνειδίσῃς, κοινὴ γὰρ ἡ τύχη, καὶ τὸ μέλλον ἀόρατον. *Nemini calamitatem exprobres; nam fortuna communis eſt, futuraq; prouideri non poſſunt.* IOCARI ET FACETIS ESSE) *Bene apteq; iocari ingenioſorum eſt, quod epiſt. quadam his verbis confirmauit*

Cic.

Cic. Ego autem ſi velim nonnullorum acute dictorum reprehenſionem effugere, fama ingenij mihi eſt abiicienda. Non ſe viſum iri ingenio valentem exiſtimat, ſi iocari neſciat. Fit igitur, vt ioci perſæpe, quia ab ingeniis parum ingenioſis proficiſcuntur, frigidi ſint, inepti atq; inſulſi. Quibus autem natura hanc facultatem negauit, illi ſtudeāt alienis facetiis ſe facetos videri. De virtute, quam Iouianus Pontanus Facetudinem exiſtimat poſſe dici, vide quam multa eruditiſſimè idem diſputauerit lib. 3. de ſermone, & deinceps reliquis.

PROGYMNASMA
VICESIMVM TERTIVM.

Nec nimium, nec minimum.

LALIA, SIGE.

LALIA. O præſtigiatrix, ô frutex, ô ſtatua. Eia Pythagorea, dii te eradicent, exere linguam. S. Quid ea opus? L. Vt cultro iſtoc abſcindam tibi. S. Tu abſcindas? quamobrem? L. Quæris? at patet. Quia inutilis & otioſa eſt tibi: ſiquidem ea nunquam vteris. Et quoniam perpetuò taces, à mutis animantibus nihil diſtas; nec Deo audebis agere gratias, quod homo nata ſis nō bellua. Haben' iam cauſſam? directa, triuenefica, fatua. S. Loquor vbi neceſſe eſt, & cùm alia, tum hoc è ſilentio lucrum indipiſcor, quod mul-

tis reſpondere non cogor. L. Non tam inuiſa eſſes mihi, excetra, ſi ad rei neceſsitudinem verba ederes. Nec iſtuc facis. Proinde oderunt te omnes, fugiunt tuam cõſuetudinem, & cœtibus ſuis excluſam, te in longinquam atq; incultam ſolitudinem aliquam deportatam cupiunt, vbi mortalium neminem neq; audias vnquam, neq; videas. Quibus tu ibi gaudiis exultares? quantis in voluptatibus baccharêre? Facilius cancer rectè ingredietur, quam tu immodica iſta taciturnitate deſiſtas. Si multi eſſent tui ſimiles, prô diuûm numina ſancta, quis ſibi vitam non acerbam putaret? velut ſimulacra obambularemus, peſſum irent res humanæ, iniurioſè tractaretur Deus, cuius admirabile donum, (ſenſa animi videlicet ſermone explicãdi) deſpicere videremur. Si bona eſt cauſſa tua, quin defendis te? quin me refellis? iam tibi caput tuber reddam, atque ad loquendum eliciam. O deliram. Fugin' tu hinc ab oculis? abin' hinc an non? S. Moneo vt quieſcas, dictiſq; facias compendium. Qui quæ vult dicit, viciſsim quæ non vult audit. Tua maledicentia diſertam ne me faciat caueto. L. Haha, promittis ſcarabæum mel facturum. Non ſinit te loqui miſerabilis natura tua. Quin corpore vitam ſecludis? quin vnam ex te literam longam facis? nihil enim te deſpectius, nihil iniucundius, incõmodius. S. Lingua lingua quo vadis? Monſtrum mulieris. Tu illa es, quæ quidquid in buccam. Tu rimarum plena, hac atq; illac perfluis. Tu loquacitate tua homines enecas. Cum quidam deplumata luſcinia minimum carnium reperiret, ea dimiſſa, vox es inquit,

quit,prætcrea nihil. In te iſtuc quadrat, quæ præter vnam linguam,ad garriendum dies atque noctes expeditiſsimam nihil es. In te iactata tot prouerbia; Turture loquacior,Daulia cornix,Archytæ crepitaculum, Cicada vocalior. Hirundinum muſæa, & alia, quæ nunc condonaberis. Ais me deſpicabilem eſſe. Miſerum eſt negare te nō poſſe, quod turpiſsimum ſit confiteri. An tu negabis,an non fateberis te contemni,te abiici,te vilipendi?nec iniurià. Nam cum ita ſis verboſa, videris te ſupra cæteros efferre in conuentibus, aliosq́ tanquam diſcipulos magiſtra velle erudire. Et quia intemperantiſsimè, ſine vllo modo tam multa blateras quotidie, erras ſæpiſsimè, peccas frequentiſsimè, nihilq́ te intelligere das indicia creberrima. Ad Iſocratem abi, ei duplicem promitte mercedem; vnam vt te loqui,alteram vt tacere doceat. Heu quam multas & idoneas occaſiones corrupiſti? quantas turbas toties dediſti? quot detrimenta in ciuitates ac prouincias inuexiſti?Tu malorum ſeminarium, inuentrix ſcelerum, ſeditionum fons, humani generis opprobrium. Tu diuorum atque hominum odium, tu inuiſum dirisq́ deuouendum caput, tibi tibi ferro lingua demetenda eſt. L. Ceſſa ceſſa. Vehemens in vtramq; partem es nimis; aut verborum nimia parſimonia, aut probrorum largitate nimia. Hem quot contumeliæ? nec plauſtrum capiat. S. Ad te iuſtiſsimis reprehenſionibus exagitandam,& omnibus precibus deteſtandam Archilochus & Hipponax,indiſerti & elingues. Nec orator vllus,nec ipſa eloquentia pro dignitate tua

dedeco-

dedecora explicauerit. Fac me miſſam peſsima, ito ad coruos Ilias, lerna, panegyris, mare malorum, theſaurus infortunij. L. Vt execrationes ſerit? vt dicteriis abûndat Mæſonicis? Eſſet mihi ſtimulus in manu, quo latera cõtererem tua. S. Benedictis ſi certaſſes, audiſſes contra bene: nunc geſta compedes, quas tibi ipſa fabricaſti. L. At tu ſceleſtiſsima toto thylaco, non manu ſeuiſti conuicia. Recipe te ad ſilentium tuũ. Nimis tu dentata es, ſi ego nimis linguata ſum. Scito tamen te Amyclas perdidiſſe. S. Scito tamen te fidem & famam perdidiſſe.

ANNOTATIONES.

EIA PYTHAGOREA) *Pythagoras quos ἐφυσιογνωμόνει (id eſt, quorum naturas & ingenia ex ore, vultu totiusq; corporis habitu coniiciebat) ſuaq; diſciplina dignos iudicabat, iis pro æſtimato ſolertiæ captu tempus tacendi præſcribebat. Tum quæ ab aliis dicerentur audiebant; percontari, ſi quid parum intellexiſſent, aut commentari quæ audiſſent fas non erat. Nec quiſquam aut biennio minus, aut quinquennio amplius tacuit. Intra hoc tempus* ἐχεμυθίας *appellabantur* ἀκουστικοί. *Vbi duo omnium difficillima didiciſſent, tacere & audire, tum verba facere, quærere, quæ audierant ſcribere, quæq; ipſi opinarentur expromere integrum erat, dicebanturq;* μαθηματικοὶ; *ab illis nempe artibus, quas iam diſcere ac meditari cœperant, geometria, gnomonica, muſica et aliis, quas veteres* μαθήματα *com-*

communi omnium diſciplinarum nomine vocabant. Deinde ad mundum, naturamq́ contemplandam aſ-cendebant, & vocabantur φυσικοί. *Gellius lib. 1. cap. 9. Laërt. Lucianus dial. qui* βίων πρᾶσις *inſcribitur. Et prouerb. Taciturnior Pythagoreis.* QVOD HOMO NATA, NON BELLVA) *Aiebat Plato, ſe naturæ gratias agere, quod homo natus eſſet, non mutum animal; quod mas, non fœmina: quod Græcus, non Barbarus: quod Athenienſis, non Thebanus: quod temporibus Socratis. Refert hoc, & irridet Lactantius diuinar. Inſtit. lib. 3. cap. 19. Meminit eiuſdem in Mario Plutarchus.* DIERECTA) *Dierectus eſt in diem, ſiue ſub dio erectus, ſublimè pendens & expoſitus, ſceleratus quiſpiam cruce dignus, in crucem actus ſiue agendus.* Der den liechten Galgen verdient hat. *Vſus eſt eo millies Plautus. Pœnulo. Abi dierectus. Mercat. I hinc dierectus. Bacchid. Recede hinc dierecte, &c.* QVI QVÆ VVLT DICIT) *Terent. And. Si mihi pergit quæ vult dicere, quæ non vult audiet. Primus hoc protuliſſe Homerus putatur, cuius hic eſt verſiculus Iliad. υ.*

ὁπποῖόν κ' εἴπῃσθα ἔπος, τοῖόν κ' ἐπακούσαις.

Talia dicentur tibi, qualia dixeris ipſe.

Plaut. Si dices contumeliam, audies. LINGVA LINGVA QVO VADIS?) *A Suida his verbis recitatur adagium.* Γλῶσσα ποῖ πορεύῃ; πόλιν ὀρθώσουσα, καὶ πάλιν ἀναστρέψουσα. *Lingua quo vadis? Erectum ciuitatem, eandem denuo ſubuerſura. Docet innumeras vtilitates, & incommoda plurima linguam hominibus conci-*

conciliare, vt probè Salomon ſcripſerit; Mors & vita in manibus linguæ. ANNON FATEBERIS TE CONTEMNI?) *Seneca lib. 2. de Ira, cap. 28. Faciet nos moderatiores reſpectus noſtri, ſi conſuluerimus nos: Nunquid & ipſi aliquid tale commiſimus? Nunquid ſic errauimus? Expedítne nobis iſta damnari? Cui ſententiæ affinia ſunt, quæ habet Arnobius lib. 2. aduerſus gentes. Cuius eſt autem pudoris, quinimmò inuerecundiæ cuius, quod agere te videas, in eo alterum reprehendere, maledicti & criminis loco dare ea, quæ in te poßint reciprocata vicißitudine retorqueri?* ARCHILOCHVS, ET HIPPONAX) *Adeo maledicis & amarulentis verſibus Lycamben ſocerum ſuum, à quo deſponſa iam filiæ gener repudiatus eſt, fertur inſectatus Archilochus, vt ambos ad laqueum adegerit. Æquè mordax & contumelioſus traditur Hipponax, qui, quò feriret acrius, de induſtria Archilochium trimetrum in Scazontem inflexit. Fuit in eo notabilis vultus deformitas. Quapropter cum effigiem eius Bupalus & Anthermus ſculptores fratres ridentium oculis propoſuiſſent, ipſe in eos amaritudinem carminum ſuorum deſtrinxit. Plin. lib. 36. cap. 5. Vtriuſq; meminit Cic. 3. de nat. deorum. Et Horat. Ode 6. Epod. his verbis.*

Caue: caue, namq; in malos aſperrimus
Parata tollo cornua:
Qualis Lycambæ ſpretus infido gener,
Aut acer hoſtis Bupalo.

Item ad Piſon. Archilochum proprio rabies armauit iambo. Vide prouerb. Hipponacteum præconium. Archilochia

lochia edicta. TE AMYCLAS PERDIDISSE) *Cum ſubinde & falsò hoſtium aduentus nunciaretur, ob eamq́ cauſſam inani metu ciuitas ſæpe agitaretur, lege ſancitum eſt, ne quis vnquam hoſtis aduẽtum nunciaret. Ita omnibus tacentibus, inopinatò capta eſt vrbs. Hinc locus datus prouerbio, Amyclas perdidit ſilentium, de quo plura auctor Chiliadum. Cui hæc aduerſus loquacitatem pauca erunt, libellum Plutarchi de garrulitate euoluat.*

PROGYMNASMA
VICESIMVMQVARTVM.

Cærimoniæ.

CAEREALIS, ADIVTVS.

CÆREALIS. Cærimoniarum vocem millies à me auditam interpretare, ſi me diligis. A. Ius merum oras. Cærimoniæ, ſunt ritus ſancti, in ſacrificiis, aliisq́ diuinis (vt vocãt) officiis, in templo præſertim adhibiti. C. Si proprium verbo huic domicilium eſt in rebus illis quas dixiſti, quomodo igitur in alienum migrauit? nam & in profanis id ponere cõſueuimus. A. Cum inſtituiſſent homines inter ſe verticem inclinare, genua flectere, corpus ſummittere, manus veluti conſecratas oſculari, patronos ac dominos mutuùm appellare, & maioribus denique hono-

honoribus proſequi, res quæ ſuo nomine carebat, aliunde vocabulum eſt ſortita, cœptaq́; ſunt etiam hæc cærimoniæ dici. C. Percepi cauſſam, & probo. Nunc velim diſcere in quibus verſeatur iſtæ cærimoniæ. A. In titulis, in certis conceptisq́; verborum formulis, in quibuſdam geſtibus, & motionibus partium quarundam corporis: quæ quidem omnia argumenta ſunt honoris, quem alicui tribuimus: etſi ſæpe mendacia ſunt; quando ſcilicet ad vitandam inuidiam, aut fugiendum aliquod incommodum conſuetudini obedimus, & in ſpeciem veneramur, quem animo potius contemnimus, aut odimus, quam vel reueremur, vel diligimus. C. Potéſne hoc quaſi totum in genera diſpertiri? A. Poſſum in duo. C. In quæ? A. In cærimonias vtilitatis, & officij. Sed quæ propter ſpem fructus exercentur, eas adulatoribus relinquamus, quibus illud Plautinum perplacet: ad ſuum quæſtum vnumquemq́; æquũ eſt eſſe callidum. C. Quas vocas officij? A. Quas etiam nuncupare ſoleo debitas; nempe eas, quæ à recepto & inueterato, aut certè cõmuni, peruulgatoq́; more, qui vim legis obtinet, non autem à noſtro iudicio voluntateq́; pendent. hæ non ſunt negligendæ, quandoquidem qui eas negligit, videtur iniquus & iniurius. Scimus aliquando ad vulnera, & cædes peruentum ideo, quod quidam ſibi debitis cærimoniis affecti non fuiſſent. C. Fortaſsis illæ certarum cærimoniarum conſuetudines non probarentur ſapientibus vbiq́;. A. Si nullum inſit ſcelus, ad mores regionis, aut ciuitatis nos attemperabimus; ſicuti leges non perfectiſsimas

ctiſsimas atq; optimas ſeruamus, quoad eas Princeps, aut Reſp. vel ſuſtulerit, vel correxerit. Noſſe igitur ſtudeamus quibus verbis in Italia, quibus in Gallia, in Germania, & alibi gentium ſalutare, quibus valedicere in more ſit. Quibus titulis cuiuſq; conditionis homines ornare, quis appellandus magnificus, quis illuſtris, quis reuerendus, quis ampliſsimus, quis excellentiſsimus. Idem de fœminis ſentiatur, quæ nolunt ipſæ quoq; honore ſuo ſpoliari. Si Germani ita loquuntur, cum ſua alicui ſtudia pollicentur: Ego ſum planè tuus: A me omnia officia exſpecta: Si quid opera, & conſilio, aut re potero, iuuabo te libentiſsimè: Habebis me paratum ad omnia: Vt quam rectiſsimè agantur quæ ad te pertinent, omni cura, opera & diligentia prouidebo, nos illas formulas retineamus, & Italorum apud Italos, Gallorum apud Gallos. Latè patet hic locus de verbis, & vſu atq; obſeruatione diſcendus eſt. Quod idem de geſtibus intelligatur. Vbi porrigenda manus, etiam honeſtis mulieribus, non viris tantum, vbi non. Vbi eundum dextrà, aut ſiniſtrà. Vbi oſculandum quod porrigitur, porrectúmue accipitur, vbi non, & ſexcenta huiuſmodi. Nam quæ apud quaſdam gentes nulli ſunt turpitudini, apud alias partim infamia, partim humilia, atq; ab honeſtate remota ponuntur. Hinc Plutarch. Themiſtocle. Leges hominum inter ſe differunt: alia autem aliis pulchra atq; honeſta. Honeſtum porrò omnibus eſt, quæ propria ſunt ſeruare, & ornare. Vnum addam. Iunioribus alias, grandioribus ſimiliter alias, plebeis alias, nobilibus alias inui-

cem cærimonias vſurpandas, easq́ minimè confundendas. Nec ſtomachantur Principes, ſi quando ipſos colonus, bubulcus, aut faber materiarius neque titulo, neque alia qua debuit cærimonia affecerit: potius ruſticitate, & imperitia morum illorum compoſitorum aulicorumq́ mirificè exhilarantur. In quo genere mihi, ſi memoriam velim excutere, exempla non ſint defutura. C. Generatim diſſeruiſti: particulatim ſingula dicere nimis, vt arbitror, operoſum eſſet: & puto (quod tu etiam monuiſti) obſeruatione diſcenda. A. Nimirum rectè locutus es.

ANNOTATIONES.

CÆRIMONIÆ) *Cærimoniarum cauſſam, ait Feſtus, alij ab oppido Cære, alij à caritate datam exiſtimant. Ioſeph. Scalig. Cerus veteri lingua ſanctus, à quo cerimonia. Vt à ſanctus, ſanctimonia. Nonnulli à Cerere ceremonias. Propterea Gloſſarium: ceremoniæ* δημήτεια. *Prima ergo ſyllaba vocis huius per diphthongum æ, & per ſecundam vocalem ſcribi poteſt. Secundam ſæpius tertia vocali ſcriptam reperio.* SI PROPRIVM VERBO HVIC DOMICILIVM EST) *Ad Ciceronem patronum libertus Tiro cum ſcriberet, hæc verba poſuerat: Valetudini fideliter inſeruiẽdo. Suboffenſus Cicero illo, fideliter, in hoc loco, ſic reſcribit ep. 17. lib. 16. & tanquam* ἄκυρον *ſeu impropriè vſurpatum admonet, & dum de verecunda tranſlatione loquitur, ipſe duo verba verecundè ſuauiterq́; transfert. Vnde*

in iſtum

iniſtum locum, Fideliter, venit? Cui verbo domicilium eſt proprium in officio, migrationes in alienum multæ. Nam & doctrina, & domus, & ars, & ager etiam fidelis dici poteſt: vt ſit, quo modo Theophraſto placet, verecunda tranſlatio. RVSTICITATE MIRIFICE) *Hoc præcipuè fit, cum deſerti à ſatellitibus & comitatu ſoli in ſolos inciderunt, atque ita velut ignoti cum ignotis agunt. Cæterùm hoc progymnaſma cum 20. de Epithetis, & illud cum hoc comparetur: ſunt enim affinia, ſeſeque mutuo declarantia.*

TRICLINIVM, SIVE COENATIO.

PROGYMNASMA VICESIMVMQVINTVM.

Conſecratio menſæ.

MATERFAMILIAS, LIBERI, PATERFAMILIAS.

MATERFAMILIAS. Strauiſtiſne mẽſam filij? L. Strauimus, mater. Aquam manibus recens è puteo hauſtam in gutturniũ infudiſtis? L. Infudimus. M. Mantile ſi eſt inqui-

natius,ſtatim ancillæ meis verbis nuntiate, ac iu-
bete vt ſuſpendat mundius. Tum coquam per-
contamini, ecquid percocta iam ſint, condita ac
penitus apparata cibaria. L. Factũ vtrumq;, man-
tile pẽdet, & eſcas abſumi iam poſſe coqua reſpõ-
dit. M. Patri hemicyclum cum puluino, & ſup-
pedaneo appoſuiſtis? L. Etiam, mater. M. Voca-
te ipſum ad prandium, & ſeruo dicite, vt cibos
apportet: ego paulò pòſt adero. L. Pater pater,
tempus eſt cibi capiendi, prandium corrumpe-
tur, ſi moraris. P. Quota eſt hora? L. Decima. P.
Súntne omnia parata? L. Paratiſsima vniuerſa.
P. Eamus igitur pranſum. Eſuritis vos? L. Ve-
hementer. P. At vbi eſt mater? L. Extemplò ve-
niet. P. Oh, adhuc in templo hæſitat? nimis pia
mulier eſt mater veſtra; diuos precando ſatiari
non poteſt. L. Non hoc dicimus pater, ſed iam-
iam apparebit. P. Aliquid in menſa deeſſe anim-
aduerto. L. Quid, pater? P. Fuſcinulam & ba-
ſim deſidero; properè afferte ambo. L. En. M.
Vt iſtæ ancillæ ſemper monendæ, ac vicies per
diem increpandæ ſunt. En appoſita eſt offa. Si-
mul, pueri, ante menſam conſiſtite, coniunctiſq;
manibus, & in cœlum ſuſpicientes, ſtatas preca-
tiones diſtinctè, citra feſtinationem, cum atten-
tiſsima cogitatione ac pietate pronuntiate, atque
ad nomen Saluatoris ac Mariæ vtrumque genu
inclinate. L. *Oculi omnium in te ſperant Domi-
ne, & tu das illis eſcam in tempore opportuno, &c. Glo-
ria Patri, & Filio, &c. Pater noſter qui es in cœlis, &c.
Aue Maria, &c. Benedicere dignare nos Domine,*
&

& hæc tua munera, quæ ad vitam ſuſtentandam nobis largitus es. Concede quæſumus, vt tuis bonis tibi gratias ſemper agentes, teq́; collaudantes fruamur. Per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

ANNOTATIONES.

CONSECRATIO MENSÆ) *Qui nulla prorſus adhibita precatione ad epulas accedunt, de iis appoſitè Germani:* Zum Tiſch/wie die Saw zum Trog. *Nam cui Deo ſupplicantem, cui gratias agentem vidiſti porcum? Quæ beſtia, cum nihil habeat præter eſcam, præ aliis etiam quadrupedibus auidiſſimè quærit eſcam, & ita pingueſcit, vt ei, ne putreſceret, animam ipſam pro ſale datam dixerit Chryſippus. Cic. de nat. deor. lib. 2. Accipiamus D. Baſilij præceptum religioſiſſimum ex epiſtola ad Greg. Theol.* εὐχαὶ πρὸ τροφῆς, *&c. Antequam corpus cibo reficimus, preces concipiendæ ſunt pro dignitate diuinorum munerum, tum eorum, quæ in præſens nobis tribuuntur, tum eorum, quæ in poſterum tribuentur. Curatis corporibus rurſum preces fiant, quibus & ob accepta beneficia gratias agamus, & promiſſa nobis à Deo flagitemus. Verbis autem mox ſequentibus etiam de hora certa cibo capiẽdo præſtituenda monet.* MATERFAMILIAS) *Quotuplex huic nomini ſubiecta ſit notio, docebit te Manut. in epiſt. 10. lib. 5. Ex idoneis vocum antiquorum enarratoribus tradit Gellius lib. 18. cap. 7: Matronam dictam eſſe propriè, quæ in matrimo-*

trimonium cum viro conueniſſet, quoad in eo matrimonio maneret, etiamſi ſibi liberi nondum nati forent: dictamq́; ita eſſe à matris nomine, non adepto iam, ſed cum ſpe & omine mox adipiſcendo: vnde ipſum quoq; matrimonium dicitur. Matrem autem familiâs appellatam eam eſſe ſolam, quæ in mariti manu mancipioq́;, aut in eius cuius maritus manu mancipioq́; eſſet: quoniã non in matrimonium tantum, ſed in familiam quoq; mariti, et in ſui hæredis locum veniſſet. AQVAM MANIBVS) *Aquam qua manus initio cœnæ, vel prandij lauamus, vel pedes abluimus, aquã pedibus, et aquam manibus elegãter veteres appellabant. Quod nimirum aquam pedibus cum poſcerent, & manibus, tantum dicere ſolerent, aquam pedibus, aquã manibus, nullo adiecto verbo. Turneb. lib. 1. cap. 14.* ET SERVO DICITE) *Famuli ſunt ex propria ſeruorum familia orti. Serui autem vocabulum inde traxerunt, quod hi qui iure belli poſſent occidi à victoribus, conſeruabantur, & ſerui fiebant, à ſeruando ſcilicet ſerui appellati. Iſid. lib. 8. cap. 4.* EXTEMPLO VENIET) *Verbum eſt ſacrorum, ſicut Ilicet iudiciorum. Vt enim hoc, dimiſſo ſenatu: ſic & illud ſacrificio patrato à præcone pronuntiabatur. Quo ſignificabatur vt exirent ex templo. Quod quia cito fiebat, inde pro cito & properè ſumi cœptum eſt. Scalig. in Varronem. Ilicet tamen à Feſto, ſine dubio, à Donato in Heaut. actum eſt exponitur. Seruius Æneid. 6. docet eſſe nouiſſimum verbum, quo vtebantur conſumpto cadauere, & collectis cineribus. Eſt autem dictum per ſyncopen, pro, ire licet.*

licet. BASIM DESIDERO) *Baſis in ſuppellectile menſaria eſt orbiculus cui canthari, & patinæ in menſam illatæ ſuperponuntur, ne videlicet mappæ inquinentur.* VT ISTÆ ANCILLÆ) *Ancillæ dictæ ab Anco Martio. Quod is bello magnum fœminarum numerum cœperit. Siue ideo ſic appellabantur, quod antiqui anculare dicebant pro miniſtrare. Auctor Feſtus. Sed & dij quidam inde, deæq́ue Anculi & anculæ dicti, tanquam aliorum ſcilicet miniſtri, à quibus primùm dictæ videntur anculæ.*

PROGYMNASMA VICESIMVMSEXTVM.

Gratiarum actio poſt epulas.

PATER, MATER, LIBERI.

PATER. Lautè & largè nos accepiſti, coniux. M. Eia laudato me tandem aliquando mi vir, præter morem tuum. Sed quo argumento iſtuc? P. Panem candidiſsimum, ipſum farinæ florem, vinum generoſum, aprugnam iure piperato, pullos gallinaceos, aſſas coturnices, agninam, vitulinam, poſtremò bellaria de ſaccharo & amygdalis præbuiſti. Si ſæpius ita ſplendidè prãdebimus, oppidò delicatos filios educabimus, & parcè admodum cœnare cogemur. M. Pone curam, minimè ſumptuoſam ac prodigam

vxorem ſortitus es. Attentæ ſatis, & reſtrictæ claues dediſti. Annus euoluetur totus, antequam te ſimilibus modis accipiam. P. Cur autem vel hodie? M. Quia mihi natalis eſt dies. P. Ecce, non recordabar: ſoceros inuitaſſem, ſi monuiſſes. M. Monebo in annum proximum, ſi ſuperauero; & ſciebam illos aliò condixiſſe. P. Iam verò ſurgamus. Pueri, mappulas veſtras cõponite, & ſi quid in cyathis reſtat, ebibite. M. Ad agendas Deo gratias eo rurſus ordine conſiſtite, quo ante accubitum. Tu Martinule ſta vltimus, & ad latus tuum Sibyllula. Huc ades filiola: aſsiſte ad dexteram fratris. Incipite. *Laus Deo, pax viuis, requies defunctis. Gratias agimus tibi miſericors & miſerator Domine, quoniam dediſti eſcã timentibus nomen tuum, noſq; indignos tuorũ munerum participes effeciſti. Te oramus, vt cœleſtibus ac ſempiternis alimẽtis poſt decurſa mortalis vitæ ſpacia in regno tuo explere, nos digneris. Per Ieſum Chriſtum filium tuũ. Amen. Pater noſter, qui es in cœlis, &c. Aue Maria gratia plena, &c.*

ANNOTATIONES.

PARCE ADMODVM COENARE COGEMVR) *Diogenes prodigum quendam intuitus oleas in diuerſorio edentem. Si ſic prandiſſes, ait, non ſic cœnares. Laërt. Seu plura autem, ſeu pauciora, ſeu viliora, ſeu delicatiora apponantur, ſemper neceßitate naturali, non appetitu voluptatis definienda eſt comedendi bibendiq; libertas. Lucret. lib. 4.*

Pro-

Propterea capitur cibus vt ſuffulciat artus,
Et recreet vires interdatus: atq; patentem
Per membra ac venas vt amorem obturet edendi.

Quam eandem rem multa cum venuſtate Liuius. Apud quem lib.2. Menenius Agrippa narrans fabulam de conſpiratione membrorum contra ventrem, qua etiam populo reditum in vrbem perſuaſit: Inde apparuiſſe, inquit, ventris quoq; haud ſegne miniſterium eſſe: nec magis ali quàm alere eum, reddẽtem in omnes corporis partes hunc, quo viuimus vigemusq́; diuiſum pariter in venas maturum confecto cibo ſanguinem. CLAVES DEDISTI) *Romanis erat mos, vt vxoribus primùm ingredientibus domum claues darent. Quo indicabant, ipſas matresfamiliâs eſſe, omnemq́; rei à viro quæſitæ poteſtatem habere. Diuortium autem cum facerent, claues adimebant. Cic.2. Philipp. loquens de diuortio, quod cum mima & amica ſua fecerat Antonius, cui ingenuarum mulierum, & legitimarum vxorum inſigne tradiderat. Illam ſuas ſibi res habere iuſsit, ex* XII. *tabulis claues ademit, exegit. Lege Victor. lib.2. cap.2. Muret. lib.5. cap.8.* MIHI NATALIS EST DIES) *Apud maiores plenum fuiſſe, natalis, poſteriores natalis dies dicere cœpiſſe notat Seruius in eclog.3. Hic cum lætitia, & conuiuiis exigebatur, deosq́; γενεθλίους, id eſt, natales cærimoniis certis, & ſacrificiis venerabantur, Iouem, Iunonem, Genium. Plaut. Capt. Quia mihi natalis eſt dies, propterea te vocarier ad cœnam volo. Sed multò clarius, & copioſius Pſeudolo.*

Tibi hoc præcipio, vt niteãt ædes, habes quod facias, propera, abi intrò.
Tu eſto lectiſterniator, tu argentũ eluito, idem extruito.
Hæc, cum ego à foro reuertor, facite vt offendam parata,
Vorſa, præſterga, ſtrata lautaq́ꝫ, coctaq́ꝫ omnia vti ſint
Nam mihi hodie natalis dies eſt, decet eum omnes vos concelebrare.
Pernam, callum, glandium, ſumen, facito in aqua iaceant. ſatin' audis?
Magnificè enim volo ſummos viros accipere, vt mihi rem eſſe reantur.

Perſius ſat. 2.

Hunc Macrine diem numera meliore lapillo,
Qui tibi labentes apponit candidus annos:
Funde merum genio.

Cic. 2. Philipp. Hodie non deſcendit Antonius. Cur? Dat natalitia in hortis. SI SVPERAVERO) Hoc verbum aliquando neutrum eſt, ſignificatq́ꝫ ſuppetere, redundare, abundare. Virgil. Georg. 1. de nuce.

Si ſuperant fœtus, pariter frumenta ſequentur.
Magnaq́ꝫ cum magno veniet tritura calore.

Cic. Paradox. Vter igitur eſt ditior, cui deeſt, aut cui ſuperat? qui eget, aut qui abundat? Idem de finib. De eo quod ipſis ſuperat gratificari volunt. Non diſſimilis eiuſdem vſus eſt apud Virgil. pro ſuperſtitem eſſe, adhuc in vita manere. Æneid. 3.

Quid puer Aſcanius? ſuperátne, & veſcitur aura
Aetherea, nec adhuc crudelibus occubat vmbris?

SCIEBAM ILLOS ALIO CONDIXISSE) Ad conuiuia non infrequenter hanc vocem adhibebant, cum ſe vel apud aliquem ipſi inuitarent, aut ſeſe inuitanti venturos promitterent. Cic. ad Lentulum epiſt. 9. Nam

cum

cum mihi condixiſſet (Craſſus) cœnauit apud me in mei generi Craßipedis hortis. Dicebant item, condicere ad cœnam. Plaut. Stich. Atq; id ne vos miremini, homines ſeruulos potare, atq; ad cœnam condicere. Sueton. Tib. ad cœnam ea lege condixit, ne quid ex conſuetudine immutaret. Præterea, promittere ad aliquem, & eſſe apud aliquem in eadem re ſignificanda ponebant; & qui condicebant, ſic loquebantur: vna erimus hodie. Cic. 2. de Orat. Ego verò, inquit Craſſus, neq; Antonium verbum facere patiar, & ipſe obmuteſcam, niſi prius à vobis impetrâro. Quidnam? inquit Catulus. Vt hîc ſitis hodie. Tum, cum ille dubitaret, quòd ad fratrem promiſerat, & quæ ſequuntur. Plaut. Stich. Cras apud me eritis & tu & illi cum veſtris vxoribus. Terent. Heaut. Nunc ſi commodum eſt, Dionyſia hîc ſunt, hodie apud me ſis volo. Iuuenal. Tertia ne vacuo ceſſaret culcita lecto, Vnà ſimus ait.

PROGYMNASMA
VICESIMVMSEPTIMVM.
Inſtruere, & adornare menſam.

SERGIVS, PROCOPIVS familiares ſerui.

SERGIVS. Ecquid audiſti de Oeconomo, Procopi, hodie in ædibus noſtris inſtruendum conuiuium? P. Nullum verbum. S. Herus amicos quatuor vocauit, principes huius ciuitatis, eruntq;

eruntq; miſſus non pauci. Lepores, capi, perdices, truttæ, ſalmones, & aliæ conuiuantium deliciæ apponentur, quas modò prætereunti mihi apud culinam cocus memorauit memoriter, & ipſa enumeratione me in laſsitudinem dedit. P. Quid ais? S. Audi nunc iam. Nos alia aliis, cuiq; famulo ſuum munus relinquamus: quod noſtrum eſt præſtemus ſedulò, menſamq; ſuis rebus & apparatu inſtruamus. P. In me nihil eſt moræ. S. Bene factum, quod ancillula euerrit ſcopis hora ſexta triclinium: alioqui tu euerrere debuiſſes. P. Tu debuiſſes. S. Tu debuiſſes. Vtinam quoq; pollubrum lauiſſet, ſordet. Sed imperabo ipſi, etiamnum poterit. P. Ad orbiculatam hanc accubabunt opinor. S. Planum id quidem eſt. P. Tu mappas à famula atrienſi poſcas, illas arte laboratas, noſti: ego tapetum viride quæram, quo primùm menſa conueſtiatur. S. Poſcam. P. Cur tam ſero redis? S. Mulierem illam ſurſum & deorſum curſitando quæritare me oportuit. P. Conſternamus ergo menſam. En, conſtrata eſt. Nunc ſtanneas quadras afferam, & orbiculum cui patinæ ſuperponentur, vt mappę ne polluantur. quot diſcumbent? S. Octo. P. Quid ita? S. illi quatuor primarij ciues inuitati, herus, hera maior, filius herilis, hera minor. P. Tibi cochlearia pedunculis inauratis, & cultri manubriis argenteis curæ ſint. S. De ſale in pila contuſo tria ſalina imple. P. Ecce. Curram nunc in cellam promptuariam, apportabo caniſtrum cum pane primario & candido: nam ſecundarius hinc exulabit hodie. S. Sellas ego conquiram. P. Vt promumcondum ti-

mere

mere ſenſi modò, ne nos de pane iſto comederemus interealoci. Pumex non æquè aridus eſt, vt hic ſenex. S. Parcus, ſordidus, tenax & pertinax eſt. P. Ipſe quoq; in lecto follem obſtringit ob gulam, ne quid animæ amittat dormiens. S. Nec me animi fallit cellarium in metu futurum, ne guſtemus de vino. Profectò pitiſſabimus, dum per domum cum cirneis, lagenis, cantharis ambulabimus. Nec verò quiſquam eſt tam ingenio duro, quin vbi quidquam occaſionis ſit, ſibi faciat bene. Impone cuilibet quadræ panem ſuum, & tege mappula. P. Nondum poſtulaui recẽs lotas: nam quæ in hac capſula, maculis iam ſordent. Vado petitum. S. Curſim ito. P. Hîc ero, cum illic cenſebis eſſe me. Adſum, quid iam deeſt? S. Vas refrigeratorium, in quod œnophori & canthari deponantur: nunc enim æſtus hiulcat agros, quippe menſe Iulio. Item aliud, cuprea illa trulla, in qua cryſtallina pocula, & argentea eluantur. Sed hæc poſtremò. Iam abacum oneremus. Defer quadras plures, vt permutare ad ſingulos miſſus, & quoties opus fuerit, commodè poſsimus. Iam de pane cibario paniceas quadras deſecato, quę cibis ſubſternantur, qui mos eſt aulicus. Mi Procopi, afferto etiam ſportulam, in quam reliquię ciborum, & oſsicula de quadris à menſa ablatis proiiciantur. P. En, attuli. S. Euge, optimè. P. Simul abeamus ad afferendas pateras, phialas, ſcyphos, culullos, cymbia, ciboria, chryſendeta, anaglypta, toreumata, cælata, non cælata pocula, quamuis omnibus vſuri non ſint: vt dominus noſter à poculis haud inops eſſe videatur. S. Meritò, hæc enim

eius

eius arma ſunt, cum ſit helluo, non librorum ſed Liberi, & hinc vſque ad ſidera notus. P. Habet hunc morbum. Quid iam deſideratur? S. Magnum illud maluuium argenteum, marginibus ſeu labris inauratis, cum ſuo vrceo, vnde manibus lymphas demus: & tonſis mantilia villis. P. Curauero. hem tibi, quid inſuper? S. Vt ſuffitum thuris ſpargamus per triclinium, quando accumbendum erit, & in tempore de vino è cadis hauriendo cellarium admoneamus: non illo ignobili & cibario, quo aſsiduò gulæ noſtræ lauantur, neq; de fugiente ac dubio, aut aceſcente: ſed honorario, falerno, Cretico. Scis? S. Teneo iſtuc ſatis. Qui agent dapiferos? S. Libanus & Staſimus, pocillatores nós duo. De lancibus, catinis, ſcutellis & patellis rogabimus homines, vt nobis aliquantillum aſſeruent, non repugnãte coco, qui nos amat. Petitionem noſtram curæ habebunt vtiq;. P. Idipſum meditabamur ego venterq; meus: in quo inteſtina præ inanitate horrendùm murmurant.

ANNOTATIONES.

A FAMVLA ATRIENSI) *Atrienſes, qui ſuppellectilis curam gerebant, & atrium vt eſſet omni ex parte mundum ac nitidum prouidebant, qui quaſi domini aliis ſeruis imperabant. Plaut. Pſeud. Condus promus ſum, procurator peni. H. quaſi te dicas atrienſem. P. Immò atrienſi ego impero. Sic fortaſsè appellabimus commodè, famulas inquã atrienſes, quas Germani* Beſchlieſſerin. ABACVM ONEREMVS) *Præter alias huius*

vocabuli

vocabuli ſignificationes, quas in Calepinis, Theſauris inuenies, & quæ ad inſtitutum nihil faciunt, eſt menſula, ſuper quam vaſa aurea & argentea eſcaria ſcilicet, ac potoria ſiue ad vſum, ſiue ad oſtentationem exponuntur. Cic. Tuſcul. 5. Abacos complures ornauit argento auróque cælato. Verr. 6. Cum aliquot abacorum faceret vaſa aurea. Ein ſredentz tiſchlin. PANICEAS QVADRAS) Has in 3. Æneid. Harpya famem Troianis vaticinans menſas vocat.

Sed non ante datam cingetis mœnibus Vrbem,
Quam vos dira fames, noſtræq́; iniuria cædis
Ambeſas ſubigat malis abſumere menſas.

Vbi Seruius. Maiores enim has habebant in honore deorum, paniceas ſcilicet. Principio ſeptimi poeta eaſdem adorea liba, cereale ſolum, exiguam Cererem, orbem fatalis cruſti, patulas quadras nominat. NON LIBRORVM, SED LIBERI) Liber repertor vini ſic appellatur, quod vino nimio vſi, omnia liberè loquantur. Ita Feſtus. Seneca autem extremo cap. 15. de Tranquill. animi. Elicit enim curas, & ab imo animum mouet: & vt morbis quibuſdam, ita triſtitiæ medetur: Liberq́; non ob licentiam linguæ dictus eſt, ſed quia liberat ſeruitio curarum animum, & aſſerit, vegetioremq́; & audaciorem in omnes conatus facit. HABET HVNC MORBVM) Quaſdam prauas conſuetudines, & animi vitioſitates ſic vocabant. Cic. 1. de finib. Animi autem morbi ſunt cupiditates immenſæ & inanes diuitiarum, gloriæ, dominationis libidinoſarum etiam voluptatum. Et Verr.

1. Nam

1. Nam ille quoq; ſodalis erat in hoc morbo & cupiditate. & orat. 4. Venio nunc ad iſtius, quemadmodum ipſe appellat, ſtudium: vt amici eius, morbum & inſaniam; vt Siculi, latrocinium. Sic Catullus de Egnatio, qui de candidulis dentibus magnopere ſibi gratulabatur, & vbicunq; eſſet, quidquid ageret, ſine vlla occaſione eius candoris oſtentandi cauſſa ridebat, habet, inquit, hunc morbum, Neque elegantem, vt arbitror, neq; vrbanum. Horat. ode 25. lib. 1. per morbum cohortis Cleopatræ impudicitiam, & Sat. 5. lib. 1. per morbum Campanum arrogantiam Campanam, & Sat. 6. eiuſdem lib. per morbum Barri immodicum formæ cultusq; ſtudium, & Sat. 3. lib. 2. cupiditatem lucri intelligit. Epiſt. item 1. lib. 1. auaritiam & Cupidinem morbos dicit.

PROGYMNASMA VICESIMVMOCTAVVM.

Quæ ante accubitum.

ISACIVS, VRSMARVS.

ISACIVS. Cum in conuiuio mœſtum ſedere ſubruſticum, ac præter decorum ſit, quoniam ſcilicet ingenuæ voluptatis, & lætitiæ cauſſa ineuntur conuiuia, deceatq; nos, quando manus lotas mantili abſtergimus, ſimul quoque omnem abſtergere], & excludere ex animis ægritudinem, ac tradere curas in mare Creticum portare ventis:

ventis: quid tu Vrſmare heſterna luce triſticulus, meditabundus, ac ſuſpirioſus, lugentiq́; ſimillimus inter conuiuas? V. Conabar ego quidem me ad hilaritatem dare, ſed difficile eſt imitari gaudia falſa. Difficile eſt triſti fingere mente iocum, vt ait poeta elegiacus. Verùm quo minus ego, tantò magis tu lætitia diffundebare, meamq́; triſtitiam facilè compenſabas. I. Si quid feci, aut facio quod placeat tibi, gaudeo. V. Quin & illud probabam, quod antequam accumberes id peragebas, cuius cauſſa à menſa ſurgere nō datur laudi adoleſcentibus. I. Quin etiam illud, quod non aduertiſti. Cum eſſem arctiſsimè cinctus, laxaueram aliquantum cingulum; id ſi poſt accubitum feciſſem, omnes, puto, tuq́; inprimis me putaſſent velle vorare quàm plurimum, atq; ob eam rem reddidiſſe ventrem capaciſsimum. V. Etiam ſic vix te ſuſpicione exſoluis apud alios. Miror autē his regionibus morem inoleuiſſe, vt cum honoratis accumbatur nudatis capitibus. Quia apud noſtrates mos eſt alius, ſæpe obliuiſcor huius rei, & pileum non depono ſuper ſcamno alicubi, ſed in capite retineo. I. Iam inde à maioribus ſic fieri mos eſt. An mirum ſit, ſi honoratis honos habeatur? nam poculis & patinis id non fit; quamuis manus lauemus, non tantum vt mundæ ſint, verùm etiam quod panem tractaturæ ſunt, quem priſci vti rem ſacram attingere conſueuerunt: ideoq́; ſi fortè in terram cecidiſſet, reuerenter leuabant, & oſculabantur. V. I[illegible] noſtri ſæculi mortalibus iſtanc rationem [illegible]bus fit quotidie. I. Non autem omne[illegible] ui[illegible];, nec ſem-

per

per hunc morem de capite nudato ſeruant: ephebi ſenioribus reuerentiam debemus: quemadmodum hoc quoque nos inprimis commendat, cedere loci honorem alteri cum diſcumbitur, nec eligere primos accubitus in cœnis. Quod ſi quis etiam eò inuitet, honeſtum eſt ſe excuſare comiter; niſi, qui hoc facit, tertiùm, quartùm id faciat, aut magna fuerit auctoritate: tum illius voluntati obtemperandum eſt, ne verecundiam noſtram cæteri contumaciam interpretentur. V. Arbitror me id adhuc præſtitiſſe; & hoc ſimiliter, cum omni pietate videlicet, aut ipſum me precationes diuinas ante menſam recitaſſe, aut dum eæ recitarentur quietũ aſtitiſſe, atq; auſcultaſſe. I. Quàm multa exiſtimas poſt accubitum, inter prandendum cœnandúmue obſeruanda, ſi peccari poteſt non vno modo antequam recubueris? V. Tam multa, vt voluminibus mandari queant. I. Non ergo dies vnus ad enarrandum ſatis ſit. V. Nec decem. Quid decem? nec viginti. I. Non me fallunt iocationes tuæ.

ANNOTATIONES.

SCILICET INGENVÆ VOLVPTATIS) *Cic. ad Papirium Pætum ep. 24. lib. 9. Te ad cœnas itare deſiiſſe moleſtè fero. Magna enim te delectatione & voluptate priuaſti. Deinde etiam vereor (licet enim verum dicere) ne neſcio quid illud, quod ſolebas, dediſcas, & obliuiſcare cœnulas facere. Nam ſi tum, cum habebas quos imitarere, non multum proficiebas, quid*

nunc

nunc te facturum putem? Græci συμπόσιον, *&* σύνδειπνον, *compotationem & concœnationem vocant accubationem epularum amicorum, & quod in eo genere minimum eſt, id maximè probare videantur. At bene maiores noſtri, quia vitæ coniunctionem haberēt, conuiuium nominarunt. Cicer. de Senect. Ego verò propter ſermonis delectationem tempeſtiuis conuiuiis delector, inquit apud eundem Cato. Hunc locum Stephanus Schediaſ. 8. lib. 1. longiuſcula diſputatione refellere laborat, aſſerens in voce Conuiuij eſſe illam vim antiquos voluiſſe, quæ nonnunquam eſt in, viuere, & vita, cum ſignificant genialiter viuere, genio indulgere, curare cuticulam, vitam degere voluptariam & genialem.* MEDITABVNDVS, AC SVSPIRIOSVS) *Cic. 1. Offic. Si quis cum cauſſam ſit acturus, in itinere, aut in ambulatione ſecum ipſe meditetur, aut ſi quid aliud attentius cogitet, non reprehēdatur: at hoc idem ſi in conuiuio faciat, inhumanus videatur, inſcitia temporis.* IAM INDE A MAIORIBVS) *Apud Iurecos. parentes accipiuntur vſque ad quintum cognationis gradum, aſcendendo videlicet: eodemq́ modo liberi, deſcendendo inquam. Nam pater, auus, proauus, atauus, tritauus parentum nomine cenſentur: liberorum verò filij, nepotes, pronepotes, abnepotes, trinepotes. Vlteriores, qui peculiari nomine carent, maiores, & liberi vltra hos qui dicti ſunt, poſteri nomen habent. Crinit. lib. 15. cap. 8. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 15.* VTI REM SACRAM) *Panis hic ipſe quo viuimus, ait Plinius lib. 22. cap. 25.*

innumeras pæne continet medicinas. Ibidem de eius differentiis & generibus, de quibus item non pauca Rhodigin. lib. 9. cap. 16. Democritus iam animam exhalaturus, propter ſororem ſacerdotem Cereris lamentantem, quod ſacris Theſmophoriis, ſi ipſe moriens domum funeſtaſſet, intereſſe ſibi non liceret, panibus recentibus & calidis ad nares admotis, odore illo vitam triduo, donec illa ſacra peragerentur, retinuit, & mortem abs ſe prohibuit. Extat hac de re epigramma Laertij. TERTIVM, QVARTVM) *Non habere eandem vim tertiò & tertiùm, quartò & quartùm, (& ſic deinceps) aliquid feciſſe Varro exiſtimat, cuius verba recitantur à Gellio lib. 10. cap. 1. Qui etiam ſtat à Varrone. Lege præterea Magium lib. 3. cap. 9.*

PROGYMNASMA VICESIMVMNONVM.

Decorum accubitus, & alia quædam.

POMPILIVS, ASCANIVS.

POMPILIVS. Poſtquam quis accubuerit, quonam modo poteſt in moribus offendere? A. quonam? & pluribus modis, & facillimè. Quare autem rogas? vis tu hanc artem diſcere? P. Niſi mihi Deus iratus ſit, carnificium potius quàm hoc artificium. A. Fortè periculum facis,

facis, an ipſe mores vrbanos nouerim. P. Nec iſtud. A. Quid ergo? P. Vt fallamus tempus iucundo colloquio. A. Cur non de aliis multis, quę in menſa obſeruare pulchrum eſt? P. Nimis longum eſſet, & quæram aliâs. Nunc de hoc capite, quod propoſui, diſſere. A. Libellus quidam fertur, Grobianus illi nomẽ eſt. Is & hoc, & alias morum elegantias enucleatiſsimè docebit. P. Tu in præſens meus Grobianus eſto. A. An tu geſtis omnino grobianiſmum cognoſcere? P. Mitte iocularia. A. Quando accubueris, vtramq; manum tene in gremio, aut alteram in ſinum iniice, quaſi pulicem venareris; ne ſupra menſam habe: aut ſi habes, ſuper orbem habe. P. Intelligo. A. Innititor menſę vtroq; cubito, aut altero ſaltem, ac puluillum poſcito quem ſubiicias. Incredibile dictu eſt, quam hoc ſcitum ſit & elegans: immò apud aulicos quoſdam hunc morem in aulis vidi: in aulis autem quid non feſtiuiſsimum? vnde noſtrũ hőflich. Quare caue tu faxis contrarium. P. Cauebo, etſi nullus moneas. A. Secundum, ſeu infra te ſedentem cubito ſæpe trudito, ne quietum ſinito. Quod ſi quiſpiam è regione ſederit, pedibus ei moleſtiam exhibeto: nam & Chryſippus ille clariſsimus philoſophus in conuiuio ita pedes agitauit. P. Ha, ha, he. perge, perge. A. In ſella perinde ac ſi venti hinc inde impellerẽt, nunc in dextram, nunc in ſiniſtram partem propende. Nonne honeſtus ſedendi modus? P. Honeſtiſsimus, ſi diis placet. A. Dicerem vt curuato, & minimè recto corpore ſederes, niſi ſperarem te id facturum, quamuis non monitum. P. Egregiam ſpem. A. Si

mantile dabitur, explica illud, & in globum conuolutum tanquam ſtrophiolum iuxta quadram pone. Naſum eo terge, ſi grauedo profluxerit: humero aut brachio ſiniſtro complicatum ne impoſueris. P. Platonica præcepta, immò Delphica. A. Poculum ad læuam eſto, cultellus etiam; quem tertio quoq; mẽſe purgabis, & ad cotem exacues. Alle Quatember ein mal. Panis cum res quodammodo ſacra ſit, honoris cauſſa ad dexteram collocetur. Eum vbi in fruſta oblonga & tenuiora concideris, poſtea tribus digitis poſteriorib⁹ premes, & pollice atq; indice bolos ſeu fruſtilla defringes. P. Atqui multas faciam micas hac ratione. A. Illæ erunt dapes gallinarum poſtea. P. Conſuades. A. Extremum audi. P. Vellet hoc eſſet initium, adeò cum voluptate comedo ſermonem tuũ. A. Cruſtam panis ſuperioré inferioremq́; pulchrè reſeca; nam panis ita excoriatus ad ſtomachũ facit; & te ſæpius conſiderare oportet, quid ſalutare delicatumq́; ſit, quam quid nimis politi iſti & vrbani ciues vituperent factum; quæ tibi quidem non ſunt in magno ponenda diſcrimine. P. Ago gratias, venerande doctor. Vale in perendinũ, tum me plura huius generis officia, & iſto cum lepore docebis. Nunc enim diei tempore excludimur. A. Videbitur. Fac tibi iſta ne interim ex animo defluãt. P. Memori mente infixa tenebo.

ANNOTATIONES.

GROBIANVS ILLI NOMEN EST) *Alternis verſibus longis, ſeu elegiaco carmine, compoſitus de moribus*

moribus liber extat, omnibus ſane quàm notiſsimus. Is per contraria præcepta qui mores fugiendi, qui ſectandi ſint docet. Præcipit, inquam, ruſtica, ſordida, inepta, vt tu inde quid vrbanum, quid mundum, quid elegans & decorum ſit intelligas, & illud factis præſtes. Id quod ſine iocis ac riſibus doceri ac præcipi non poteſt. Nobis autem tantam vim dialogorum per tria volumina conſcribentibus, curandum fuit, vt quantum ingenio conſequi poſſemus, œconomiam & faciem eorundem variaremus: nihil enim perpetuò ſibi ſimile diu placet. Sed de varietate noſtra iudicabunt eruditi. Nunc quidem dialogo hoc, & qui ſequitur 33. quibus quædam ad mores in menſa ſeruandos continentur, auctorem illum imitari, & ἀντιφραστικῶς præcipere honeſtatem voluimus: iocosè & facetè nonnihil, fateor. Veruntamē nec à quotidianis congreſsibus noſtris, nec ab hoc genere ſcriptionis, quo ſermo quotidianus emendatur & excolitur omnes iocos & riſus quiſquam ſapiens repulerit. ETSI NVLLVS MONEAS) *Terent. Eunuch. Memini, tametſi nullus moneas. Hecyra. Si non quæret, nullus dixeris. Plaut. Aſin. Libanum in tonſtrinam vt iuſſeram venire, is nullus venit. Rud. Ille, qui vocauit, nullus venit. His, aliisq́ mille locis apud vtrumque, nullus pro, non, ponitur. Locutus eſt ſimiliter Cic. ad Att. epiſt. 22. lib. 11. Philotimus non modo nullus venit, ſed ne per literas quidem, &c. Et alibi. Sextus ab armis nullus diſcedit.* NAM ET CHRYSIPPVS) *In potationibus autem quieſcebat, crura tamen agitans: ita vt ancilla diceret, Chryſippi ſola crura*

ebria eſſe. Laert. SI GRAVEDO PROFLVXERIT) *Grauedo eſt humor frigidus è capite diſtillans, nares obſtruens, vocem obtundens, ſiccam tuſsim commouens. Catullus ad fundum ſuum. Hic me grauedo frigida, & frequens tuſsis Quaſſauit. Hinc grauedinoſi: ad hunc morbum propenſi. Cic. Tuſcul. 4. Itaq; dicimus grauedinoſos quoſdam, quoſdam torminoſos, non quia ſemper ſint, ſed quia ſæpe ſint. Recte autem in antiquis libris legi grauido, & grauidinoſus, per tertiam vocalem, docet Victor. lib. 4. cap. 8.* COMEDO SERMONEM TVVM) *Hac tralatione vtitur Plaut. Aulul. Nimium libenter edi ſermonem tuum. In Moſtell. dixit, guſtare ſermonem. In Aſin. dicta deuorare. Horat. Ode 13. lib. 2. bibere etiam ad aures tranſtulit.*

PROGYMNASMA TRICESIMVM.

In potu quid deceat.

PIVS, FVLVIVS, DIDYMVS.

PIVS. In conuentu doctorum hominum loco ſolito ſcitis heri ſcholam explicatam hanc. Vtrum eſſet vinum dandum pueris. Quid vobis videbatur? F. Quod toti gregi noſtro viſum auguror; vt ambo, qui hæc diſputabant, aquam biberent, ſi tam ſalutifera eſt aqua, & vinum tam peſtiferum. D. Tamen propitius fuit

fuit nobis alter duorum,tantumq́ vetabat infantibus,qui adhuc lactarentur,& nutricibus vinum dari,niſi modicum, & dilutum. Deinde docebat medicos vini potionem vſq; ad annum nonum pueris interdicere. Cæteris, qui prope puberem ætatem eſſent,vt nos ſinguli Dei beneficio ſumus, vinum parcè, & meracum permitti poſſe, quoniam ingeniis valetudiniq́ mirè conduceret. P. Sed quod aiebat tam modicum, vt magis ad cibum concoquendum,quam ad ſitim reſtinguendam valeret, hoc neutiquam in animum meum penetrabat. Et cum hic locorum nullus ſit vſus cereuiſiæ (quam nonnulli vinum hordeaceum, alij zythum appellãt) oporteret nos, ſi paullò largius bibendum eſſet,aquæ potores fieri. Vituli & inſeres aquam bibant; nulla gutta in corpus meũ deſcendet vnquam. F. Dummodo bibam, diluatur vinum, ſi ſit Franconicum, ſi Auſtriacum, ſi Hungaricum, ſi Italicum: aquam profectò guſtare nec libuit adhuc, nec libebit. D. Nec mihi decretum eſt aquam bibere. At tu Fului, quod nec ciuile,nec ſalubre cenſetur,ſimul vt accubuiſti bibis. F. Hepate ſum calido. D. Ergo ignem igni addis. F. Gerræ; nunquam me comburet hic ignis. P. De patre meo ſæpius audiui,non eſſe ſtatim poſt offam bibendum,nec poſt eſum lactis; quorũ vtrumq́ ſolet Didymus. D. Satis dicaculus. Quod niſi obmuteſcis, faxo te pœniteat inne linguam expediuiſſe. P. Age, comminiſcere aliquid. D. Non ſatis modeſtè, ſed auidè hauris. Siquando de cantharo bibis, patente nimis rictu merum inuergis, vt oculi ſudent. P. Manifeſta

calumnia. D. Teſtis eſt Fuluius. F. Eſt ita. P. Et tu Fului, nondum manſo ac traiecto in ventriculum cibo, nec prius ore labriſq; abſterſis conſueſti ſitim depellere, quæ turpiſsima ſunt: nec os abſtergis poſtquam bibiſti. F. Et tu, quod crebrius notatum eſt, inter bibendum intortis oculis aſpectas alios. P. Et tu occiput in tergum reiicis, vt nec vna guttula in poculo relinquatur. Noſti exſiccare calices. Didymus verò, quid propinantibus reſpondeat neſcit, & tamen reſpondet nimium, cum ore ſummo tenus attingere debeat. D. Quid faciam, ſi vrgent? P. Ne angaris animi, dic te quod ſatis ſit bibiſſe: aut dic te bibiturum, cum denuò ſitieris. D. Docé me etiam tu magne doctor, quoties in menſa bibendum. P. Ter ſummum. D. At tu, eſt quando compluries pocula ducas. P. Quæſiuiſtíne tu quoties ego biberem, an quoties bibendum? D. Sed turpe eſt doctori cum culpa redarguit ipſum. Proinde quoties alium probri accuſas, teipſum intuebere. F. Conſultum fuerit, nos omnes libellum de moribus perlegere. Nam ſi inquireremus, omnes fortè multorum peccatorum affines inueniremur. P. Sed tu plurimorum. F. Sed tu infinitorum.

ANNOTATIONES.

VINVM DANDVM PVERIS) *Igni non eſt addendus ignis, ne maius euadat & pernicioſius incendium. Sic cum vinum calefaciendi vim habeat, & pueritia calore naturali ferueat eoq; abundet, philoſophi*

&

& medici vinum pueris dari vetant, ante annum ætatis nonum maximè. Malè igitur, qui etiam infantibus illud præbent. Nam dum volunt robuſtiores efficere, magnopere aucto calore iracundos reddunt. ET NVTRICIBVS) *Quas ob cauſas ipſæ matres quos pepererunt etiam lacte ſuo paſcere debeant: &, ſi id non poſſit fieri, quales nutrices deligendæ ſint, quantumq; vitiis ſuis noceant alumnis ſuis, videndus Plutarchus de lib. educand. Gellius lib. 12. cap. 1. Quintil. cap. 1. lib. 1. Mapheus lib. 1. cap. 4.* NVLLVS SIT VSVS CEREVISIÆ) *Antiqui, iis maximè regionibus, quæ ob ſoli vitium vineas ſeri non paterentur, è frugibus potum conficiebant: cuius rei auctorem Liberum patrem Diodorus lib. 4. facit. Lege caput 12. lib. 2. apud Iunium. Gallos narrat idem Diodorus lib. 6. ob inopiam vitium ex hordeo conſueſſe potionis genus conficere, cereuiſiam nempe. Quamobrem Iulianus Imperat. veniens in Galliam, cum eam guſtaſſet, ita luſit epigrammate perquam feſtiuo.*

τίς; πόθεν εἶς Διόνυσε; μὰ γὰρ τὸν ἀληθέα Βάκχον,
οὔ σ᾽ ἐπιγιγνώσκω. τὸν Διὸς οἶδα μόνον
κεῖνος νέκταρ ὄδωδε, σὺ δὲ τράγον. ἦ ῥά σε Κελτοὶ
τῇ πενίῃ βοτρύων τεῦξαν ἀπ᾽ ἀσταχύων.
τῷ σε χρὴ καλέειν Δημήτριον, οὐ Διόνυσον,
πυρογενῆ μᾶλλον, καὶ Βρόμον, οὐ Βρόμιον.

Bacche quis? aut Vnde es? tibi Bacchum iuro per ipſum,
Te minime noui; ſed Ioue noſco ſatum.
Tu hircum, is nectar olet: nimirum Gallia tellus
Te flaua è ſpica Vitis inops genuit.

Dice-

Dicemus te igitur Cerealem, non Dionyſum,
Spicigenam potius, & Bromum haud Bromium.

QVOTIES IN MENSA BIBENDVM) *Eubulus apud Athenæum lib. 2. cap. 1. Bacchum inducit dicentem, ſe decem crateras miſcere. Sed tres tantum ſanis & prudentibus. Primum ſanitatis: alterum voluptatis; tertium ſomnij. Quartum ait pertinere ad iniuriam, quintum ad clamorem, &c. Qui autem dixit primum hauſtum eſſe neceßitatis, alterum voluptatis, tertium ebrietatis, quartum inſaniæ, is nihil aliud, quam moderationem in potu voluit nobis præſcribere. Romulus ad cœnam vocatus, non multum ibi bibit, quia poſtridie negotium haberet. Cui cum diceretur; Romule, ſi iſtuc omnes homines faciant, vinum vilius ſit. Reſpondit: immò verò carum, ſi quantum quiſq; volet, bibat: nam ego bibi quãtum volui. Lepida omnino, & ſobria reſponſio. Narrat Gellius lib. 11. cap. 14.* TEIPSVM INTVEBERE) *Sapientißimus vitæ emendator Plutarchus lib. de vtilit. ex inimicis cap. ſic præcipit. Qui ſit in alium dicturus, non hunc oportet facetum, aut clamoſum, aut improbum eſſe: verùm eum eſſe conuenit, in quo nullum conuicium, aut crimen hæreat. Deus enim nulli magis præcepiſſe videtur illud; Noſce teipſum, quam ei, qui ſit alium vituperaturus: ne ſi dixerint quæ volunt, audiant quæ non volunt.* NE ANGARIS ANIMI) *Angor animi, pendeo animi Cicero dixit. Excrucior, diſcrucior animi Plaut. & Terent. Labor animi, ſum miſer animi Plautus. Sum incertus animi Liuius. Præſtans animi, fidens*

dens animi, dubius animi. Virgil. Integer vitæ, integer animi, integer mentis, felix cerebri Horat. vagus animi Catull. ſanus mentis Plaut.

PROGYMNASMA TRICESIMVMPRIMVM.

Quando, & quomodo accipiendum è patina.

NICEPHORVS, EVLOGIVS.

NICEPHORVS. Quibus moribus potiſsimùm, Eulogi, te hodie inter epulas ſtuduiſti præſtare cæteris? E. Quorum præcepta heſterno die repoſcenti Magiſtro recitaueram. N. Et illa quæ fuerunt? E. Quando manus in patinam immittenda, ſeu quo pacto nos in patina geramus. N. Itera eadem mihi, ſi oneroſum non eſt, &, ſi multa nõ ſunt. E. Immò perpauca. At ſi quid viciſsim abs te petiuero in hoc genere (nam tu quoq; conficis penſum tuum in dies ſingulos) recitabis ne? N. Neq; iſtic, neq; alibi vſquam tibi erit in me mora, opera & factis dictum iſtuc experiere. E. Vbi iam conſederimus, ferculáq; illata fuerint, non eſt derepente inuolandum irruendumq; in paropſidem: ſic propter improbam vẽtris rabiem lupi facerent. N. Atqui Plautus ait: ad ſuum quæſtum quemq; æquum eſt eſſe callidum. E. Plautus id aliouorſum dixit. N. Hoc igitur

igitur probro ſummo ducendum eſt. Quin etiam affectui moderandum, & appetitionem in eo coercendam puto, vt cum ſubitò cibum non tangamus, nec primi tangamus. E. Quinimmò, ſi cum maioribus natu lectiſq; hominibus accumbamus, poſtremi omnium, & ad hoc ipſum ſemel atq; iterum inuitati. N. Iſtuc inprimis honeſtum exiſtimo. E. Auiditati edacitatiq; tribuendum eſt, quod nonnulli bolos nimium feruidos in os ingerentes, eos aut mox reddere, aut ſi propter dedecus fœditatemq; non audent, non parum aduſta gula deuorare coguntur. N. Recens exemplum. In offam calentiſsimam nudiuſquartus incidimus: ibi cōdiſcipulus noſter Euſebius adeò peruri fauces ſenſit, vt lacrymaret præ doloris magnitudine. Quanquam nec illi laudandi, qui diutius plenioreq; ſpiritu afflant quod hauſtum eſt cochleari, donec nimirum omnino frigidum efficiatur. E. Et rectè id quidem. Digiti item in iura ſeu embammata intingendi non ſunt, ſed buccea panis cultro affixa, & fuſcinula, cultróue accipiendum de patina, quod accipiendum, iiſdemq; inſtrumentis reponendum eſt. N. Habeo de noſtris ſodalibus nominare, qui in hoc genere ſe culpa deuinciunt. E. Et nos aliquando eadem culpa tenebamur. Nec verò ſemper abſtulimus quod ante nos eſſet. Quod ſi hoc ipſum fuerit aliquid ad epulandum electum & ſingulare, relinquemus honoris cauſſa proximè accumbenti, & vicinam portionem tollemus. N. Quid illi, qui inuertunt vaſa eſcaria, vt quod viderunt ineſſe optimum, id ante ſe habeant? E. Idipſum ſtoma-

chabar

thabar modo. N. Miror ſi quiſquam in hoc poſſit honeſtatis tranſire limitem, cùm ſit tam apertè ruſticum. E. Inter familiares & neceſſarios fortaſſe quidam hanc notam non timebunt. Tamen apud illos quoq; ornat vnumquemq́; modeſtia. Nunc tu mihi quoque, vt pollicitus es, recita. N. Egóne? E. Num quis hîc alius eſt præter me atq; te? N. Cur ego ligna in ſyluam? E. Non eſt, vt putas; multa exciderunt animo. N. Dicam de moribus, quos teneamus, cum porrigitur nobis aliquid; idq́; mea potius cauſſa; vt memoriam earum rerum confirmem, quam tua, qui & hæc & alia facilè memoria meminiſti. E. De me ipſe videro, tu cauebis ne malum nomen videare. N. Sine verſura diſſoluã, & ad denarium, quidquid hoc eſt æris alieni.

ANNOTATIONES.

TE STVDVISTI PRÆSTARE CÆTERIS) *Salluſt. Catilinar. Omnes homines, qui ſtudent ſeſe præſtare cæteris animalibus. Id eſt, qui conantur, qui laborant vt præſtent & antecellant.* Eodem modo *locutus eſt Cic. 2. Off. Gratum ſe videri ſtudet. Terent. Eunucho. Qui placere ſe ſtudent bonis, quam plurimis. Non ita diſſimilis eſt illa loquendi ratio in ead. comœdia. Eſt genus hominum, qui eſſe primos ſe omnium rerum volunt. Et 2. Tuſcul. Eſt enim quoddam genus eorum, qui ſe philoſophos appellari volunt. Terent. And. Uxorem decrerat dare ſeſe mihi hodie. Liuius lib. 22.*

Qui

Qui ſe bene mori, quam turpiter viuere maluit. In his ferè omnibus ſublato prouocabulo, adhuc integer manebit ſenſus. PROPTER IMPROBAM VENTRIS RABIEM) *Virgil. 2. Aeneid.*

> *inde lupi ceu*
> *Raptores, atra in nebula quos improba ventris*
> *Exegit cæcos rabies, catuliq́ue relicti*
> *Faucibus exſpectant ſiccis.*

Rictu quam latiſsimè diducto ad prædam deuorandam accurrere ſcribitur lupus. Qua fraudatus, hians obambulat. Inde prouerbium, lupus hiat, de eo, qui re multum ſperata fruſtratus diſcedit. In fame eundem terra veſci ait Plinius lib. 8. cap. 22. Plaut. Capt. Quaſi lupus eſuriens metui ne in me faceret impetum. POSTREMI OMNIVM, ET AD HOC IPSVM) *Eligere primos accubitus, tametſi illi propter tuam ſupra cæteros auctoritatem & excellentiam debeantur tibi, non eſt vt commendari poßit. Semper enim aperta honorum conſectatio turpis eſt. Recumbere autem in nouiſsimo loco, id eſt, ſemper aliis potiores partes concedere, idq́ue ex animo, magnæ virtutis, & omni laude proſequendum facinus. Qui ipſus ſe contemnit, in eo eſt indoles induſtriæ, inquit Plautus. Veruntamen hæc doctrina ad iuniores, & obſcuriores ſpectat maximè, quos & ætatis verecundia, & conditionis humilitas ad modeſtiam debent impellere.* NE MALVM NOMEN) *Bonum nomen eſt debitor bonæ fidei, malum nomen ſuſpectæ aut malæ fidei; nam pro debitore etiam, non modo pro debitis hæc*

vox

vox interdum ponitur, & nomina facere eſt item debitores comparare. Hinc fœnerator Alphius, vt eſt apud Columellam lib. 1. cap. 7. vel optima nomina fieri mala dicebat non appellando. Cic. epiſt. 6. lib. 5. Ego autem meis rebus geſtis hoc ſum aſſecutus, vt bonum nomen exiſtimer. SINE VERSVRA DISSOLVAM) *Verſuram facere aut ſoluere, eſt creditorem quodammodo vertere, mutare ſcilicet, & fœnus fœnore, æs alienum ære alieno diſſoluere, & ita nouo nomine vetus nomen expungere, quodq́ue prouerbio tritum eſt, clauum clauo pellere. Poterit etiam vſurpari tranſlatè, exemplo ſit quod recitat Cicero Tuſcul. 1. Cum Lacedæmonius quidam, cuius ne nomen quidem proditum eſt (Plutarchus in Laconicis Thectamenem vocatum tradidit) mortem tantoperè contempſerit, vt cum ad eam duceretur damnatus ab Ephoris, & eſſet vultu hilari atque læto, dixiſſetq́ue ei quidam inimicus: Contemníſne leges Lycurgi? reſponderit: Ego verò illi maximam gratiam habeo, qui me ea pœna multauerit, quam ſine mutuatione & verſura poſſem diſſoluere.*

PROGYMNASMA
TRICESIMVM SECVNDVM.

Cum ab aliis quippiã porrigitur.

IIDEM.

NICEPHORVS. Cum exquiſitiores & apparatiores, ſeu communes etiam, & vulgares partes quiſpiam diſcumbẽtium ſuper quadram noſtram depoſuerit, gratias agemus, paululùm etiam aſſurgentes, (ſi perſonæ dignitas ea fuerit) deinde fruſtulum reſecabimus capientes ſummis digitis, quod nos eſuri ſumus, reliquum cultello affixum aut illi à quo totum acceperamus reſtituemus, aut ſi orbis eius non vacat, vicino, aut in patinam referemus. E. Si pauxillùm contigerit? N. Totum retinebimus: nec enim tum cadet in nos voracitatis ſuſpicio. E. Si dimidiatus pullus? N. Hoc nimium. E. Si auicula? N. Ita, ſi auicula; non autem, ſi auis. E. Credo equidẽ ſi anſer, aut capo; ſunt enim aues. N. Nimis longè abis, & te diſsimulas percipere quid velim. E. Age, vnum hoc & laudabile præceptum. N. Quod commodè, tribus digitis excipere non poterimus, quadra porrecta excipiemus. E. Alterum. Veruntamen non tu res iurulentas, ſed ſiccas digitis excipiendas intelligis. Num rectè mentem tuam interpretor? N. Prorſus rectè. E. Si quid cochleari offeretur? N. Accipiemus cochlear oblatũ. Quod intus eſt, in orbem noſtrum deponemus, cochlear reſtituemus. ſi liquidius aliquid fuerit, comedemus ſtatim, cochlear autem prius mantili exterſum reddemus. E. Tertium. N. Ne citius manum ad accipiendum extendamus, quàm præberi nobis videmus quod deſectum eſt, ne alteri anteuertere, illiq́ꝫ velle præripere ſuũ exiſtimemur. E. Quartum. N. Interdum dabitur, quod ad ſtoma-

chum

chum noſtrum non faciet, vt caſeus ad meum. E. Et porcina ad meum. N. Aut iam exempta fame, & amore illo edendi compreſſo; tum agendæ ſunt humaniter gratiæ, oblataq; recuſanda. ſi perſtiterit qui porrigit, dicendum verecundè, nos amplius nihil requirere, aut eiuſmodi cibum valetudini noſtræ detrimentoſum eſſe. Nec metuendum, ne recuſandis aut epulis aut poculis ruſticiores videamur. Nam propter huius rei metum in cruditates, dolores, inualetudines præcipitare, hoc demum eſſet ruſticum, & omni ratione vacuum. E. Quintum. N. Trecenta præſcribi poſſent, tamen ex his cætera ſatis cognoſcentur. E. Ita reor. Tibi gratias ago pro opera tua. N. Et tibi ego pro tua.

ANNOTATIONES.

SI DIMIDIATVS PVLLVS) *Dimidium librum, dimidiam fabulam, dimidium digitum vitioſè dici, atque in his omnibus & ſimilibus vocem (dimidiatum) eſſe adhibendam, quæ ſignificet aliquid in partes duas pares diuiſum, quaſi diſmediatum; dimidium autem eſſe id, quod ex dimidiato alterum eſt, non ipſum dimidiatum docet Gellius, quem lege lib. 3. cap. 14.* IN CRVDIT. DOLOR. INVALETVD. PRÆCIPITARE) *Hæc verba, vertere, conuertere, mutare, reciprocare, mouere, præcipitare, ingeminare, accingere abſolutè, ſeu patiendi notione à nobiliſſimis auctoribus, Cicerone, Salluſtio, Cæſare, Tacito, Virgilio vſurpata te-*

ſtimoniis quam plurimis confirmat Aldus Manut. Pau*li* F. *ſcholiis in Salluſt.* Nox *humida cœlo præcipitat, pro, præcipitatur. Ingeminant Auſtri. Næ iſta vobis manſuetudo & miſericordia in miſeriam vertet. Mores quidem populi Romani quantum mutauerint, vel hic dies argumento erit, &c.* Docet *etiam Gellius lib. 18. cap. 12. verba agendi pro patientibus, & rurſum hæc pro illis antiquos extuliſſe.* TRECENTA PRÆSCRIBI POSSENT) *Trecenta dicebant pro ingenti numero, ſeu pro admodum multis, ſeu innumerabilibus.* Catull. *Quos ſimul complexa tenet trecentos. Et ad Verannium.*

Veranni omnibus e meis amicis
Antiſtes mihi millibus trecentis.

Ad Marrucinum.

Quare aut hendecaſyllabos trecentos
Exſpecta, aut mihi linteum remitte.

Plaut. *Milite. facilè eſt, trecentæ poſſunt cauſſæ colligi. Muret. in* Catull.

PROGYMNASMA
TRICESIMVMTERTIVM.
Aceruus præceptorum.

POMPILIVS, ASCANIVS.

POMPILIVS. Nihil potuit opportunius, teipſum quærebam. Salue Aſcani. A. Et tu ſalue mi Pompili. P. Numquidnam oblitus es quãtum me nudiustertius facetiarum & vrbanitatis

tatis tuæ leporibus hilaraueris? A. Quibus tandem? P. Cum doceres ludibundus, quid poſt accubitum nos agere, & quam modeſtè accumbere conueniret. Ego verò ita tum diſceſsi, vt alium inſuper, longioremq́ꝫ ſermonē de ciuilitate in mēſa ſeruanda abs te ſtipularer. Quid nunc animi tui ſuper hac re ſit, non mihi liquet. A. Nullū ſermonem promiſi nec reſtipulatus ſum. P. Atqui non negaſti, & verū illud verbum eſt vulgò quod dici ſolet; qui tacet, conſentire videtur. A. Tute leges quæ reliqui. P. Te audire præopto, tam facundus & iucundus es. Tamen nihil niſi tuo cōmodo, ac te volente fieri cupio. A. Amicitiæ noſtræ dandū eſt aliquid, alius non impetraret. Faciundum eſt quod vis. P. Amo te meritò. A. Vt ergo hinc exordiar. Si cœna aut prandium differtur, vel quia nondū adſunt accubituri, vel quia cocus necdum eſt paratus, legi qui ſtudioſo literarū ſuaderent, vt interim geographica pictura, aut lectiuncula aliqua, aut teſtudine pulſanda ſe oblectaret, atqꝫ ita cogitationem ſuam à menſa auocans, cum ventre quaſi quoddā leue ac breue bellū gereret. Tu objurga cocum quā acerrimè, & iterum iterumq́ꝫ interroga, quando tandē accumbendū ſit, totúmne diē exſpectare oporteat. Nomina occupationes, quibus te operā dare tanta tamq́ꝫ diuturna mora non ſinat. Oſtende ventrē tuum impatienter flagitare debitum. P. Fecerā ego hoc aliquando, & ob id neſcio quis aculeus pūgebat pectus meum, quem tu nunc mihi ſuſtuliſti. A. Gaudeo ſi eſt vt prædicas. Quæ tu eſurus aut bibiturus es, quæq́ꝫ alij, iis naſum prius admouendū duco, ſi cōmodè

 poſsis.

poſsis. P. At nauſeam aliis ciebo. A. Licet hoc, in menſa præſertim. P. At ego iſtuc ignorabam. A. Digitos ſi iure contaminaueris, vel lingito, vel ad tunicam, non ad mappulã, ſed linteum extergito: quoniã id ſpurciſsimè commaculares, & ſapidum illud quãtulumcunq; perderes. P. Nempe vt canes & feles cum comederũt, exerta lingua, ſic ego mihi os & digitos lambere inſtituam. A. Tu haud ſtultè ſapies, & res tibi ſapiet. Bolos quamprimum degluti, ne multum dentibus mole. Sint autẽ bene magni, & librales, vt buccæ vtrinq; tumeant; perinde vt ſi aut tuba caneres, aut flatu focum excitares. Neq; ſemper panẽ ad carnis illa fruſtula adhibeto. P. Bellè cœpiſti. Dimidium facti. A. Ore pleno loqui aut bibere, ſpirare naribus, anhelare, diductiſq; labiis porculorũ mandentium ſonos æmulari, lingua interius palatum ac dentes perpurgare, buccas & labra lambere; hæc, inquã, aſpectu ſimul & auditu iucundiſsima ſunt; nec eſt aliud ferè quidquã meo iudicio, quod tanta hilaritate cõuiuas perfundat, & quotquot menſæ accumbunt. P. Teneo memoria patrem meum nobis adhuc pueris, cũ ſpiraremus, illúmue porculorum ſonum ederemus inter comedendum, ſæpius dare alapas: vſq; adeò vrbanitatẽ hanc ferre non poterat. A. Laudo tuum patrem. Et noſter parẽs ob ſimilia peccata plagas nobis imponebat. Sine vlla intermiſsione oportet edere ac bibere. Idcirco enim ad menſam cõuenitur, apud quam, vt ait in Trinummo Plautus, verecundari neminẽ decet: colloquia aliorum ſunto. Quod ſi illum edendi exercitum non exerces: ſi dentes, inquam,

ab ope-

ab opere vacant, interim ſcalpe ipſos, ſcabe caput, geſticulare manibus, lude cultello, & in quadra cæla aliquid. P. Obſidionem Troianam, aut gigantomachiam fortaſſe. A. Non, ſed aut Aſiam, aut Africam, aut Europam. P. ha ha. A. Manus niſi ad cubitum propemodum ſint pollutæ, & mantile eximiè ex abſterſione oris atque digitorum conſpurcatum, nondum eſt elegantię munus impletum. Quin eo ita mundo, vt dixi, aliquoties oportebit cum ſudorem propter conatū atq; ſtudium naturam cibo explendi per faciem manantē detergere, tum naſum emungere, dentes eodem fricare, ſeu idipſum digitis facere. P. Quàm ſunt omnia, quæ profers rationi, & ſummæ cuidam prudentiæ conſentanea? A. Screatibus, tuſsibus, ſputis proiiciendis indulge. Hæc ingenuum adoleſcentem arguunt, qui otioſus eſſe nunquam poſsit. P. Attamen quid interim ageret aliquis? A. Aliorum auſcultandis ſermonibus det operam, ſi ipſi non datur loquendi occaſio; atque ita tædium fallat. P. Penitus ita faciendum, bene mones. A. Quod palato blanditur, abradito cum magna ſollicitudinę, & abs tę ſemeſa fruſta carnium atq; fructuum alteri porrigito. Panem præroſum denuo in ius intingere quid vetat? P. Vrbanitas. A. Itáne obturbas? ſi fortè cochleari, cultro, patellæ ſaccharum, mel, aut aliud quippiam dulce adhæſerit, lambe & relambe. Ipſum ſalem nō cultelli cuſpide, ſed tribus digitis extremis de ſalino ſume. P. ha ha, nempe vt ruſticorum inſignia gentilitia ibidem impreſſa relinquam. Drey Finger in einem Saltzbüchſel.

A. Si longius abfuerit, tu noli quadram protendens ſalem petere, verùm iube audacter ad te ſalinum admoueri. P. Hoc eſt eritq́ꝫ inſulſum, ſi vel modium ſalis adhibueris. Verùm agreſtiora quędam reſtare ſuſpicor quæ dicas. A. Quam etiam politicum & aulicum illud, cibum manſum è faucibus eximere, & in orbem reponere? P. phui, phui. A. Ne execreris, audi porrò. Si quid in os miſſum fuerit, quod traiicere in ventrẽ non conducat (poteſt enim fieri, vt in pane latuerit carbo, aut pilus, aut ſimile quid) ne auerteris te, néue manum ori appoſueris, ſed coram omnibus cum ſimplicitate & libertate in terram eiice, vt reſonet. P. Vide Aſcani quo inducas. A. Etiam illa videmus quibuſdam ſolennia eſſe in cõuiuiis, vt cibũ ambeſum, aut oſſa ſemel in quadra depoſita iteratò ſumant atqꝫ tractent, vſqꝫ dum apponatur diſcus, in quem coniici ea mos eſt: nec oſſa cultello, ſed dentibus purgant. P. Quales tu mihi ruſticos narras? immò canes. A. Qui verò canibus aut propriis, aut alienis de menſa ſubinde largiuntur, eoſq́ꝫ contrectant, illi ſunt verè humaniſsimi. P. Non certè, mea quidem ſententia. A. Socratis eſt, vt quidẽ Plutarchus teſtatur, appetẽdos eos cibos, qui non eſurientes denuo ad edendum, & potus, qui non ſitientes denuo ad bibendum inuitent. Atqꝫ etiam eſurientes ſuauibus frui potius quàm neceſſariis oportere. Et poſtquam à communibus epulis diſceſſum eſt, nouas irritare appetentias. Et quãuis acceperit quis quod naturæ ſufficiat, nihilominus auidè ſecundis menſis & bellariis quaſi noua cœna ſeſe farcire. Et quoniam

mole-

moleſtis animos imaginibus pulſant, occurrendũ eſt hac ratione. Quod ſi quid aliud ſumptuoſum apponetur, cogita abſurdum eſſe precioſis &delicatis eſcis cum adſunt non frui, cum abſunt eas fruſtra deſiderare. Fruere. Et cum te ad ſplendidum conuiuium inuitatum iri ſuſpicare, triduo inediam ſitimq́ tolera, vt appetitũ & famem magnam afferas, & in ventre rebus melioribus quàm ſit victus tuus, locus relinquatur. P. Sed onuſto nimis & malè affecto corpore diſcedam valeboq́ deterius poſtridie. A. Sed optimè valebis perendie. P. Singularis tuendæ valetudinis ratio, de qua Plutarchus & Celſus nihil quod ſciã. Procede. A. De ouis comedendis quid loquar? P. Nouem peccata committi ſolere aiunt; vt facilius ac tutius videatur ouem, quam ouum comedere. Si ita eſt, nunquam ferè abſq́ piaculo edentur oua, etiam quando per Eccleſiam Romanam edere ea ſine crimine licet. hoc immenſum quantum eſt admirabile. Vnum affer de tanto numero. A. Putamen oui non cultelli mucrone, ſed vnguibus purgare. Poſtea albumen illud concretum non pane, ſed pollice excipere, & in os indere. P. Hoc, vt ego ſentio, præcipuum eſt in ouo comedendo flagitium. A. Idem ego crediderim. P. Hoc inſuper non mediocri commendatione dignum ſtatuo, adeo magna cum attentione in veſcendo verſari, & ſic omnibus neruis, toto pectore, omnique cogitatione in patinam euacuandam incumbere, vt quid alij agant, dicant, non ſentias; nec ſatis ſcias, quid ipſemet agas, niſi quod manifeſtò experiris, tibi ventrẽ farctiorem pon-

deroſioremq́; fieri. Et ſi quis te nominatim compellauerit, tum quaſi è profundiore ſomno excitari videare. P. Tales magis bonarum epularum gurgites, quam bonarum literarum ſtudioſi videntur; meliusq́; ac felicius imitari Gallonium, Apicium & Philoxenum, quam M. Tullium, aut Virgilium. A. Quem imitantur, qui circumactis oculis obſeruant quid alij comedãt? qui in alium nimium detentos & defixos retinent? qui capitibus quoq; retortis noſſe volunt, quid in alia menſa geratur? P. Magiſtrum Grobianum. A. Cuiatem opinare hunc hominem fuiſſe? P. Ciuem mundi, vt Socratem. A. Nimium lepidè fabulatus es. Nunc te quædã docebo, quæ ſublatis menſis obſerues. Animaduerte, vt illa æquè mecum ſcias. P. Auſculto. A. Pręſentibus aliis, antequam ſurgas, os vino elue, & in terram exſpue, nihil ob id metuens mali. Dentiſcalpium ori inſertum retine, vt auicula paleam, quando nidum eſt conſtructura; aut veluti calamum ſtudioſi, ſuper auriculam repone. Si ex aliquo ferculo, aut vini genere magnam gula tua voluptatem percepit, id geſtu & voce, & inter conuiuandum, & poſt indicabis. Iam ne ſatis factum tibi? P. Propemodum. Si plus diceres, non ideo te vadimonio obſtringerem, ac ſi vel diem totum conſumeres, æqui boni facerem: aurum ſiquidem & argentum merum eſt, quod aduerſum malè dolatos illos, vereq́ue incultos dicis. A. Aliò properare mę tempus monet Pompili. P. Noui te iuuenem induſtrium, & aſsiduis occupationibus diſtrictum.

ANNO-

ANNOTATIONES.

ABS TE STIPVLARER) *Stipulari ſignificat, poſtulare aliquid ſibi promitti ſolennibus verbis. Reſtipulari dicitur is, qui cum eo certat, qui ſponſione prouocauit. Stipulatio eſt illa verborum conceptio, quibus is qui interrogatur, daturum, facturúmue ſe id quod interrogatur promittit. Et ſtipulari in iure is quoque dicitur, qui ſpondet ac promittit, vt ſit verbum commune. Dicunt autem Iurecoſ. ſtipulari de aliquo, pro, ab aliquo.* SI COENA AVT PRANDIVM DIFFERTVR) *Hæc Plutarchus commentario de tuenda valetud. Vbi adduntur iſta, lectu ſanè digniſſima. Nam ſi non veretur Scytha, cum inter potandum ſubinde contrectat arcum, neruoque ſoluto cantat, videlicet ab ebrietate reuocans animum; vir Græcus num metuet ne rideatur, cum literis ac libris improbam ac impotentem cupiditatem ſenſim remittit, ac relaxat? Nam & adoleſcentes illi apud Menandrum, quibus inter pocula, meretricibus inductis, leno tendit inſidias, in ſeſe quiſque dimiſſis, vt inquit, oculis arrodebant bellaria, non auſi in eas oculos inflectere. Verùm eruditionis ſtudioſi, & honeſtas, & permultas iucundas habent rationes, quibus auocent atque auertant animum, ſi nequeant alia via, cibis appoſitis caninam ac ferinam ſtomachi appetentiã cohibere.* OS ET DIGITOS LAMBERE) *Quod nos dicimus, cibi ſuauitatem comedentiúmue auiditatem volentes exprimere,* die Finger darnach lecken / *Græci* ὑπερ-

ϐολικῶς

βολικῶς καπεσθίειν δακτύλους, *Latini prærodere digitos.Victor.lib.3.cap.24.* DIMIDIVM FACTI) *Heſiodi hemiſtichium eſt,* ἀρχὴ ἥμισυ παντός.*Principium dimidium totius.Summa difficultas eſt,ſeu maxima difficultatis pars in aggrediendo negotio, reliquus labor facilior. Meminerunt huius* Plato *lib.de* Repub. *Ariſtoteles 1.de moribus,* Horat. *epiſt.2. lib.1. Auſonius verò perquam feſtiuè.*

Incipe, dimidium facti eſt cœpiſſe: ſuperſit
Dimidium, rurſum hoc incipe, & efficies.

ILLVM EDENDI EXERCITVM) *Cum deploraret captum* Hegionis *filium paraſitus in* Capteiuis, *cui vultum nunquam tranquillauerat gratis, & cuius benignitate ſæpe ex illis ædibus ſaturitate ebrius exierat; huic, inquit ſenex, illud dolet, quia nunc remiſſus eſt edendi exercitus.* Quod *quidem dupliciter exponit interpres.* Epularum *& dapum apparatus, quem ei ſuppeditabat filius meus* Philopolemus, *eum defecit.Vel ſic.* Quia *nunc non habet, cuius domi comedat, & quaſi dentibus pugnet. Allegoria eſt à re militari. Meo quidem iudicio prior explanatio magis cum ſequentibus conſentit, vbi ſenex ait, ad hunc exercitum reparandum multis & multigeneribus opus eſſe militibus: piſtorienſibus, paniceis,placentinis,turdetanis,ficedulenſibus, & maritimis deniq; militibus. Poſterior non eſt aliena* Plauti *ſalibus & ingenio.* TRIBVS DIGITIS EXTREMIS) *Primus,extremus,ſeu ſummus digitus,eſt prima,extrema, ſumma pars digiti.*Catull.

Cui

Cui primum digitum dare appetenti,
Et acres ſolet incitare morſus.

Eiuſmodi ſunt apud Terent. prima fabula, vltima platea. Apud Ciceronem primoribus labris guſtare, extremis digitis attingere. GALLONIVM, APICIVM, ET PHILOXENVM) *P. Gallonius homo nequam, & perditiſſimus ac profuſiſſimus nepos, quem apud Tullium 2. de finib. ita carpſit Lucilius.*

O Publi, ô gurges, Galloni, es homo miſer inquit,
Cœnaſti in vita nunquam bene, cum omnia in iſta
Conſumis ſquilla, atq; acipenſere cum decumano.

Meminit eiuſdem Cicero in peroratione pro Quinctio his verbis. Non vſq; eo tamen, vt in capite fortuniſq; hominum honeſtiſſimorum dominentur ij, qui relicta bonorum virorum diſciplina & quæſtum, & ſumptum Gallonij ſequi maluerunt. De Apicio & Philoxeno multa Athenæus lib. 1. cap. 3. quod inſcribitur, De claris gulonibus. Sed quod de altero Philoxeno (duos enim facit) exponit, non indignum relatu cenſuimus. Naturam accuſabat, quod ſibi ad perfruendam diutius deſcendentium in ventrem ciborum ſuauitatem collum gruis non dediſſet, & id quidem valde ſibi optabat. Multò dignius, inquit Athenæus, fuiſſet optare, vt boue, vel camelo, vel elephante maiores eſſemus, quia ſic voluptates cupiditateſq; multò maiores eſſent ac vehementiores, quoniam pro viribus fruitiones etiam ab his percipiuntur. Vide nihilominus Ælianum lib. 10. cap. 9. CIVEM MVNDI, VT SOCRATEM) *longè tamen rectius Socrates, qui ſe non Athenienſem, nec Græcum, ſed ciuem*

mundanū (κόσμιον) eſſe dixit, vt ſi quis, puta vel Rhodius vel Corinthius dici velit. Neq; enim Sunio, vel Tænaro, aut Cerauniis ſeipſum incluſit. Plutarch. de exilio. Cic. Tuſ. 5. At Grobianus noſter ideo eſt κόσμιος, quia nuſquam gentium deſunt qui ſub eo militent. VADIMONIO OBSTRINGEREM) *Vadimonium eſt ſponſio ad certum diem ſe ſiſtendi in iudicio per ſe, vel per aduocatos. dictum, quod vadere, hoc eſt diſcedere ei liceat, qui vadimonium promiſerit. Vadari aliquem, eſt vadimonio obſtringere, ſeu diē iudicij ex compacto conſtituere, & in ius vocare. Cic. pro Quinctio dixit: res cœpit eſſe in vadimonium, pro, in vadimonio. de quo genere locutionis Gellius lib. 1. cap. 7. Iam quid ſibi velint, vadimonium facere, concipere, obire, deſerere, ſiſtere, differre, miſſum facere demonſtrat Budæus in Pandect.* ÆQVI BONI FACEREM) ἐπιείκειαν *Cicero aliâs æquitatem, aliâs æquum & bonum, & abſq; copula, æquum bonum latinè vocat. Inde æqui boni facere apud eundem ad Att. lib. 7. epiſt. 7. Tranquilliſſimus autem animus meus, qui totum iſtuc æqui boni facit. Liuius lib. 34. Cæterùm ſi vos nec cura ciuitatis, nec exemplum, nec periculum mouet, nos æqui boniq; facimus. Id eſt, non indignamur, æquo & pacato animo ferimus, & bene interpretamur. Æquum bonum impetrare, eſt ius ſuum, rem ſuam recipere, aut obtinere Cic. Philipp. 2. Is igitur à quo viuo nec præſens, nec abſens quidquam æqui boni impetrauit, apud mortuum factus eſt gratioſus. Bud.*

PRO-

PROGYMNASMA TRICESIMVMQVARTVM.

In ſermone apud menſam obſeruanda.

TITVS, IRENEVS.

TITVS. Præter alia pæne innumera, etiã perpetuum nobis in conuiuio ſilentium imperatur; tam nos duriter habent. Æquum eſſe cenſent nos illico à pueris naſci ſenes: nec ſinunt agere, quæ fert ætas. I. Parcius iſta viris. T. Sic eſt, vera prædico. Quid enim aliud eſt, iubere vt adoleſcẽtiores, ſi cum ſenioribus ineant prandium aut cœnam, ne loquantur vnquam, niſi aut neceſsitas eos adegerit, aut interrogati inuitatiue ad loquendum fuerint? malo equidem cibum capere cum æqualibus meis, quos inter mihi licent omnia. I. Legi nuper in quadam ep. ad Senecam. Qui imperia libens excipit, partem acerbiſsimam ſeruitutis effugit, facere quod nolit. Ibidem. Non qui iuſſus aliquid facit miſer eſt, ſed qui inuitus. Negare porrò non potes, quin honeſtum nobis ſit pauca effari in loco & tempore. T. Non poſſum non confiteri. I. Rectè ergo hoc nobis præcipitur, quemadmodum illud: vt iocosè ac lepidè dictis arrideamus paululùm, obſcœnis nequaquã; nec idcirco frontẽ corrugemus, ſi is cui verbum caſtis auribus minus dignum excidit, eſt aliqua

clari-

claritate nobilis, ne ipſum notare videlicet, taciteq; accuſare videamur; quod cum ipſum per ſe diſplicet, tum à noſtra maximè ætate eſt alieniſsimum. Ita autem vultum componamus, quaſi aut non audiuerimus, aut nō intellexerimus. T. Sexcenties ego hoc conatus ſum: multa enim in illis conuiuiis dictu fœda audiui. I. Sæpius igitur exercendæ virtutis materiam habuiſti. Nonne id quoq; prudenter, ne reſpondeamus, priuſquam loqui ceſſauerit is, cui nobiſcū ſermo eſt? id quod tu parum caues aliquando. T. Cauebo in poſterum, eróque cautior. Nec minus id ſeruabo, tuo exemplo monitus, vt ſi percontantem, haud probè intellexerim, parumper ſileam, dum ille quæ dixit repetat. Si reſponſum omnino cupiat, petam mihi ignoſci, oraboq; vt iterum dicat. Vbi id fecerit, tacebo rurſus aliquandiu, & poſt, breui reſpondebo. Gerámne me iſto modo honeſtè ſatis? I. Certè, neque iſtuc in conuiuio tantum, ſed aliâs quoque, & ſemper fieri poterit ac debebit. Omnino, inquā, interuallum oportet inter quæſtionem & reſponſum intercedere. Tum vt qui interrogat poſsit adiicere ſi quid velit: tum vt reſponſurus conſideret quid reſpōdeat. Solet etiam euenire nonnunquam, vt propter feſtinationem alia pro aliis reſpōdeamus. T. Mihi quidem non ſemel. I. Quidam vituperant liberius quæ apponuntur; hoc epuli domino ſeu conuiuatori quam gratum accidat, tu reputa. T. Ingratiſsimum. I. Alij de abſentium fama ibi detrahunt, alieniſq; laudibus obtrectant, quod accepi D. Auguſtinum ferre nequiuiſſe. T. Audiſti tamen cœnæ patres

ineptos,

Ineptos, dum alij nimium apparatus tenuitatem excuſarent, alij in maius extollerent, commemorarentq́, quanto ſingula precio parauiſſent. I. Scio etiam & noui, qui, quod factum erat inconſideratius, id tacitum tenere non poſſent. T. Ab omnibus iſtis, ſimilibusq́ abſtinebo. I. Hoc ingenuos quales nos numerari volumus, vehemẽter commendat. T. Licet ne diſputare in conuiuio, aut in cœna?. I. Licet, non de iis tàmen quæ capitis dolorem & grauedinem poſſunt gignere. T. De quibus ergo? I. De his, quæ cum honeſta & utilia ſint, etiam iucunda ſunt, carentq́ omni moleſtia. Vt poeticarum & hiſtoricarum quæſtionum exercitatiunculæ, quas quidam eruditorum hominum ſecundas menſas uocauerunt.

ANNOTATIONES.

IN ILLIS CON. DICTV FOEDA) *Cato apud Ciceronem ſeſe conuiuiorum delectationem non magis corporis voluptatibus, quam cœtu amicorum & ſermonibus metiri profitetur. Quos autem ſermones alios illum intelligere exiſtimamus, niſi honeſtos inprimis, deinde varios & iucundos, de quibus idem verſibus aliquot intermiſſis. Conuiuiumq́; vicinorũ quotidie compleo; quod ad multam noctem, quàm maximè poſſumus vario ſermone producimus. Sed quoniam ſobrietati ac temperantiæ inimica eſt Venus, edendo ac bibendo curemus, ne quid nimis. Sic paruo negotio & ipſi linguam à laſciuis ſermonibus abſtinebimus, & aliorum verba*

O nec

nec Alexandrinis permittenda deliciis, vt Quintilianus ait, in pectus noſtrum penetrare haud ſinemus. INTER QVÆST. ET RESPONSVM) Hæc è Plutarchi fontibus, lib. de garrulit. Facit is tria reſponſionum genera: vnum, neceſſarium: alterum, humanum: tertium ſuperfluum, rem exemplis illuſtrat. HOC EPVLI DOMINO) Qui græcis ἑςιάτωρ, latinis eſt conuiuator, qui conuiuium ſeu cœnam præbet. Cicero epuli dominum vocat. Nonius prolatis teſtibus & dominum conuiuij, & citra adiectionem, dominum à priſcis vocatum oſtendit. Dominus, inquit, appellatur conuiuij exhibitor: vnde & dominia conuiuia, &c. Dicebantur & cœnæ patres. Horat. ſat. 8. lib. 2. Inprimis Lucanus aper leni fuit Auſtro Captus, vt aiebat cœnæ pater. Catullus Aurelium quendam, qui parcè & ſordidè conuiuas accipiebat, patrem eſuritionum ſalsè nominat; quaſi eius cœnæ potius eſuritiones, quàm cœnæ vocandæ ſint. DISPVTARE IN CONVIVIO) Quod genus diſputationes in conuiuia inducendæ ſint, diſcimus ex Gellio lib. 18. cap. 2. Nonnulla etiam ſuper hac re Plutarch. de tuend. valetud. Sanè quod quidam tum potiſſimum de religionibus, & fidei Chriſtianæ myſteriis contentioſiſſimè & clamoſiſſimè diſputant, cum cibo & potione completi diſtentiq; ſunt, rem ſtultam faciunt. Lege quæ ſcripſit de ſomnio Numenij philoſophi Macrobius lib. 1. in ſomnium Scip. cap. 2. ſub finem. SECVNDAS MENSAS) Cic. ſuas diſputationes in Top. diſcendi epulas. Et in 2. de Diuinat. vertens locum Platonis è 7. de Repub. Ea parte animi,

mi, quæ mentis ac conſilij eſt, agitata & erecta: ſaturatáque bonarum cogitationum epulis. Sæpius autem hac metaphora idem philoſophus, de eruditis ſermonibus loquens vti voluit. lege Victor. lib. 2. cap. 14.

PROGYMNASMA TRICESIMVMQVINTVM.

Appendix.

DIDASCALVS, PVER.

DIDASCALVS. Cum cœnarem heri cum patre patruóq; tuo, Chriſtiane, ſtructorem te acriter defixis oculis intuentem obſeruabam, notantemq́; curioſè, quomodo ſingula in portiones diuideret, & cui primò, cui poſtremò præberet de patina. Cur id amabo? P. Vt ipſa obſeruatione perdiſcerem hoc artificium, quo me artificio vti oportebit olim, cum virilem togam induero. D. Iſtanc cauſſam non improbauerim. Cur de miſsibus raris & delicatis nihil attingebas? P. Memineram te docuiſſe nos, magis venire gloriam, ſi his abſtineas, quam ſi fruare. Et quemadmodum ille dixerit, nunquam ſe pœnituiſſe quod tacuiſſet, quod locutus eſſet, ſæpe: ita fore vt nos quoq; nunquam pœniteat quod genus cibi lautius recuſauerimus, aut falerni loco aquam biberimus. D. Prudens reſponſio. Verùm, cum pro more gentis noſtræ ad extremam menſam,

nudato capite ſtans cibum vnà nobiſcum caperes (quod tamen tum demum faciebas, cum te accedere iuſsimus) cur ante finem epularum diſcedebas? P. Quia quod natura deſiderabat iam ſumpſeram, & tu me ſic agendum eſſe docueras, præſertim ſi conuiuium produceretur. D. Tollebas igitur orbem tuum cum reliquiis, precatusq́; à nobis veniam, & flexis poplitibus nos ſalutans, meq́; præcipuè, ita abibas. Placuerunt mihi hæc, vidiq́; te moratum eſſe egregiumq́; adoleſcentulum; ac ſtatim patris fortunas laudaui, qui gnatum haberet tali ingenio præditum: & ille teſtimonio meo non mediocriter eſt gauiſus. Monui præterea, vt neq; te, neq; cæteros fratres tuos minores immoderato cibo potuq́; compleri ac diſtendi permitteret, & ſemper citra ſatietatem potius, magisq́; crebrò, quam multo alimento vos refici iuberet. Quod ſi in conuiuio ad menſam vos adhibuiſſet, ne vſq; ad finem ibi ſedere inter conuiuas pateretur. Pueros impuberes, ait Gellius, compertum eſt, ſi plurimo nimioq́; cibo vterentur, hebetiores fieri; aduertimusq́; hinc elici tarditatem, corporáque eorum improcera fieri, minusq́; adoleſcere. P. Currenti calcar addidiſti: ille nos frugaliter alit. D. Vnum nihilominus peroptabam. P. Quid eſt id autem vnum? D. Vt rediiſſes poſtea, ac ſi quid opus fuiſſet, miniſtraſſes: aut exſpectaſſes, ſi quis voluiſſet quippiam. P. Id ego reuera facturus eram: at mater quæ foris in culina ancillis imperabat, alia in re me occupauit vſque ad primam facem. D. Sat habeo, mater fuit, matri mos gerendus fuit, Cæterùm quantò

venuſtius

venuſtius politiusq́ miniſtraſſes nobis cœnantibus, quam ille veſter famulus? quem inter Faunos & Satyros, in montibus & ſpeluncis apparet educatum. Non verebatur in conſpectu omnium dum ad menſam aſtaret, nunc caput, nunc cubitum fricare, nunc vngues rodere. Aliquando manus in ſinum immittebat, nonnunquam à tergo eas coniungebat, quas ipſas indiligenter lauerat. Cum patinam ferret, aut cyathum alicui accumbentium porrigeret; & exſpuebat, & alia ſimilia quæ nunc non memini faciebat, quæ tu, ſi probè ingenuitatem tuam moresq́ cultiſsimos noui, ne magna quidem pœna propoſita admitteres. P. Neſcio tamen, vtrum omnes numeros in iſta parte ſim conſecutus. D. Viciſti cogitationes meas tuis proceſsibus.

ANNOTATIONES.

HOC ARTIFICIVM, QVO ME ARTIFICIO) *Repetitio huiuſmodi eſt vſitatiſſima Ciceroni. Ad Att. epiſt. 19. lib. 8. Literas abs te M. Canuleus ad me attulit ad XIIII. Kal. Martias. In quibus literis ſcribis. Ad Q. F. lib. 3. epiſt. 3. Diem ſcito eſſe nullum, quo die non dicam pro reo. Et in Verrinis. Nec inuſitata Cæſari. de bello Gall. lib. 1. Erant itinera duo, quibus itineribus. Iterum. Vltra eum locum, quo in loco Germani conſederant. Et lib. 4. Iter in ea loca facere cœpit, quibus in locis. Rurſus. Puluerem maiorem quam conſuetudo ferret in ea parte videri, quam in partem legio iter feciſſet.* VIRILEM TOGAM INDVERO)

Prætextam gerebant ingenui pueri ac puellæ; illi vſq; ad annum 17. hæ vſq; ad nuptias. Anno igitur decimoſexto iam finito in templo Iouis Capitolini depoſita prætexta togam virilem (quæ & pura, quod purpura prætexta non eſſet, & candida à colore dicebatur) induebant, cum ſcilicet è pueris, & ephebis excederent, quod Græci δοκιμασθῆναι εἰς ἄνδρας, & εἰς ἄνδρας ἐγγραφῆναι, Iurecos. autem, in ſuam tutelam venire. A quibuſdam ſumpta eſt anno quarto & viceſimo, ab aliis decimo quinto. Lege Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 18. Catullus loquẽs de eadem re, ætatem illam floridam ver appellauit.

> *Tempore quo primum veſtis mihi tradita pura eſt,*
> *Iucundum cum ætas florida ver ageret.*

ET SEMPER CITRA SATIETATEM) *Hæc cuiuis ætati præcepta ſunto. Platoni quidem bis in die ſaturum fieri nullo modo placuit, at medici nunquã prodeſſe valetudini affirmant, appetitum explere penitus. Cauendum monet Plutarchus, ne ſicut mali naucleri, poſteaquam ob auiditatẽ multum oneris in nauim coniecerint, deinde perpetuo labore ſentinam exhauriunt, aquamq́; marinam eiiciunt: ita nos quoque, ſimul atq; corpus expleuerimus, onerauerimusq́;, tum rurſum repurgemus, & clyſteribus exoneremus: ſed leue & expeditum ſeruare conueniet; quò ſi quando etiam continget premi, ſuberis in morem ob leuitatem ſurſum emicet. Libet his adiicere quæ ſunt apud Senecam epiſt. 21. Venter præcepta non audit, poſcit, appellat. Non eſt tamen moleſtus creditor, paruo dimittetur: ſi modo das illi quod*

quod debes, non quod potes. De pueris idem lib. 2. de Ira, cap. 20. Vinum Plato pueris negandum putat, & ignem vetat igne incitari. Nec cibis quidem implendi ſunt. Diſtenduntur enim corpora, & animi cum corpore tumeſcent. Labor illos citra laßitudinem exerceat: vt minuatur, nō vt conſumatur calor, nimiusq́ue ille feruor deſpumet. Vsqve ad primam facem) *Latini partem eam noctis, quæ eſt crepuſculo veſpertino proxima, cum videlicet lumina accenduntur, ſic appellarunt. Quando verò extinctis luminibus omnes cubant ſomno deuincti, ac tenebræ intenſiores ſunt, concubium dicitur. De qua voce diſputat Victor. lib. 8. cap. 3.*

PROGYMNASMA
TRICESIMVMSEXTVM.

Quæſtiones ſympoſiacæ.

NEMESIVS, MARCELLINVS.

Nemesivs. Agitabamus conuiuium heſterna luce apud Caſtorium (quē iuris ciuilis interpretem diſertiſsimum, & quendam quaſi iuſtitiæ ſacerdotem; tranſacta hyeme copioſi hominis vnicam filiam duxiſſe vxorem non te fugit) hominem ſuauiſsimum, & ſummi officij ſummæq; humanitatis, ego, Eutychius, & Paternus. Ibi cum iam, ſecunda ſcilicet menſa appoſita, largiores iucundioresq; vini inuitatiuncu-

læ fierent, quas in I. & II. de legibus, philoſophorum Homerus Plato laudauit, ciuilesq́ cenſuit, ab Eutychio, vt eſt omnis antiquitatis literarumq́ue variarum ſcientiſsimus, narratum eſt nobis de more quodam adoleſcentum ſtudiis deditorum, Tauri philoſophi diſcipulis ac familiaribus, apud illas doctrinarum inuentrices Athenas. Hi, ſi quando à magiſtro vocati veniſſent, argutas quæſtiunculas, tanquam ſymbolas ſiue collectas ad cœnam coniectabant. Accedebant proinde ſinguli meditati ac præparati. Quærebantur autem nec grauia nec ſpinoſa: ſed minuta & lepida, quæ florentem vino animũ laceſſerent. M. Quid ad iſtam narrationem vos? N. Percontabamur quorſum id in medium protuliſſet, & quidnam ſibi vellet. M. Quid contra ille? N. Vt, inquit, ſimiliter, cũ iam floreant & incaluerint animi noſtri, aut mihi quæſtiones ponatis, de quibus arbitratu meo diſſeram, aut à me poſitas diſſoluatis. Tum Caſtorius. Bene Eutychi, quod diſiungis. Etenim quærere, quam reſpondere, niſi me fallit, longè eſt facilius, longeq́ tutius. Et Paternus. Dic mihi ſeriò, tu ne quoque ad laceſſendum, aut reſpondendum, tu ne velut Athenienſis adoleſcens ad Tauri cœnam huc acceſsiſti? maximè quidem. Hîc Caſtorius. Nonne præſciſſe nos, nonne ante nobiſcum communicatum oportuit? vt ille ait in Andria: namque ita hilariter, & omni procul moleſtia inter ſcyphos de rebus haud illiteratis diſputandi conſuetudo, quamuis haud vituperanda, quin commendanda potius, nobis tamen hoc ſæculo, & iſtis moribus parum eſt frequen-

frequentata, niſi ſi quando leui brachio, cum pręſertim aliqua priſca hiſtoriola commemoratur. M. Extra ſcholas, quomodo nunc quidem eſt, Muſæ non audent efferre pedem, & intereſſe cõuiuiis vt quõdam: in quibus Venus magis, & Cupidines dominantur. Quanquam & in ſcholis algent, & pæne iam leti ianuam adierũt toties cantatę poëtarum carminibus bonæ Pierides. Quid deinde eſt conſecutum? N. Quandoquidem ergo ita eſt, infit Paternus, víſne quæramus ex te quæſtiones loco huic temporiq́ accommodatiſſimas? Vt libet, excipit Eutychius, dummodo ne nimium multa quæratis, ſed quædam in alias occaſiones reſeruetis. Non multa quæremus, inquam ego. Partiemur rem ita, vt ſinguli noſtrum duas aut tres quæſtiunculas adducamus. Cum placuiſſet omnibus conditio, primum locum Caſtorio, qui nos vocauerat, deferebamus honoris gratia, ille Paternum ſibi obſtinatè præferebat.

Tum Paternus. Interrogo Eutychium, quot ex rebus putet conſtare honeſtum abſolutumq́ cõuiuium. M. Equidem, Nemeſi, non minus ego hîc reſponſum exſpecto, quam vos tum exſpectabatis; accenditurq́ mihi animus cognoſcendi res præclariſsimas à vobis illa in cœna, quam ego libens Iouis cerebro (vt Perſæ quidem cœnas opiparas appellabant) antepoſuiſſem, amiciſsima συζητήσει explicatas. N. Ex quatuor inquit. Si belli homunculi collecti ſunt, ſi lectus locus, ſi tempus lectum, ſi apparatus non neglectus. Hoc loco in Caſtorium omnes ora conuertimus cum

his verbis. Tu, hoſpes optime, tu videris an hæc præſtita ſint; nam quin omnia tui officij ac muneris fuerint, dubitare nõ potes. Arriſit ille, & mox: ego verò belliſsimos homines adhibui ad cœnam, cum vos adhibui. Quod ſi non creditis, eſt mihi ſpeculum magnum, quantum illud Demoſthenis, id afferri curabo, vt in eodem voſmet contemplemini. Non erro, vultibus iſtis veſtris nihil vidiſtis, nihil videbitis amabilius; quos ipſæ finxiſſe Gratiæ videntur. Nec vultus tantum, verùm cætera quoq; in vobis belliſsima inſunt. Illi: itáne tibi perſuaſiſti? Et Caſtorius: Ego verò mihi ita perſuaſi. Locum porrò hunc viridiſsimum, & diſpoſitis in quincuncem arboribus, quis negauerit eſſe vel lectiſsimum? In hortos Heſperidum me intrare iudico, quoties huc ingredior. Quà de tempore, Maius eſt, menſis totius anni gratiſsimus, rex & princeps menſium, & ad perfruendas cuicuimodi voluptates genus humanum mirè alliciens. Item feſtus dies à populo agitatur.

Feſto quid potius die,
Neptune faciam? prome reconditum
Lyde ſtrenua Cæcubum,
Munitæq; adhibe vim ſapientiæ.

Nouiſtis lyram hanc. De apparatu hoc ſolum dixerim, ideo me ἑκατόμβην non iugulaſſe, nec Sybaritarum conſtruxiſſe dapes, quod homines parabili victu contentos, ac non multi cibi, ſed multi ioci accepturum intelligebam. Si quid nihilominus defuiſſe iudicatis, ad diem Solis adeſte iterum;

rum;erit cur potius liberalitatem meam admiremini,quam de parſimonia cōqueramini. M. Per-urbanè cauſſam egit ſuam:nihil iſtoc ſermone feſtiuius. Quid vos ibi? an obmutuiſtis? N. Epulas dilaudauimus, vinum extulimus, & nos tam nitidè ſuauiterq́ꝫ cœnatos aliquando pernegauimus. Cibi exquiſitiſsimi,vina nobilia, in homine ipſo frons ſereniſsima,tantusq́ꝫ in iocando lepos, vt nihil ſupra. M. Aueo audire quæ fuerit altera quæſtio. N. Quoniam, inquit Paternus, promptè primum quæſitum expediuiſti, ecce tibi ſecundum. Quem ſtatuis iuſtum aptumq́ꝫ conuiuarum numerum? Si pauciſsimi, reſpondit Eutychius,nō pauciores vt ſint,quam tres, quot numerantur χάριτες: ſi plurimi, non plures tamen, quam nouem, quot poëtæ venerantur Muſas. Hæc M. Varronis ſententia eſt,cui ille hanc cauſſam ſubiicit. Multos eſſe non conuenit,quod turba eſt plerumq́ꝫ turbulenta. Atque hoc tum à Romanis, tum ab Athenienſibus obſeruatum tradit Gellius. Dictum pulchrè,& factum probè, exclamat Caſtorius. Ergo huic doctrinæ ſatis feci, cùm pauciores tribus nō inuitaui. Vos meæ Charites,non ipſo tantum numero ternario, ſed moribus,ſed ingeniis,ſed omnibus gratiis. Quid mirum?ſubieci ego, Romano Callimacho ingenium turpis libido facere potuit, tu, pater Gratiarum, nos tam χαριτώδεις reddere non poteris? Ego (occurrit ille) ſum homuncio vnus è multis; nec me tanto dignor honore. Quod autem ais de nouenario Eutychi, non idcirco duntaxat Varronem ſcripſiſſe puto,ne turbæ fierent, ſi plures nouem

uem eſſent inuitati, ſed etiam, quia perfectio tribuitur ſignificaturq́ per iſtum numerum: quod frequens eiuſdem vſus apud poëtas declarat. Fieri poteſt, inquit Eutychius; tamen vbi multitudo, ibi tumultum ac turbas exiſtere claret. Cumq́ plura dicturus eſſet, interrupit ſermonem Paternus. Tu quidem ex ſententia Varronis conuiuarum numerum ad nouenarium aſcendere poſſe docuiſti. Atqui parœmia illa tibi quoque haud ignota prohibet. Septem conuiuium, nouem cõuitium. En Eutychi, tu clamorem & tumultum fore dicis, ſi ſupra nouem accubuerint: atqui hoc dictum id futurum ait, etiam cum nouem conuiuæ fuerint. Commune iſtuc pronunciatum in Ephemeride probat Auſonius quoq́.

Quinq́ aduocaui, ſex enim conuiuium
Cum Rege iuſtum: ſi ſuper, conuitium eſt.

Vides vt reiiciatur tuus nouenarius? Abhorret ab eodem Horatius. Nam Torquatum ad cœnam minimè lautam ac ſumptuoſam vocans, in extremo ipſum Torquatum loquentem, ac de tribus vmbris ſecum adducendis pollicentem facit, Bruto, Septimio, & Sabino: reſpondet Horatius.

locus eſt & pluribus vmbris;
Sed nimis arcta premunt olidæ conuiuia capræ.

Timet, ne ſi ſex, ſeptem fuerint, grauis ille odor alarum (quem caprum, hircum alij, & Catullus quoq́ crudelem naſorum peſtem nominat) ipſis anguſtius ſedentibus exoriatur, conuiuiiq́ ſuauitatem offendat. Iaces ergo Eutychi cum Varrone tuo, & habes palinodiam canere. Quaſi verò, inquit,

quit, tantum interuallum ſit inter ſeptem ac nouem, vt non, qui minorem numerum ſtatuit, poſſit ex liberalitate ad paulò maiorem progredi: & qui maiorē, in paulò minore acquieſcere. Quod in hoc genere vltimum videbatur, id Varro poſuit. Non pugnabo tecum pluribus, ait Paternus. Tu Caſtori, quid moraris? quin tuis quoq; armis hunc generoſum militem laceſsis? Certè vt ipſi ſe defendiſſe, ſic tibi oppugnaſſe glorioſum erit. Ille contra: hunc honorem Nemeſio cedam. Excepi ego. Tanquam triarium quendam ſe reſeruat Caſtorius. Si me ſuperatum viderit, ipſe impetum ac totam velut belli molem ſuſtinebit. Immò (Paternus ait) Caſtorius ſibi cauet poſt principia. Tentemus, inquam, fortunam. Audaces fortuna iuuat.

Cernimus nonnunquam venire ad cōuiuium non vocatos, eosq; non ſolùm paraſitos, qui ſolent eſſe inuocati in conuiuio, ſed honoratos etiam viros, rogatos ſcilicet ab iis, qui inuitati ſunt. Atq; has vmbras dicimus, quæ corpora ſequuntur, quarum ex Horatio quoq; antea mentionem fecit Paternus. Scire peruelim, quid tu de his ſentias. Si hic noſter Caſtorius me non vocaſſet, tu autem ab eodem vocatus me inuitaſſes, vt tecum irem, vtrum decuiſſet obſequi, & tecum ire, an non? M. Elegans quæſtio, cuius diſſolutionem auidius concupiſco, quam ollam amiſſam Euclio. N. Iam diu factum eſt, cum non bibi, inquit Eutychius; date bibere, & quantum volo date. Impleuit mero calicem vitreum puer ad cyathos, ſitientiq; porrexit: ille poſtquam impiger hauſit,

ita

ita locutus eſt. Colluto iam gutture aridiſsimo, verba edam promptius: vos interim bibite, ſi placuerit: vobis ſiquidem erit otium, mihi negotium. Ac magnum quidem, quantum mea attingit ſuſpicio, ſubiecit Paternus. Et ille, quid non mortalia pectora poſsint, Auxilio confiſa Dei? At enim antequam doceo, quid agendũ ſit iſtis vmbris, quęrendum videtur, an qui inuitatus eſt, ipſe poſsit alium inuitare. In partem negantem his vtar argumentis. Vocauerit hic Caſtorius octo, adducant ſinguli vmbram vnam, aut quidam ex his nullam, alij contra duas etiam, iam erunt ſex decim conuiuæ. An fortè quibuſdam liceat adducere, aliis non liceat? ſed non adducent, ſi ab aliis adductum iri ſciant. Quis hoc ipſis inter eos diſcurrens nuntiabit? quo modo iam tot ventribus cœna vna ſufficiet? quid quod nunquam certus erit conuiuator, quot ſit conuiuas habiturus? Eſt verò longè alia ratio in conuiuio, atq; in nauigio. Qui naues locant, vectoribus concedũt, vt & ipſi ingrediantur, & in eaſdem impedimenta ſua ſarcinasq; coniiciant. At nos conuiuia noſtra non ita alienæ voluntati poteſtatiq; permittemus, vt ea quibuſuis, ſeu notis, ſeu ignotis, ſeu aptis, ſeu ineptis impleri patiamur: quod tamen in noſtris vmbris contingere neceſſe eſt. Nam ſi tibi notus ac familiaris eſt, qui te ſequitur, num ideo mihi eſt? ſi tibi aptus commodusq; videtur, num ideo mihi videri debet? Amici, amici & cognati ad cõuiuium vocandi ſunt, non alij: Cur tu ergo eos inuitas qui in amicis non ſunt? Ac demiror equidem politicum, beneq; moratũ hominem à conuiua

uiua inuitatum, id eſt, reuera non inuitatum ire poſſe, quem plerunq; ignoret conuiuator. Si nouerit, & aliquantus ei vſus cum eo interceſſerit, nonne tum conuiuatori hęc vmbra tacitè exprobrare inhumanitatem videbitur, qui ſe non inuitauerit, ac proinde ſe, quamuis inuito domino, velle conuiuij participem fieri? Sectari alium, obſeruare quando is ire velit, exſpectare dum lauerit, dum ſe compararit, cum cunctante cunctari, cum properante properare, & alia huius generis, nonne illiberalia, & gnathoniſmum olentia putatis? M. Quàm timeo vt diſputationem pulcherrimam, multa oblitus, totam mihi recitare queas; & ignoſce, quod incitatum orationis tuæ curſum impediui. N. Spero me rem ipſam retinuiſſe: ſi quædam verba mutauero, aut prætermiſero, id ſusq; deq; ferendum faxo tu ipſe pronunties. M. De verbis non æquè laboro. Perge, admittunt aues tuæ. N. Inter pocula, quis neſcit quantæ libertates, quam multa ioca? quo ſe pacto tum geret, qui non genuinus, neq; vocatus, ſed illegitimus ac ſpurius ſe ingeſsit, atq; in conuiuium irrepſit? Poſtremò hoc ipſum, vmbram aliûs appellari turpe eſt. His de cauſis conuiua alium inuitare, ſecumq; adducere non debet. Quanquã quod ad Principes & peregrinos attinet inuitatos, cum his quotquot, & qualeſcunq; venerint, accipiendi ſunt. Contrariam & aientem partem (ex cuius rationibus facilè ad obiecta reſponderi poſſe cõfirmabat) ſic oſtendebat. Tria in motu cernuntur. Primùm mouens, quod ipſum aliundè non mouetur, & extremum, quod motu cietur, ipſum

ciendi

ciendi vim nullam habet,& inter hæc duo, quod aliis motum affert, viciſsimq́; ab alio impellitur. Sic in re conuiuali tres ſunt; qui iñuitat duntaxat, qui inuitatur tantùm, & qui inuitatur & inuitat. Quando ergo hæc res tam bellè motum imitatur; cur mouere & moueri, id eſt, inuitare & inuitari eidem nefas ſit? Totum in eo eſt, vt ſe rectè gerat & qui hoc pacto tanquã vmbra adducitur, & qui adducit. Huic leges iſtas pręſcribemus, quibus ſeruatis, conuiuatori non veniet ingratus. Ne multis ſtipatus accedat, ſeu, ne trahat ſecũ multitudinem. Cur ita? quærat aliquis. Ne ſuorũ turba alios, amicos ſcilicet conuiuatoris, tanquã oppidum velle expugnare, & exturbare videatur. Altera eſt: ne quoſuis de ſuis, ſed cõuiuatoris pręcipuè amicos, familiaresq́; adducat. Si id minus poterit, de ſuiſmet amicis, quos conuiuator à ſe vocatos optaret, humano humanos, erudito eruditos, & quos cupit in colloquiũ cum ipſo venire, amicitiamq́; coniungere. Hoc cœnæ patrem delectabit, illiusq́; animum ad gratiam & beneuolentiam alliciet. Qui autem diuerſis ingeniis ac moribus pręditos adducunt, vt ad ſobrium vinolentos, ad frugalem ſumptuoſos, ad iuuenẽ hilarem ſenes auſteros, hi importuni ſunt, & pro amico congreſſu inſuauitatẽ apportant. Decet autem æquè iucundum eſſe inuitatum inuitanti, quam vmbram ei, à quo ipſa eſt inuitata. Quod tum demum fiet, ſi non ſe tantum, ſed etiam quos adduxit qs, affabiles & feſtiuos adduxerit. Quod ad vmbras attinet, cautione opus eſt. Vituperatur promptè ac temerè quemuis ſic vocantem comitari.

tari. Primò conſidera à quo voceris, ſtatimq́ꝫ recuſa, ſi is adeo familiaris non fuerit. Item ſi quis velut in ſatellitio, ſeu velut ſatellitē ſuum te ducat, aut putet ſe raro quodam te honore cumulare, beneq́ꝫ de te mereri. Quod ſi amicus & familiaris vocet, non repugnabis: ſi tamen ad cōuiuatorem probum & amicitia dignum hominem te ducat, atqꝫ vel ipſum tibi, vel ſibi per teipſum cōciliet. Ad improbos non eundum: Abſurdum eſt ad ignotum ire, niſi virtute excellat, & acceſſum tuum candoremq́ꝫ amicitiæ exordium ſit facturus. Deniqꝫ ad eos ducemus vmbras, quibus idē licere volumus, cum à nobis inuitantur. Ad diuites, potentes, principes viros non decet vmbras adire ad conuiuandū, ne ruditatis, & imprudētiæ ambitionisq́ꝫ colligatur opinio. His dictis, Eutychi optime, inquam, nunc tempus eſt, vt iterum guttur colluas, nimis diu ſiccus es: & falerni pateram ei antepoſui. Tum ille, profectò nō bibam ne ſitiam, vt ille philoſophus, ſed quia ſitiam. Aſt ego fortaſsis nimium longus fui. M. Tu longus? Non poteſt mihi longa videri tam dulcis, & tam litterata narratio, prorſus opto interfuiſſe veſtris epulis: meam vtiqꝫ ſymbolam dediſſem, aliquid ipſe à doctiſsimo Eutychio quæſiuiſſem, & meam fortaſſe partem ſimiliter bibiſſem. N. Ad ſummam lætitiam nihil defuit. Nam cum reſpiraret aliquantum, & interquieſceret Eutychius, mutuùm propinantes, flore Liberi nos complebamus. Ille ſiquidem loquendo, nos audiendo laſsi nonnihil eramus.

ANNOTATIONES.

QVASI IVSTITIÆ SACERDOTEM) *Themin deam putabant, quæ præciperet hominibus id petere, quod fas eſſet: eamq́; id eſſe exiſtimabant, quod & fas eſt. auctor Feſtus. Iam vt ſacerdotes ſui ſingulis diis erant, qui ſe ſuper futuris & agendis conſulentibus reſponſa dabant: ſic veteres illi Iureconſulti gratuitam, & quæſtuariam iuris prudentiam habentes, in publicum quotidie prodibant, & vnicuiq; ciuium conſulendos ſe præbebant, & tãquam oracula iuſtitiæ Themidisq́; promebãt: hoc eſt reſponſa boni & æqui plena. Vnde Seruius Sulpitius iuris antiſtes appellatus eſt, auctore Quinctiliano lib. 11. cap. 1. vt ſacrorum antiſtites antiſtitæq́; dicebantur: quomodo & Plinius li. 7. cap. 30. Platonem ſapientiæ antiſtitem vocat. Budæus. Cicero quoque 1. de Orat. domum iureconſulti ait eſſe oraculum totius ciuitatis.* PHILOSOPHORVM HOMERVS PLATO) *Sic eum Panætius Stoicus appellabat; diuinum præterea, ſapientiſsimum, ſanctiſsimum. Cic. Tuſcul. 1. Plato ille ſublimis apex philoſophorum & columen. Arnobius lib. 1. Plato ille magnus pie ſancteq́; ſapiens. Idem lib. 2. In commemoratione auctorum Græcorum Quinctil. ab Homero, vt Aratus à Ioue incipiendum putat. Vide cap. 1. lib. 10.* ILLAS DOCTRINARVM INVENTRICES) *Cic. 1. de Orat. præterea in Bruto. Nec enim decet, te ornatum vberrimis artibus, quas cum domo haurire non poſſes, accerſiuiſti*

terſiuiſti ex vrbe ea, quæ domus eſt ſemper habita doctrinæ. Idem in 3. de Orat. domicilium ſemper ſtudiorum Athenis fuiſſe dicit. SYMBOLAS, SIVE COLLECTAS) A συμβάλλω, confero, ſimul trado ducitur συμβολὴ collatio, verbum è verbo, latini collectam nominant. Eſt autem id quod ad cœnam aut prandium comparandum ab aliquo confertur, ſiue pecuniarium quiddam, ſiue penuarium ſit, cum plures conferunt. Terent. And. ſymbolam dedit, cœnauit: ſic enim eſt legendum, non, ſymbolum. II. de Orat. apparet eſſe pecuniam, quæ à conuiua exigitur. Ego verò, inquit ille, quoniam collectam à conuiua Craſſe exigis. Eſt etiam collecta, cœna quæ Græcis ἔρανος. Turneb. lib. 3. cap. 6. De iſtis porro quæſtiunculis, & de iſto more diſcipulorum Tauri philoſophi Gellius lib. 18. cap. 2. LETI IANVAM ADIERVNT) Aliquoties apud Lucretium inuenias, limen leti, & ianuam leti, metaphora quadam, pro cauſſa mortis & interitus. Lib. 1. hæc rebus erit pars ianua leti. lib. 3. haud igitur leti præcluſa eſt ianua menti. Sic Virgil. 2. Æneid. patet iſti ianua leto. Arnobius ſcriptor grauiſſimus, & Lucretianorum verborum perſtudioſus, lib. 2. Omnis enim paſſio leti atque interitus ianua eſt. Eodem lib. Animæ ianuas leti adeūt. QVANTVM ILLVD DEMOSTHENIS) Cum eſſet tota actione ineptus Demoſthenes, quo melius ſua vitia cerneret atque corrigeret, ingenti magnitudine ſpeculum corpori ſuo par ſibi comparauit, in quod intuens geſtum agebat. De cuius diligentia, & quo pacto natu-

ram emendauerit Libanius, Plutarchus, Suidas, Lucianus. DISPOSITIS IN QVINCVNCEM ARBORIBVS) Varro lib. 1. de re Ruſt. cap. 7. De forma cultura hoc dico, quæ ſpecie ſiāt venuſtiora, ſequi vt maiore quoq; fructu ſint: vt qui habent arbuſta, ſi ſata ſunt in quincuncem, propter ordines atque interualla modica. Cic. idem de Seneſt. ordines arborum in quincuncem directi. Quid hoc ſit, explicabit figura adiecta Alexander Scot, Scotus, qui Nizolium auxit, & Lugduni edidit anno 1588. IN HORTOS HESPERIDVM) De hortis iſtis, deq; malis aureis, de dracone peruigili à quo cuſtodirentur, quo pacto Hercules ab Euryſtheo miſſus ea abſtulerit, copiosè Natalis Comes in Hercule. Mala Heſperidum donare is dicitur prouerbio, qui ſplendida & magna donat. MENSIS TOTIVS ANNI GRATISSIMVS) Extremus veris; vnumquodq; enim quatuor anni temporum 3. menſes complectitur. Sed vnde Maio nomen inditum, dubitat Ouidius 5. Faſt. A Maieſtaténe, an à maioribus, an à Maia. Vide etiam Lilium de annis & menſibus. ΕΚΑΤΟΜΒΗΝ IVGVLASSE) Vox propriè cētum boues ſignificat, frequens Homero, cum de ſacrificio loquitur. Exponitur etiam pro victimis multis, vt ſit numerus certus pro incerto. Plura de hecatombis, quas Græci & Romani olim vouere conſueuerint, cum peſtilentia laborarent, Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 22.) SYBARITARVM CONSTRVXISSE DAPES) Sybaritæ homines fuerunt in omne genus deliciarum, luxus & libidinis intemperantiſſ.

rantiſsimè effuſi. Inde quidquid eſſet molle, effœminatum, luxurioſum, ambitioſè apparatum, dictum eſt ſybariticum. Lege quæ affert parœmiographus prouerbio, ſybaritica menſa. ROMANO CALLIMACHO) *Ita quidem Propertius ſe ipſe nominauit eleg. 1. lib. 4.*

Vt noſtris tumefacta ſuperbiat Vmbria libris,
Vmbria Romani patria Callimachi.

Tres elegiographi poëtæ inſignes ante alios fuerunt inter Græcos, Callimachus, Philetas, & Mimnermus, quorum loco nobis ſunt Propertius, Tibullus, Ouidius. Primo præcipuè ſimilem ſe euadere ſtuduit Propertius, cuius etiam nomen ſibi imponi apud poſteritatem concupiuit. Hoc ſuum ſtudium præ ſe fert apertè ſatis initio lib. 3. cum inquit.

Callimachi manes, & Coi ſacra Philetæ,
In veſtrum quæſo me ſinite ire nemus.
Primus ego ingredior puro de fonte ſacerdos
Itala per Graios orgia ferre choros.

Eodem libro.

Inter Callimachi ſat erit placuiſſe libellos,
Et ceciniſſe modis Coe poëta tuis.

HOMVNCIO VNVS E MVLTIS) *Homo nullo numero. Græci dicũt, εἷς ἐκ τῶν πολλῶν pro vili, plebeio, abiecto. & πολλοστός. Iſocrat. orat. ad Philippum.* Διονύσιος πολλοστὸς ὢν συρακουσίων. Einer auß dem gemeinen Hauffen. *Contrarium egregius, eximius, & inſignis. Cic. 1. Tuſcul. Nec tamen quaſi Pythius Apollo, certa vt ſint & fixa quæ dixero, ſed vt homunculus vnus è multis, probabilia cõiectura ſequens 2.*

de Finib. Tenuis, vnusq́; de multis. Et *in Bruto. Sed de M. Calidio dicamus aliquid, qui non fuit orator vnus è multis, potius inter multos prope ſingularis fuit.* QVIA PERFECTIO TRIBVITVR) *Cur ſit perfectiſſimus hic numerus, explicat rationem Rhodiginus lib. 22. cap. 8. Eundem antiqui pro quauis multitudine ponebant.* TANQVAM TRIARIVM QVENDAM) *Triarij erant veterani milites, magnæ & expertæ virtutis, qui ſtabili genere pugnæ aſſueti, ſcuta & haſtas tenentes humi fixas, genu dextro innixi, prælij euentum, & imperatoris nutum exſpectabāt ad inuadendum: qui modico etiam interuallo ſeiuncti à principibus conſidebant. Plura Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 7. Prouerbiū. Res ad triarios rediit, pro ſummo diſcrimine, & in rebus prope iam deſperatis.* SIBI CAVET POST PRINCIPIA) *In bello & acie tutiſſimus eſt locus poſt principia. Hinc Thraſo Terētianus quia timidus: Tu hoſce inſtrue: hîc ego ero poſt principia: inde omnibus ſignum dabo. Quem irridens Gnatho. Iſtud, inquit, eſt ſapere. Vt hoſce inſtruxit, ipſe ſibi cauit loco: idem hoc Pyrrhus factitauit.*

PROGYMNASMA
TRICESIMVM SEPTIMVM.
Pars ſecunda.

IIDEM.

NEME-

NEMESIVS. Inſtauratis ad diſputandum auſcultandumq́ꝫ viribus, aliam quæſtioné, nec inſulſam quæſiui: vtri nimirum eſſent agendæ gratiæ, conuiuatori, an conuiuæ. hoc autem modo argumentationes inſtituebã. Non conuenit agere gratias conuiuatorem: eſſet enim ridiculum, prętẹr impenſam, labores, moleſtias in cõuiuio ſplendidè magnificeq́ꝫ parãdo ſuſceptas, cum tota familia occupata fuerit, dapiferi, pueri à poculis, ancillæ, ſerui ſurſum ac deorſum curſitarint, pro rebus iam abſumptis, quaſi accepto beneficio gratam voluntatem oſtendere, & vocibus ſummiſsis vti. Meritò ſanè agũtur gratiæ iis, quorum beneficentia vſi ſumus. Atqui non conuiua, ſed conuiuator eſt beneficus. Idipſum inuitati iudicant; ſibi nimirum à conuiuatore beneficiũ dari. Tibi Eutychi integrum erit ſtatuere quod voles, plura nolo. Ille cum ſubticuiſſet paullulùm, ita deinde cœpit. Res non adeo difficilem habet explicatum. Si quiſquam vocauerit homines eximia probitate & ſapientia cõſpicuos, ipſe gratias iure conuiuis, & quidem verbis ampliſsimis aget. Nullum quippe periſtroma, nullæ veſtes pretioſæ, nec argentũ, nec aurũ tanto illius domui ac ſibi ornamento ſunt, quãto talium virorum præſentia, aſpectus, colloquiũ, cõuictus. Pulcherrima & ornatiſsima domus fit, in quã introierunt virtus, eruditio, ſapientia, honeſtas, gloria. Hæc viua decora, & vera, illa mortua, inania, & ficta ſunt. Quis porrò dubitet, quin honoratos, non autem honorantes gratias agere conueniat? Laudatur illud, Diogenis, an Democriti? (nam ad vtrumq́ꝫ

refertur) qui ſe ad conuiuium reuerſurum negauit, quoniam ſibi pridie non fuiſſent actæ gratiæ. Ac ſi tum gratiæ aguntur, tum præmium perſoluitur pictori, qui parietes coloribus, & locupletibus picturis ornauit, nonne multò maiores agat dominus ſpectatæ virtutis & ſapientiæ conuiuis, per quos non lapides & ligna, ſed ipſe inſigniter illuſtratus, ſummoq́ue honore condecoratus eſt? Adduxerunt enim illi comites nobiliſsimas, ſine quibus nullum nomen, nulla ſperanda eſt amplitudo. Fingamus, ſi placet, oculis aſpici temperantiam, modeſtiam, iuſtitiam, abſtinentiam, fortitudinem, continentiam, grauitatem, prudentiam, doctrinam. An non inuicem raptabunt mortales, qui potiſsimè hunc beatiſsimum diuiniſsimumq́ue chorum apud ſe quàm humaniſsimè lautiſsimeq́ue accipiat? Atqui animo videmus, quod oculis nequimus, cum viros excellentes inuitamus ad conuiuium. Quamobrē ſicut illis ſanctiſsimis virginib⁹ gratias immortales ageremus, quod diuertere ad nos dignatæ fuiſſent: ita ipſarū cliētibus, & amicis facere debemus, à quib⁹ tantū eſt apud nos beneficiū collocatum. Neq́ue irriſione ludenda res eſt, poſt ſumptus, poſt cocorū, domeſticorūq́ue omniū diſcurſus, poſt abſumptas epulas ampliſsimas, nihilominus grates talib⁹ viris agere. Non enim vt ſe, dapib⁹ tuis farcirent, aut vt ipſorū cauſa famuli ſudarēt, verùm ne fruſtra rogares, & ipſi humanitati ſuæ morē gererent, domum tuam iniuerunt. Ipſi forſitan laudes ſuas & ornamenta præ modeſtia ac ſummiſsione nō agnoſcentes, tibi ob expertā amicitiam, & beneuolentiā gratias

vltro volent agere. At tu, niſi de ſtatu mentis es deturbatus, niſi à temetipſo penitus diſceſsiſti, ne permiſeris, néue teipſum irriſeris. Quod contra, ſi epuli dominus conuiuis dignitate, amplitudine, opibus, virtute, ſapientia, auctoritate, gloria antecelluerit, ipſi debentur gratiæ, quia honore affecit, quos inuitauit, cum eos menſa ſua dignatus eſt. Vt autem honorificum exiſtimatur inuitanti, vocare claros viros: ita glorioſum videtur inuitatis, vocari ab illuſtribus. Inuitauerit me aut Princeps in Rep. aut Conſul, aut Epiſcopus, aut Dynaſta aliquis: inſipienter egero, ſi, dum ille mihi gratias agat, exſpectâro. Hoc loco ego. Poteſt, inquã, fieri, vt conuiuator & conuiuæ æquales ſint iis rebus, quas ſupra recenſuiſti. Ab vtro tum poſtulabitur gratiarum actio? Tum ille. Conſiderandum arbitror, quid dominus propoſitum habuerit. Si ideo vocauerit, vt opus honeſtiſsimum faceret, vt amorem beneuolentiamqúe declararet, vt cum vocatis quàm iucundiſsimè viueret, nihilq; ad animos hilarandos prętermiſit, conuiuarum munus eſt, ſeſe gratos oſtendere. Qui enim ſe mihi ſpontè, & prior amicum, meiq; percupidum demonſtrat, mihi officiis anteuertit, huic ſanè ego obſtrictus ſum, huic debeo. Sin verò alicuiꝰ commodi aut gratiæ ineundæ (menſa enim maximè, vt Cato aiebat, amicorum parens & procreatrix eſt) aut glorię maioris aucupandę cauſſa hoc egit, ipſe grates aget. Circumſpiciendæ igitur erunt cauſſæ apparandi conuiuij, & conditiones perſonarum intuendæ, ex vtraq; parte velut in trutina poſitæ, vt ſcire queamus, vtrius officium ſit de

gratiis cogitare. Si plus honoris aut vtilitatis acceſsiſſe videatur conuiuatori quam conuiuis è conuiuio, ille: ſi iſtis, ipſe gratias iurè agent: certum quippiam & immutabile conſtitui non poteſt. Si tamen eo animo quis ineat conuiuium, vt ſe quantum venter capit, nobili vino, beneq́ꝫ conditis dapibus compleat, ille, vt mea eſt opinio, cœnam ſoluere, magnasq́ꝫ inſuper gratias agere debet, quantuſcunqꝫ fuerit; quia fœliciter pabulatus, ante diem octauum non eſuriet. Huic quæſtioni cum eſſet iam datus finis, conuerſus ego ad Caſtorium, & ſimul Paternus: Quando, inquam, bone vir te quoqꝫ audiemus? quod in procliui eſt facito, interrogato, ne te rudem illiteratumq́ꝫ putemus; quod non putabimus, donec ouem lupus vxorem duxerit. Quippe qui paullò antè præclarum doctrinę ſpecimen edideris; & cum de ſuperiore loco iuriſprudentiam trecentos diſcipulos doces, maximum des quotidie. Tum Eutychius. Immò diſſerat ipſe, non interroget, iam enim Vacunę, & Feſſonię mihi vota facienda ſunt: longius ſiquidem proceſsit diſputatio, quam opinabar, cum inciperem. Vice mea functus ſum officio, quid vultis amplius? Et quoniam pueros ſymphoniacos ad epulas adhibuerat Caſtorius, cum illi teſtudinibus ac fiſtulis canerent, rogabamus, vt doceret, hoc ipſum rectè fieri: nam inter doctos aliquos fuiſſe dubitatum ſciebamus. Ego, inquit, hoc ſolum negotij mihi datum credebam, vt conuiuas meos pro copia cœnatos dimitteré. At vos ſcholæ neſcio cuius explicationem à me contenditis, & ineptum me fieri cogitis: nam

iſtæ

iſtæ partes veſtræ fuerunt, vt factum meum defenderetis. Tamen ne diem mihi dicere, & inhumanitatem meam accuſare poſsitis, quamuis nec abundem ingenio, nec vlla ſit in me orationis facultas, volo veſtra etiã cauſſa ineptus fieri. Nempe ergo de muſica ſuper conuiuium & inter menſas me poſtulatis diſſerere. Illi, ſanè quidem. Nam opus eſt huc limatulo & politulo iudicio tuo, vt eſt apud Tullium.

Accumbentibus in conuiuio bonis, eruditis ac ſapientibus viris, locum concedi poſſe citharœdis, tibicinibus, vno verbo ſymphoniacis artificibus quidam negant, nituntur'qꝫ auctoritate Socratis apud Platonem, qui in Protagora abiectos modo, imperitos, & circumforaneos homines id facere ſolitos dicit. Qui cum non poſsint feſtiuis & elegantibus colloquiis illud tempus traducere, animosq́ꝫ ſermonibus in lætitiam coniicere, hilaritatem & leporem ab hiſtrionibus, à vocum neruorumq́ꝫ cantibus petunt. Euripides quoque non in conuiuiis, ſed in luctu muſicam vſurpandam cenſuit: quod conuiuia ſatis per ſe læta ſint, in luctu autem quærendum ſit aliquid, quo dolor leniatur. His Plutarchum cultorẽ vitæ morumq́ꝫ rigidiſsimum, & Xenophontem Platonis condiſcipulum, Socraticæ amœnitatis alterum lumen oppono, qui aliter ſenſerunt. Sed rationibus res confirmãda. Suauiſsimum epularum condimentum eſſe iudico ſermones conuiuarum vrbanos, elegantes, diſertos. Quare M. Terentius Varro apud Gellium, cum enumeraret ea quibus abſolueretur conuiuium, hoc omittere non debuit.

Neqꝫ

Neq; verò omiſit,etſi in illis 4. non poſuit;adiungit enim illico;nec loquaces autem conuiuas,nec mutos legere oportet.Sermones igitur id temporis habendos cenſet Varro, non ſuper rebus anxiis,aut tortuoſis,ſed iucundos atq; inuitabiles,& cum quadam illecebra, & voluptate vtiles: ex quibus ingenium noſtrum venuſtius fiat,&amœnius. Quod ſi etiam tam facundi eruditiq; conuiuæ contingerent, quàm ſunt illi apud Platonem, nullum fortaſsis aliud acroama requireretur: nihil etenim cum ſapienti ſermone comparatum non vileſcit, & omnia ei adſunt bona, quem penes eſt ſapientia. Quia verò ſapientes perfectè nõ ſumus,aliquid,opinor, vocum neruorumq; concentui ſine reprehenſione in conuiuiis indulgere nobis permittetur. Scitum eſt illud Laconis cuiuſdam,qui cum Athenis noui certarent tragœdi, ſpectans apparatum choragorum, ſtudia docentium,& conatus,dixit: non ſapere ciuitatem,quæ tantum ſtudium in res ludicras impenderet. Ita prorſus, inquit Plutarchus, ludendo ludendum eſt:& neq; magno ſumptu,neq; neglectione occaſionum ad alias res vtilium redimenda animi relaxatio: ſed in conuiuio & per otium deguſtandæ hæ oblectationes,interimq; deſpiciendum, ſi qua ex iis vtilitas percipi poſsit.Quapropter apud Homerum in epulis Phemius & Demodocus: apud Virgilium in cœna Didonis Iopas cithara canit. Obiiciat aliquis,hæc eſſe procorum,luxurioſi regis Alcinoi, & amantis Reginæ conuiuia.Tamen illud myſterio non vacat,quod Homerus epulantibusDiis canereApollinẽ & Muſas finxit.Quod ſi

poeta

poeta non ſtultus muſicam nec à Deorum conuiuiis abeſſe voluit, non iudicaſſet profectò indignam hominum prudentium & doctorum epulis. Nec ego adhuc intelligo, cur huiuſmodi voluptas ab illis repudianda ſit, dum moderatio quædam adſit, modíq; nimium leues, & ad turpitudinem ſollicitantes planè relinquantur. Socrates, quo nullus philoſophorum grauior exiſtimatus eſt atque ſanctior, ſenex didicit fidibus; quare hic grauem ſymphoniam, hilarem tamen, in conuiuio contempſiſſet? Certè Græci ſummam eruditionem ſitam arbitrabantur in neruorũ vocumq́; cantibus: apud quos in conuiuiis lyra circumferebatur, ad quam carmina cantabantur de clarorum hominum virtutibus. Atq; hinc nomen iſtuc ἐγκώμιον factum eſt, παρὰ τὸ ἐν τοῖς κώμοις ᾄδεσθαι τοὺς ἐπαίνους ἀγαθῶν ἀνδρῶν, quod inter epulas clarorum hominum virtutes canerentur. Horatius autem indicat, non tantum adhiberi poſſe ſymphoniam, ſed illam quoq; maximè concinnam eſſe oportere.

Vt gratas inter menſas ſymphonia diſcors
Offendit.

Poſtquam conticuit Caſtorius; Iam nobis, inquit Paternus, en alterum conuiuium præbuiſti, priore magnificentius; quoniam pauiſti largiſsimè animos noſtros doctrina liberaliſsima. Hac conditione licet nos cras & perendie, & in dies ſingulos, aut certè paucis diebus intermiſsis inuites. Nempe vt opera veſtra res mihi ad reſtim redeat (excipiebat Caſtorius). Num ego regio victu cul-

tuq́ꝫ ætatem ago? ſi, vt ait Catullus, tecum attule-ris bonam atqꝫ magnam cœnam, cum vino, & ſale, & omnibus cachinnis, cœnabis bene mi Paterne, apud me. Nam meus quoqꝫ ſacculus, vt illius, plenus eſt aranearum. Alioquin vnguentum tantum dabo, vt idem pollicetur Fabullo, quo vngaris more veteri, & cantes illud Martialis.

Qui non cœnat, & vngitur, Paterne,
Hic verò mihi mortuus videtur.

Riſimus ob facetias improuiſas. Tum primis ſe tenebris intendentibus accurrerunt etiam pueri, monueruntq́ꝫ ſurgere iam heſperum, tempus eſſe domum eundi. Itaqꝫ ſurreximus. M. De hac cœna, vt de magnis Homeri cœnis, mihi quoqꝫ aliquot τεμάχια ſeu particulæ ſunt præbitæ, quas habebo in memoria, dum memor ipſe mei. N. Particulæ? partes bonæ.

ANNOTATIONES.

SINE QVIBVS NVLLVM NOMEN) *In generibus bonorum, de quibus dicendi artifices, principem tenent locum bona animi, & in his morum virtus, quæ ſola bonum efficit habentem. Eſſe autem bonum, vt cætera deſint vniuerſa, per ſe laudatur. Pauper ſit quiſpiam, cæcus, indoctus, modò ex virtute vitam inſtituat, meretur laudem. At nemo prudens aut diuitem, aut formoſum, aut literis excultũ, eundemq́ꝫ probitatis expertem commendauerit. Tanta eſt enim & tam fœda improbitatis macula, vt etiam reliquum hominis nitorem*

obfuſcet

obfuſcet atq; obſcuret. Proinde Cic. 2. de Orat. *Virtus eſt per ſeipſa laudabilis, ſine qua nihil laudari poteſt.* Et Iuuenal. *nobilitas ſola eſt atque vnica virtus.* QVOD CONTRA) Cauendum, ne cum hoc apud Ciceronem, Lucretium, aliosq; melioris notæ ſcriptores reperiemus, aut inducendum illud, Quod, aut, Quin contra, legendum ſuſpicemur. Ille in Lælio. *Peccaſſe enim ſe non anguntur, obiurgari moleſtè ferunt. Quod contra oportebat, delicto dolere, obiurgatione gaudere.* Hic lib. 1. *Quod contra ſæpius olim Religio peperit ſceleroſa atque impia facta.* Interdum quoque ex ſanctorum Patrum monumentis, quorum alioqui ſimplex eſt, & nullis aſperſa pigmentis oratio, quaſdam veterum elegantiarum reliquias noſtri ſolent eruere. Itaque D. Gregorius in natal. Seruatoris. *Quid eſt quod naſcituro Domino mundus deſcribitur? niſi quia ille apparebat in carne, qui electos ſuos adſcriberet in æternitate. Quod contra de reprobis dicitur: deleantur de libro viuentium,* &c. VACVNÆ, ET FESSONIÆ) Hæ, vt etiam Quies, vacantium, feſſorum & quieſcentium deæ. Nulla enim propemodum res fuit, quantumcunq; vilis & deſpicabilis, cui ſuperſtitioſiſſima vetuſtas non aliquod numen præficeret. Tam inſana deorum creandorum libido illa ſæcula occupauerat. Vide Arnob. lib. 4. initio. Adeonam & Abeonam colebant, qui adeundi & abeundi facultatem quærebant. Arculus arcis & capſis præſidebat. Fabulinus pueris iam fari incipientibus. Quin & Pauori & Pallori templa vouit Tullus Hoſtilius. Liuius lib. 1. Vide plura

*Syntag.*1. *apud Lilium. Ex quo grauiter & piè* D. *Leo concione in* Petrum *&* Paulum. *Hæc ciuitas* (*Roma*) *ignorans ſuæ prouectionis auctorem, cum pæne omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium ſeruiebat erroribus: & magnam ſibi videbatur aſſumpſiſſe religionem, quia nullam reſpuerat falſitatem.* ETIAM INEPTVS FIERI) *Ineptum Craſſus 2.de Orat. definit hunc in modum. Qui aut tempus quid poſtulet non videt, aut plura loquitur, aut ſe oſtentat, aut eorum quibuſcum eſt vel dignitatis vel commodi rationem non habet, aut deniq; in aliquo genere aut inconcinnus, aut multus eſt. Quod ibidem addit: Græcos huic vitio nomen nullum poſuiſſe, exiſtimat Budæus lib.1. de Aſſe meram eſſe calumniam: ipſum enim Ciceronem, ſi voluiſſet, non vno, ſed multis nominibus græcis hunc latinum reddere potuiſſe.* Ἀπειρόκαλος, *inquit, eſt honeſti experientiam non habens, honeſtatis, decoris rudis & ignarus, qui non videt quid deceat, vno verbo, ineptus. Præterea dici poteſt* ἀπείθανος, σκαιὸς, μάταιος. *Lege totum locum.* N. TERENTIVS VARRO) *Hunc impensè admiratur, & breuiſsima quidem, ſed illuſtriſsima prædicatione exornat Firmianus lib.1. cap. 6. Quo nemo vnquam doctior, ne apud Græcos quidem, neq; apud Latinos vixit. Ampliſsimè laudatur, qui ſic laudatur. Gellius lib.19.cap.14. doctrinarum multiformium, variarumq; artium quibus Humanitas erudita eſt, culmen appellat. De ſtatua adhuc viuenti in bibliotheca ipſi ab Aſinio Pollione principe oratore & ciue poſita Plinius*

lib.7.

lib. 7. cap. 30. Arnobius item lib. 5. Varro ille Romanus multiformibus eminens diſciplinis, & in vetuſtatis indagatione rimatior. Huius præter libros 3. de re Ruſtica, & aliquot de lingua latina mutilos nihil ſupereſt, cum multa ſcripſerit. PHEMIVS, ET DEMODOCVS) *Prior cantat reditum Achiuorum in patriam euerſa Troia, Odyſſ. 1. Poſterior contentionem Vlyßis & Achillis, & equum Troianum. Iopas autem quid cantauerit, his verſibus declarat poeta.*

docuit quæ maximus Atlas.
Hic canit errantem lunam, ſolisq́ labores:
Vnde hominum genus & pecudes, vnde imber & ignes:
Arcturum pluuiasq́ hyadas, geminosq́ triones, &c.

Affert etiam rationem ex Ariſtoxeno Plutarchus lib. de Muſica, quamobrem in conuiuiis rectè inducatur cantus. AD TVRPITVDINEM SOLLICITANTES) *Quam ſit potens Muſicæ vis in animos & in corpora noſtra, quomodo affectus miſceat, dolores mitiget, morbos etiam aliquando pellat, vide Magium lib. 4. cap. 13. & Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 16.* LYRA CIRCVMFEREBATVR) *Quare Themiſtocles cum in epulis recuſaſſet lyram, habitus eſt indoctior Cic. 1. Tuſcul. Aiebat enim, non ſe quidem ſcire fidibus canere; ſcire tamen amplam & opulentam Rempub. efficere. Carmina illa, quæ ad lyram cantabantur, exiſtimant quidam dicta ſcholia, fuiſſeq́ breues & rotundos verſiculos, quales illi apud Platonem.* ὑγιαίνειν μὲν ἄριστόν ἐστι. τὸ δὲ δεύτερον, καλὸν γενέσθαι. τρίτον δὲ πλουτεῖν ἀδόλως. *Quos ex tempore Anacreonteis vertebamus.*

Bona prima ſunt valere,
Tenent ſecunda pulchri.
Sine fraude res adepta
In tertiis locanda eſt.

Rationem nominis τῶν σκολίων, obliquorum carminum explicat Plutarch. Sympoſ. quæſt. 1. PAVCIS DIEBVS INTERMISSIS) Sic Cæſar lib. 6. de bello Gall. pro, interiectis, interpoſitis, intercedentibus. Delectatur hoc participio cum iſta notione mirum quantum. lib. 1. de bello Gall. Triduo intermiſſo, nocte intermiſſa. lib. 4. breui tempore intermiſſo. lib. 5. vento intermiſſo, intermiſſo perexiguo loci ſpatio. lib. 7. mediocribus intermiſsis ſpatiis. lib. 1. de bello ciuil. Ab infimis radicibus montis, intermiſsis circiter paſsibus C D. caſtra facere conſtituit. Idem ſic loqui ſolet, quamuis alio ſenſu. Quà flumen intermittit. Caſtris ad eam partem oppidi poſitis, Cæſar, quæ intermiſſa à flumine & palude, aditum, vt ſupra diximus, anguſtum habebat. QVO VNGARIS MORE VETERI) Græci & Latini antiquitus cum ſe liberalius vellent inuitare, floribus coronati, & vnguentis delibuti cœnitabant: idque tum voluptatis cauſſa, tum quod crederent odoramentis ebrietatem impediri. Vide Horat. Ode 3. & 11. lib. 2. & Ode 29. lib. 3. & Catull. epig. 13. De coronis Lucretius quoque in 3. his verbis.

Hoc etiam faciunt vbi diſcubuere, tenentque
Pocula ſæpe homines, & inumbrant ora coronis.

Quærit etiam Plutarchus Sympoſ. lib. 3. quæſt. 1. an floreis coronis inter pocula vti deceat. Conuiuatorem igitur,

tur, qui vnguentum duntaxat præberet, iſtis carminibus irridet Martialis.

Vnguentum fateor bonum dediſti
Conuiuis here, ſed nihil ſcidiſti.
Res ſalſa eſt bene olere & eſurire.
Qui non cœnat, & vngitur, Fabulle,
Hic verò mihi mortuus videtur.

ALIQVOT τεμάχια) *Æſchylus fuit laudator & imitator Homeri quantus poteſt eſſe maximus. Hunc ferunt dicere ſolitum; Tragœdias ſuas exiguas partes, ſeu particulas quaſdam eſſe (τεμάχια) de amplis & magnis cœnis Homeri. Illum quippe vatem à Platone in 10. de Repub. Tragicorum principem, magiſtrum ac ducem vocatum eruditos non fallit.*

TEMPVS.

PROGYMNASMA TRICESIMVMOCTAVVM.

Parſimonia temporis.

IVNIOR, SENIOR philologi.

IVNIOR. Haud vulgaribus eſt nobilitata præconiis parſimonia, meritoq́ ac iurè exclamauit in Paradoxis M. Tullius. O dij immortales: non intelligunt homines, quam magnum ve-

ctigal ſit parſimonia. Nunc mihi complacitum eſt hoc tibi in percunctando ponere, qua demum in re ſumptum paruum atque moderatum ſentias eſſe inprimis vehementerq́ꝫ prædicabilem; ſeu, quam parſimoniam ſtatuas vtiliſsimam. S. Si pecuniam fructuoſiſsimum ac præcipuum quiddam arbitrarer, pecuniarum præparcos ſumptus ore pleno commendarem. Quibus cum vulgus inhiet auidiſsimè, easqúe faciendi ac redigendi vias omnes nouerit, rectè non aliam parſimoniam tanti æſtimat. I. Quid tu auro (quod Dircæus ille cygnus inter diuitias velut in tenebris nocturnis luci diſsimam flammam coruſcare cecinit) præſtabilius, quid omnino quæſtuoſius eſſe credis? S. Sæpe ſolent auro multa ſubeſſe mala. Virtutem quæſtuoſiorem credo. Prudentérque Horatius: Vilius argentum eſt auro, virtutibus aurum. I. At in virtutem parſimonia non cadit: quandoquidem in eius vſura non parci ac tenaces, ſed è contrario largi ac liberales eſſe debem⁹: enitiq́ꝫ, vt ſtudioſis actionibus crebrò multumq́ꝫ ſuſcipiendis, in ea vehementer excellamus. Aliud itaqꝫ parſimoniæ genus quærendum eſt, quod ſit anteponendũ omnibus. S. Crates ille Thebanus dixit, ſe, ſi fieri poſſet, altiſsimo vrbis loco conſcenſo proclamaturum: Quo tenditis homines, qui rei faciundę omne impenditis ſtudium, filiis, quibus opes veſtras relinquetis, curam perparuam? Sic ego è turri altiſsima libẽs coacto in concionem humano genere, ſi id fieri poſſet, proclamarem; temporis temporis parſimoniam amplectimini, & cuſtodite mortales. I, Quamobrem?

S. Quo-

S. Quoniam quod Theophraſto in ore ſemper fuit, πολυτελὲς ἀνάλωμα ὁ χρόνος. Tempus eſt ſumptus quamuis pretioſus. Et cum omnia aliena ſint, tempus tantum noſtrum eſt. In huius rei vnius fugacis ac lubricę poſſeſsionem natura nos miſit, ex qua mox, quicunque vult expellitur, inquit ſapientiſsimus Seneca. I. Quid hîc eſt expelli? aut quinam iſti, qui ex hac poſſeſsione expelli volunt? S. Qui aut inertiſsimo ac deſidioſiſsimo otio, aut negotiis quæ ab otio nihil differre autumabat Socrates, vt ludendo aleam, potando, dormiendo, intempeſtiuè confabulando, inaniſsima ſpectacula obeundo, & ſimilib⁹ horas, dies, menſes, annos ſibi effluere nullo prorſus emolumento ſuo patiuntur, quos quidem haud aliquando ſint recuperaturi; cum interim ab vltima rerum linea, à morte quotidie propius abſint. Quam ſcitè Virgilius? ſtat ſua cuique dies, breue & irreparabile tempus Omnibus eſt vitę. I. Exiſtimat hęc prodigorum natio ſat temporis ſibi supereſſe. S. Atqui Zeno diuerſum exiſtimabat, cuius memoranda vox eſt: nihil magis deeſſe homini quàm tempus. Breuitatem vitæ noſtræ quam degimus in terris conſiderabat. Quam non conſiderat, qui tempore ſe abundare putat. Cito pede labitur ætas, Nec bona tam ſequitur, quam bona prima fuit. Incertum nimirum ac fragile eſt hoc munus naturæ, vt ſcribit in ſeptimo Plinius, quidquid datur nobis: malignum verò & breue etiam in iis quibus largiſsimè contingit, vniuerſum vtiq; æui tempus intuentibus. Quid quod ęſtimatione nocturnæ quietis, dimidio quiſque ſpatio vitæ ſuæ

viuit?pars æqua morti ſimilis exigitur,aut pœnæ, niſi contingit quies. Nec reputantur infantiæ anni qui ſenſu carent, non ſenectæ in pœnam viuacis. I. Quoniam ergo eadem optima,eadem breuiſsima res tempus eſt, poſtulas tu nos eam bene ponere; in factis ſcilicet honeſtis atque vtilibus, non in ceſſationib' otioſis,aut alienis ab homine libero functionibus,permittisq́ in alia re quauis, in nummis, in veſtibus, in ædificiis, in penu,non in hac profuſos ac luxurioſos eſſe. S. Permitto. Vis cauſſam accipere? I. Volo. S. Aliæ res,è quibus emolumenta capiuntur, rurſus acquiri poſſunt vbi amiſſę ſunt:hæc ſola nunquam. Tempus ſi ſemel præterierit, non reuertitur, eſt irreuocabile. Et tamen ſine fructu abiiſſe ſibi tempus,contritos in negligentia & ſocordia dies nemo dolet, nemo ob id vllius errati ſeſe inſimulat. Dolet autem, lamentatur, ſeq́ caſtigandum ſtatuit quilibet, ſi leuidenſam, ſi catellum, ſi obolum, ſi rem deniq; cuius cauſſa ne digitus quidem porrigendus ſit perdiderit,cum hæc non magno vel labore, vel ſumptu recuperari videamus. Qui verò ſenectutis macie, atque canitie poſita florentes ſibi annos reddiderit (quod Medeam Æſoni herbarum ſuarum ſuccis infuſis præſtitiſſe in fabulis eſt)quis vnquam aut fuit,aut futurus eſt? I. Quin parſimonia temporis in omnibus,& in omni vita vtendum ſit,nihil ambigo. Rurſus tamen interrogabo,in quo potiſsimùm? S. In diſciplinarum ſtudiis. I. Quid cauſſæ? S. Sapientiæ pelagus immenſum atque infinitum eſt, quod viri ingenio, diligentia & ſolertia admirabiles,etiam qui ſupra

centeſi-

centeſimum annum ætatem produxerunt permetiri & enauigare nequiuerunt: nedum vt illi enauigent, qui ad dimidium huius tam longæuæ ſenectutis non ſunt ducturi ſpiritum: præſertim ſi vitæ dimidium languere,& deſidia tranſmittere poſtulauerint. I. Totum tibi aſſentior.Propone mihi exemplum literati alicuius, quem ſcias parcum fuiſſe temporis. S. Proponam tibi Plinium maiorem polyhiſtorem. I. Illum librorum helluonem, in quo ſcilicet fuit inexhauſta legendi auiditas? S. Illum nempe ipſum. I. Narra obſecro. S. Amicus quidam cum eo in cœna accubuerat.Is cum lectorem(nam lectione etiam tum paſcere conſueuerat animum, vt cibo corpus) quæpiam pronuntiata perperam,iterare iuſsiſſet. Intellexeráſne,inquit Plinius.Cum ille annuiſſet. Cur igitur reuocabas? decem amplius verſus hac tua interpellatione perdidimus. I. O famem audiendi, quam comedendi multo acriorem, omninóque βυλιμίαν. O auaritiam temporis, non parſimoniam. Iſte ſummus vir vel momentum nolebat amittere, & nos hebdomadas non deſiſtimus prodigere:ſtertimus noctes & dies,& nulli ob id mœſtitię nos tradimus. S. Increpuit idem aliquãdo ſuum è ſorore nepotem Plinium, quod ambularet.Poteras,inquit,has horas non perdere.Sed auctor tibi ſum, vt totam epiſtolam quintam libri 3. perlegas,quæ & quid,quamque multum librorum ſcripſerit, & quanta in ſtudiis aſsiduitate, & in tempore quanta parſimonia fuerit auunculus, ſubtiliter explanat. I. Dum robuſtis mihi viribus adoleſcit ætas, in hoc ſumptu tam

pretioſo quā moderatiſsimè faciēdo me exercebo; fugiā otium ſine fruge, & improbas actiones ipſo leto peius timebo, ad honeſtatem me equis, viris ſemper applicabo; ne, vbi tarda ſenectus per corpus ſerpere, & vitę clauſtra reſoluere iā cœperit, tū mihi occinatur : ſera in fundo parſimonia.

ANNOTATIONES.

PARSIMONIA TEMPORIS) *Quod dat conſilium Lucilio Seneca ep.1. id nobis quoq; datum arbitremur. Cum quædam tempora eripiantur nobis, quædam ſubducantur, quædam effluant, vt ea colligamus ac ſeruemus. Turpiſsima tamen eſt iactura, inquit, quæ per negligentiam fit : &, ſi volueris attendere, magna vitæ pars elabitur malè agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus. Hactenus ille. Inter breues porrò ſententias, eaſdemq; ſapientiſsimas, & vt quadam annotat. docuimus, ad Apollinem auctorem relatas, etiam hæc fuit. Tempori parce. Mentio huius eſt apud Cic.3. de finib. & alios.* CVM VVLGVS AVIDISS. INHIET) *Quandoquidem vita, quæ per vocem, anima, ſæpe ſignificatur, nihil eſt homini neq; charius, neq; dulcius, Heſiodus immodicum pecuniæ coaceruandæ ſtudiū, & amorem nummi nimis ardentem miſeris mortalibus animam eſſe ſcripſit. Verſus hic eſt.* χρήματα γὰρ ψυχὴ πέλεται δειλοῖσι βροτοῖσι. *Eodem ſpectant illi è comœdia quapiam veteri.*

τ' ἀργύριόν ἐστιν αἷμα καὶ ψυχὴ βροτοῖς.
ὅστις δὲ μὴ ἔχει τοῦτο μηδὲ κτήσατο,
οὗτος μετὰ ζώντων τεθνηκὼς περιπατεῖ.

Argen-

Argentum & anima, & ſanguis eſt mortalibus,
Hoc qui caret, nec ſibi parauit ſedulò,
Viuos hic inter mortuus circumambulat.

Notauit hanc ſacram famem Flaccus quoq; Sat. 1. lib. 1.

At bona pars hominum decepta cupidine falſo,
Nil ſatis eſt, inquit, quia tanti quantum habeas ſis.

Vbi propter rudiores quoſdam illud monuerim, quod ante me etiam Muretus, cupido pro cupiditate huic ſcriptori ſemper maſculino genere efferri. DIRCÆVS ILLE CYGNVS) *Huius auis cognomine honorantur poëtæ, & ei ſeſe libenter comparant, propter ſimilem videlicet in cantu ſuauitatem. Virgil. eclog. 9.*

Vare tuum nomen, ſuperet modo Mantua nobis,
Cantantes ſublimè ferent ad ſydera cygni.

Dirce fons eſt agri Thebani, Pindarus Thebis natus, quem venuſtè Horat. Ode 2. lib. 4. quæ tota in eo ornando conſumitur, Dircæum cygnum vocauit. Verſus autem illi eius poëma inchoant. ἄριστον μὲν ὕδωρ, & *quæ ſequuntur.* VT LVDENDO ALEAM) *Libro de breuit. vitæ cap. 12. & 13. complures eiuſmodi occupationes inaniſsimas enumerat Seneca, aitq; non videri otioſos interim, quorum voluptates multum habeant negotij. Qui verò in literarum inutilium ſtudiis detinentur, de illis nemo dubitabit, quin operosè nihil agāt: vt qui quærunt quem numerum remigum Vlyſſes habuerit; prior ſcripta ſit Ilias an Odyſſea, & an ſit eiuſdem auctoris, aliaq; huius notæ: quæ ſiue contineas nihil tacitam conſcientiam iuuant; ſiue proferas, non doctior videberis, ſed moleſtior. Huiuſcemodi quæſtionum nul-*

Iam ad rem vtilium exempla recenſet etiam Gellius lib.14.cap.6. Mox autem Seneca noſter cap.14. & 15. oratione grauitatis & ſapientiæ pleniſſima demonſtrat, qui vtiliter in ſtudiis doctrinæ occupentur. AB VLTIMA RERVM LINEA) *Horat.ep.16.lib.1. Mors vltima linea rerum eſt. Ducta eſt metaphora vel à figuris geometricis, quæ lineis terminantur, vel à pictura: nam & Apelles dicebat:* Nulla dies ſine linea. *Cic. ad Torannium. Cum omnium rerum mors ſit extremum. Ouid. à curſoribus nomen mutuatus, metam, inquit, properamus ad vnam.* QVOTIDIE PROPIVS ABSIT) *Quem mihi dabis, qui aliquod pretium tempori ponat? qui diem æſtimet? qui intelligat ſe quotidie mori? In hoc enim fallimur, quod mortem proſpicimus. Magna pars eius iam præteriit. Quidquid ætatis retro eſt, mors tenet. Seneca.* BREVITATEM VITÆ NOSTRÆ) *Lucret.lib.2.*

O miſeras hominum mentes, ô pectora cæca.
Qualibus in tenebris vitæ, quantisq; periclis
Degitur hoc æui quodcunq; eſt?

Sed is quem paullò antè produxi: Non, inquit, exiguum temporis habemus, ſed multum perdimus. Satis longa vita, & in maximarum rerum conſummationem largè data eſt, ſi tota bene collocaretur. Sed vbi per luxum & negligentiam defluit, vbi nulli bonæ rei impenditur, vltima demum neceſſitate cogente, quam ire non intelleximus, tranſiſſe ſentimus. Sicut amplæ & regiæ opes, vbi ad malum dominum peruenerunt, momento diſſipantur:

tur: at quamuis modicæ, ſi bono cuſtodi traditæ ſunt, vſu creſcunt. Ita ætas noſtra bene diſponenti multùm patet. Vita, ſi ſcias vti, longa eſt. Diſplicet Salluſtio quoq; hominum de breuitate vitæ querimonia. Sic enim bellum Iugurthinum exorditur. Falsò queritur de natura ſua genus humanum, quod imbecilla, atq; æui breuis, & quæ ſequuntur. Theophraſtus tamen nobilis philoſophus, & Ariſtotelis ſucceſſor queſtus eſt. Moriens enim naturam accuſauit, quod ceruis & cornicibus vitam diuturnam, quorum id nihil intereſſet: hominibus, quorum id maximè interfuiſſet, tam exiguam vitam dediſſet: quorum ſi ætas potuiſſet eſſe longinquior, futurum fuiſſe, vt, omnibus perfectis artibus, omni doctrina hominum vita erudiretur. Querebatur igitur ſe tum, cum illa videre cœpiſſet, exſtingui. Cic. Tuſcul. 3. Obiit autem octogenarius. De ſpatiis humanæ vitæ longiſſimis permulta virorum ac mulierum exempla, ſi placet, lege apud Plinium lib. 7. cap. 50. EST IRREVOCABILE) *Virgil. 3. Georg.*

Sed fugit interea, fugit irreparabile tempus.

Et lib. 10. pereleganter & grauiter, quem locum etiam in dialogo tetigimus.

Stat ſua cuique dies, breue & irreparabile tempus
Omnibus eſt vitæ: ſed famam extendere factis
Hoc virtutis opus.

Simili planè modo Salluſtius proœmio Coniurat. Quò mihi rectius eſſe videtur, ingenij quam virium opibus gloriam quærere: &, quoniam vita ipſa qua fruimur, breuis eſt, memoriam noſtri quam maximè longam efficere.

ficere. Seneca epiſt.1. Nemo ſe iudicat quidquam debere, qui tempus accepit, cum interim hoc vnum eſt, quod ne gratus quidem poteſt reddere. QVOD MEDEAM AESONI) *Fabula narratur 7. Metamorph.* SAPIENTIÆ PELAGVS IMMENSVM) *Iſtuc non ſolùm vniuerſim, ſed ſpeciatim quoq;, id eſt, in ſingulis ſcientiarum generibus quam veriſſimum reperitur. A fine ac termino cuiuſq; alius alio hoc propius abeſt, quo doctior eſt: longè tamen abſunt etiam doctiſſimi, & longiſſimè omnium indocti, parum inquam eruditi: metas adhuc nemo flexit. Ac neceſſarium eſt, cum diuinæ literæ teſtentur, librorum ſcribendorum nullum eſſe finem, nec rerum proinde inueniendarum ſciendarumq́; finem vllum poſſe conſtitui. Nihilominus aliquem perfectiſſimum Theologum, Philoſophum, Mathematicum, Oratorem, Poëtam nuncupamus, quòd eo perfectiorem non videmus. Confirmat præterea rem illud, quòd vt quiſq; eruditiſſimus & ſapientiſſimus eſt, ita clariſſimè quædam ſibi, vel multa potius adhuc deeſſe ad ſcientiam animaduertit, perſpicueq́; intelligit, quam altis ſepulti tenebris volutentur, qui ſe omni ex parte immenſa veritatis luce circumfuſos confidentiſſimè opinantur.* OMNINOQVE ΒΟΥΛΙΜΙΑΝ) βούλιμος, *ſeu* βουλιμία *eſt ingens atq; intolerabilis fames, ſiue inſaturabilis edendi cupiditas. Quidam vocauerunt caninam appetentiam, de qua diſſerit Magius lib. 2. cap.1. & Rhodigin. lib.25. cap.9. & 26. cap.1.* SERA IN FVNDO PARSIMONIA) *Heſiodium eſt,* δειλὴ δ' ἐπὶ πυθμένι

μένι

μένει φειδώ. *Citat Seneca epiſt. 1. addens: non enim minimum tantum in imo, ſed peſsimum remanet. Quapropter res neceſſariæ inconſultò diſperdendæ ac profundendæ non ſunt, ac tum demum adhibenda moderatio, cum vix quidquam reſtat. Hoc æquè in rebus ad animum ſpectantibus ſeruare oportet, ac nõ exſpectare dum ſenectus adueniat, & tum primum in virtutis & eruditionis caſtra militatum proficiſci, cum quaſi in fundo ſola iam fex annorum ſupereſt.*

PROGYMNASMA TRICESIMVMNONVM.

Cum tempore congruendum.

DISCIPVLI, MAGISTER.

DISCIPVLI. Dimitte nos extra mœnia ire ambulatum, vt te facturum nobis recepiſti. M. Non dimitto, quamuis receperim. D. Sudum eſt, & ambulatio ſalutifera corporibus, id quod te plus millies prædicantem audiuimus. M. Cœlum feruet, & iam nunc ſudore manatis. Quid exſpectemus, ſi in ardentiſsimo ſole ambuletis? non eſt hoc ſalubre, non eſt. D. Arboribus ſuccedentes quieſcemus, & frigus opacum captabimus: ſine offenſione valetudinis domum redibimus, nihil nocebit hic æſtus. M. Tum vos Hippocrateam viciſtis ſapientiam, ſi id exploratum

tum habetis. Sed hoc dicite. Num maximo imbri foris per ſpatioſa camporum ambulare optaretis, ſi ſoluta ſit vobis optio? D. Nihil minus. M. Cur? D. Et permoleſtum, & ſanitati inimicum foret. M. Eaſdem ob cauſſas hîc manetote. Omnia tempus habent. Tempus naſcendi, tempus moriendi. Tempus plantandi, tempus euellendi quod plantatum eſt. Tempus occidendi, tempus ſanandi, & alia eodem loco multa Hebræus ſapiens. Dicamus nos, id quod verum eſt. Tempus ſtudij, tempus ludi. Tempus per virentia prata, ſyluas, hortos deambulandi. Tempus domi ſe tenendi. D. At nunc ludendi tempus venit. M. Ludere non prohibeo. Ludite pro arbitrio: tantum hæc prius haurite auribus. Sunt quæ honeſtè, ac laudabiliter fiunt. Eadem parum honeſtè nullaq́ cum laude alieno tēpore fiunt. Philoſophari, ac de rebus ſeu ad differendi ſubtilitatem, ſeu ad naturæ obſcuritatem, ſeu ad vitam moresq́, ſeu ad religionem pertinentibus diſputare in ſympoſio non decet. Quanquam Perſas de rebus grauibus inter pocula conſultaſſe legimus. Sed illi ſuum ſibi morem habuerint. Incedat quis penula coopertus cœlo ſereno, vti pluuio, irridebitur. Tegat corpus arietinis, aut vulpinis pellibus in æſtate vt in hyeme: aut veſte linea, ſeu byſſina vtatur menſe Decembri, ſiue Ianuario, vt Iulio & Auguſto, num ſe decorè gerere exiſtimabitur? D. Stultè potius. M. Quamobrem? D. Quia temporis diſcrimina ipſe in nullo ponit diſcrimine. M. Atqui tales inueniuntur homines. In quorum ordinem cooptandi ſunt, qui noctu agunt, quæ inter-

interdiu oportet agere. Cum dormiendum eſſet, ipſi vigilant: cum vigilandum ipſi dormiũt. Cum requieſcendum diebus feſtis, ipſi opus faciunt: cum opus faciendum diebus non feſtis, ipſi quieſcunt, & in cauponulis latitantes perpotant vſq; ad veſperam. Hi & in Deum videntur, & in naturam contumelioſi. Sunt item, qui prandent & cœnant quando voluntas fert, nulla certa hora præfinita. Hi medicorum leges deſpicationi habent, ſeſeq; detrimentis non leuibus augent. D. Tamen Diogenes interrogatus qua hora prandẽdum foret reſpondit: diues prandeat quãdo vult, pauper quando poteſt. M. Hoc de paupere valeat, cui nempe victus in diem quæritur: de diuite philoſophicè dictum accipiatur, non medicè. Relinquatur eadem libertas mãduconibus, in quos illud iactatur prouerbium: Venter ſolarium. At enim ne diutius ad ludum feſtinantes detineam, vos in actionibus atque conſuetudinibus veſtris ſemper nitemini vt cum tempore conſentiatis. D. Nitemur, ita, nitemur.

ANNOTATIONES.

HIPPOCRATEAM VICISTIS SAPIENTIAM) *Medicinæ antiſtes, medicorumq; princeps Hippocrates in inſula Coo genitus, primus medendi præcepta clariſſimè condidit. Plin. lib. 26. cap. 2. Eidem Galenus multum tribuit, eum medicis omnium bonorum fuiſſe auctorem ſcribit. Attamen huius filij ſtolidiſſimi, palamq; ludibrio & contemptui omnibus vixerunt.*

runt. Quæ ſit autem ratio, cum ex homine hominem, ex bellua naſci belluam videamus, cur è doctis viris & virtute præditis ſtupidi ſæpe, & nequam liberi exiſtant, nondum patet. Fieri ſolere certè quidem patet, & exempla tam recentia quàm vetuſta minimè deſunt. Demoſthenes dixit, bonorum virorum hoc quaſi fatum eſſe, vt ab ipſis filij nequam generentur. Lege Chiliad. prouerbio, Heroum filij noxæ. OMNIA TEMPVS HABENT) *Extat apud Eccleſiaſten, idq́ inter adagia ſacra Polydorus retulit. Admonemur eo mutabilitatis & inconſtantiæ rerum humanarum, quæ cum tempore inchoantur finiunturq́. Ac neſcio an vlla in re, quam in agricultura, omninoq́ in re ruſtica euidentius appareat, vnumquodq́ negotium, vnamquamq́ rem ſuum ſibi tempus poſtulare. Atq́ vt etiam vtile quippiam facias, tamen meritò vituperandus ſis, ſi id alieno parumq́ idoneo tempore facias. Vide Vict. lib. 2. cap. 16.* QVANQVAM PERSAS DE REBVS) *Inter epulas, vbi iam vino incaluiſſent, de rebus ſeriis magniſq́ conſultationẽ Perſæ inſtituebant; quod nempe tum vigere animum, atque ob id conſiliis capiundis diiudicandiſq́ aptiorem crederent. Hoc etiam Græcos factitaſſe memorat Plutarchus Sympoſiacῶn lib. 7. cuius in extrema quæſtione hæc ſunt. Antiquiſſimi verò ipſum Bacchum tanquam nihil Mercurij egentem Eubulum (hoc eſt bonum conſiliarium) & eius gratia noctem Euphronen, quaſi prudentiæ aptam appellarunt.* IN QVORVM ORDINEM COOPTANDI) *Iocosè, quaſi is ordo dignitatem habeat.*

beat. Pro vocibus, admiſſus, electus, adſcitus, receptus, aſſumptus Cic. *ferè ſemper vſurpare, cooptatus, præſertim cum de ſenatu aut ſacerdotio loquitur, obſeruauit* Corradus. *Commentar. in Brutum.* CVM VIGILANDVM, IPSI DORMIVNT) *Sen. ep. 122. Turpis qui alto ſole ſemiſomnis iacet, cuius vigilia medio die incipit, & adhuc multis hoc antelucanum eſt. Sunt qui officia lucis noctisq; peruertunt: nec ante diducant oculos heſterna graues crapula, quam appetere nox cœpit. Lege quæ ſequuntur.*

ADMINICVLA, SEV NVTRIMENTA ET IMPEDIMENTA VIRTVTIS.

PROGYMNASMA QVADRAGESIMVM.

Exempla & ſententiæ prælectionibus aſperſa.

VENCESLAVS, IVO.

VENCESLAVS. Æquè ſingulari, geſtientiq; lætitia, vt hodie, ante ac poſt meridiem Magiſtrum docentem me attendere non

memini. I. Soles tu, quod ſatis comperi, lętabundus ludum petere, & à doctoris ore pendere. V. Soleo equidem. Verùm hæc diecula fuit mihi, neſcio quomodo multorũ dierum inſtar, ſeu multis diebus gratior atq; iucundior, & ad culturã animi profectò vtilior. I. Affer in medium quid audieris, vnde in pectus tuum tanta voluptas penetrarit. V. Quæ de profanis libris explicantur, etiam hac luce explicata ſunt. Sed Magiſtro meo hoc ſollemne eſt. Cum Ciceronẽ, Ouidium, aliúmue latinum ſcriptorẽ interpretatur, ſicubi occaſionẽ idoneã nanciſcitur, rationibus, moralibus ſentẽtiis, apophthegmatis, exemplis ſacris & ciuilibus locos, remq; propoſitã mirabiliter illuſtrat, auditorũ voluntates quo vult impellit, vnde vult deducit. Virtutis ſplendorẽ & elegantiam oſtendit, vt nos ad eius amorẽ extimulet. Flagitiorũ turpitudinem & deformitatẽ declarat, vt nos ad eorũ deteſtationem incendat. Id nunquã proceſsit ipſi quam hodie excellentius: cœleſti ſpiritu inſtinctus concitatusq; videbatur. I. Quas, amabo, hiſtorias protulit? quas ſentẽtias recitauit? fac me, ſi vis, iucunditatis tuæ ſocium: nam ego quoq; iſtiuſmodi eſcarũ ſum auidus. V. Oblatus eſt locus de fidelitate amicorũ. Ibi nobis Damonis & Pythiæ, Dauidis & Ionathæ facta expoſuit; addiditq; Oreſtis etiã & Pyladis, Nyſi & Euriali, Alexandri & Hephæſtionis amicitiam celebrari, de quibus aliâs ſe dicturum. Ariſtotelis illa retulit: amicus eſt alter ego: &, Amici anima vna in duobus corporibus. Itẽ è ſanctis literis. Amicus fidelis protectio fortis; qui inuenit illum, inuenit theſaurum. Rurſus.

Amico

Amico fideli nulla eſt comparatio; & nõ eſt digna ponderatio auri & argenti cõtra bonitatem fidei illius. Dabatur opportunitas agendi de fortitudine, trecẽtorum Lacedæmoniorum virtutem, qui nimirum duce Leonida in Thermopylis occubuiſſent, laudũ prædicatione in aſtra tollebat. In quos extat epitaphium à Simonide compoſitũ, & à Cicerone iiſdem numeris conuerſum.

Dic hoſpes Spartæ, nos te hîc vidiſſe iacentes,
Dum ſanctis patriæ legibus obſequimur.

Chriſtianorum quoq; exempla nõ tacebat. Inprimis D. Laurentium in eximia commendatione ponebat, cui adiungebat è veteri teſtamẽto Eleazarum Machabæum, qui adigi nõ poterat, vt porcinam Iudæis interdictam aut comederet, aut ſaltem comedere ſe ſimularet. Voluptatũ fiebat mẽtio. Sybaritas, Tarentinos, Sardanapalos, Tiberios exſecrabatur. Ex Horatio proferebat:

Sperne voluptates, nocet empta dolore voluptas.

Ex Silio.

Quippe nec ira deûm tantum, nec tela, nec hoſtes,
Quantum ſola noces animis illapſa voluptas.
Ebrietas tibi fida comes, tibi luxus & atris
Circum te ſemper volitans infamia pennis.

Et ex Cicerone. Nihil altum, nihil magnificum ac diuinũ ſuſpicere poſſunt, qui ſuas omnes cogitationes abiecerunt in rem tam humilẽ, tamq; contemptam. Euenit vt quippiã de caſtitate & pudicitia occurreret, ibi exemplum Dei matris, & ex vetuſtioribus Ioſephi Patriarchæ laudatiſsimum facin⁹ nobis antę oculos ſtatuebat; multisq; ſimili-

tudinibus illius virtutis pulchritudinem, & quaſi quandam odoris ſuauitatem quæ inde afflaretur demonſtrabat. Ad extremum verſiculos quoſdã puriſsimos ac dulciſsimos de fonte non puro & amaro (ſic enim dixit) adiiciebat; eos memoriæ mandaui. I. Deſidero audire. V.

Vt flos in ſeptis ſecretus naſcitur hortis,
Ignotus pecori, nullo contuſus aratro,
Quem mulcent auræ, firmat ſol, educat imber.
Multi illum pueri, multæ optauêre puellæ.
Idem cum tenui carptus defloruit vngui,
Nulli illum pueri, nullæ optauêre puellæ.
Sic virgo dum intacta manet, dum cara ſuis: ſed
Cum caſtum amiſit polluto corpore florem,
Nec pueris iucunda manet, nec cara puellis.

Diem conficiam, ſi omnia ſigillatim narrauero, quibus ille ſcholas ſuas hodie condiuerit. I. Materiam tanti oblectamẽti quamuis iuſtam es adeptus, & optatus hic tibi dies datus eſt hodie. V. Optatiſsimus.

ANNOTATIONES.

HOC *dialogo patefacta eſt ratio, quam ſi tenuerint Magiſtri, & Pædagogi, diſcipulos ſuos quemadmodum Phœnix Achillem* ῥητῆρας λόγων, πρηκτῆρας τε ἔργων, *oratores verborum, & actores rerũ, id eſt, literarum ſimul & virtutis compotes efficient. Tales quærẽdi ſunt doctores, & de iis filiorũ cauſſa magis debent eſſe ſolliciti parentes, quam de re familiari. Nam bene docti,*

beneq́;

beneq́ morati liberi ea demum eſt tutiſsima & pulcherrima poſſeſsio. Leonides quidē Alexandrum puerum quibuſdam vitiis imbuit, quæ robuſtū quoq́, & iam maximum regē ab illa inſtitutione puerili ſunt proſecuta. Videndum ergo etiā ne in Leonidas tanquā in leones incidat iuuentus. LÆTABVNDVS LVDVM PETERE) *Cernuntur nonnulli puerorū quotidie ſerius in ludū ventitantes, nonnulli ſæpenumero abſentes, quis iſtos diſcendi cupidos? quis non coactos diſcere? quis Præceptori nō moleſtiſsimos putet? quis de progreſſu eorum quidquā ſperare audeat?* DAMONIS ET PYTHIÆ) *Damonem et Pythiam Pythagoreos ferunt hoc animo inter ſe fuiſſe, vt cū eorū alteri Dionyſius tyrannus diem necis deſtinauiſſet, et is qui morti addictus eſſet, paucos ſibi dies cōmendādorum ſuorū cauſſa poſtulauiſſet: vas factus eſt alter eius ſiſtendi: vt ſi ille nō reuertiſſet ad diem, moriendū eſſet ſibi ipſi. Qui cum ad diem ſe recepiſſet, admiratus eorū fidem tyrannus, petiuit vt ſe in amicitiā tertium adſcriberent. Cic. 3. Off. & Tuſcul. 5. De amicitia Dauidis & Ionathæ 1. Reg. cap. 18. 19. 20. De Oreſtis & Pyladis Euripid. Oreſte, & Iphigenia in Tauris. Ouid. eleg 2. lib. 3. de Ponto. De Alexandri & Hephæſtionis Plutarchus in Alexādro, Q. Curtius. Hic Rex cum à Parmenione quoq́ amaretur, ſed amore quodam reuerenti & maſculo planè, ſolebat hunc* φιλοβασιλέα, *illum* φιλαλέξανδρον *appellare.* ALTER EGO, ANIMA VNA IN DVOBVS) *Plutarchus commentario de amicorū multid. Inueniemus binos ſemper amicos memoriæ perhibitos, Theſeū &*

Pirithoum, Achillem & Patroclum, Oreſtem & Pyladem, Pythiam & Damonem, Epaminondã & Pelopidã. Eſt enim amicus animal vnà quidẽ degens, ſed non vt in armento, aut graculorum caterua. Et quod amicus dicitur alter ipſe, id nihil aliud ſignificat, quã binarium eſſe amicitiæ menſuram. Paullò pòſt. Itaq; valde amare et amari inter multos locum non habet: ſed ſicut amnes in multos diuiſi alueos imbecilli fluunt ac tenues: ſic vehemens amor in animo ſi diſſipetur in multos, eneruatur. Vnde fit vt ea animalia prolem ſuam magis ament, quæ vnum tantum gignunt. TRECENTORVM LACEDÆMONIORVM) *De hac pugna Cteſias in Perſicis. Multa Herodotus lib. 7. & Diodorus lib. 11. qui & funebrem egregiam victoribus illis contexit; & qui in caſtra hoſtium irruperint, atq; ad vnũ omnes occubuerint quingentos, copiarum autem Xerxis numerum decies centena millia in ipſis caſtris fuiſſe affirmat. Adhæc Iuſtinus lib. 2. Valerius lib. 3. cap. 2.* Cic. 1. Tuſcul. *Ælianus lib. 3. cap. 25. Sunt in eoſdem epigrammata non pauca in Anthologiæ tertio.* D. LAVRENTIVM) *Belle Muretus hymno in eundem omnis memoriæ fortiſſimum martyrem.*

> *Tanto corporeis ignibus acrior*
> *Chriſti ardebat amor pectore in intimo,*
> *Sic mens tota Dei feruida ſpiritu*
> *Senſum corporis hauſerat.*

Luſimus & nos aliquando tetraſtichon.

> *Cratibus affixus, rapidumq; impoſtus in ignem,*
> *Iam mediæ Laurens parte crematus ait.*

Maio-

Maiores magnis flammas ſuperaddite flammis,
Auctior eſt, animum qua mihi flamma coquit.

ELEAZARVM MACHABÆVM) *Duo Eleazari celebrantur, vnus, qui pro communi libertate, & nominis æternitate elephantū ſubiens, eum occidit, eiusq́; caſu ipſe oppreſſus interiit, vt eſt cap. 6. lib. 1. Machabæorum hiſtoriæ; alter ſacerdos, qui porcinam contra legem edere noluit. De quo lib. 2. cap. 6. In hunc, & ſeptem fratres ab eodē Antiocho inaudito crudelitatis genere interemptos extat D. Gregorij Nazianzeni oratio. Laudauit hunc Eleazarum etiam Ioſephus libro quem inſcripſit* περὶ αὐτοκράτορος λόγου, *de imperio rationis.* IOSEPHI PATRIARCHÆ) *Eſt in hunc dulciſsima D. Ephræm oratio, qua et hoc factum mirificè exornat. Vide inſuper quā idem conſtanti animo, quibusq́; verbis dominā libidine furentē à ſe repellat apud Theodoretum de prouidentia ſermone 8.* QVAMVIS IVSTAM) *Quāuis valet admodū, quantumuis, valde, egregiè. Virgil. 1. Georg. Vt quamuis auido parerent arua colono. Lucret. lib. 3. quia quamuis effera proles Officiis debet molliri victa parentum. Plaut. Menæch. Quamuis ridiculus eſt, vbi vxor non adeſt.*

PROGYMNASMA
QVADRAGESIMVMPRIMVM.

Manſueta obiurgatio.

PAEDAGOGVS, MARINVS, PVDENTILLVS alumni.

PÆDAGOGVS. Quid vult, Marine, quod homines adoleſcentiores, præcipueq́; mulieres ſpecula crebrius obtuentur? M. Noſſe volunt, quam bella, quam munda ſit facies, num bene compoſitũ ornatumq́; caput, aliquáne in frõte, in malis, in naſo, in toto vultu macula qua deformentur. PAE. Probè. Ecquid tu ipſe ob hanc cauſſam ad ſpeculum aliquãdo conſulendum aſtas? M. Aſto equidẽ: nam me facies turpata haud delectat. PAE. Auſculta. Sicut, poſtquam intuitus es ſpeculũ, ac næuum aliquẽ, maculámue in vultu deprehendiſti, abiecta cunctatione illam tollis: ita ſi admonitiones, reprehenſiones, caſtigationes leniſsimas parentum, Præceptorum, ſeniorumq́; admittere ad aures volueris, delicta & culpas tuas, quæ diuinam animi tui ſpeciem infuſcant, & collutulant, manifeſto cognoſces, vt ſi oculis videas, & inde ea ſtudebis eluere. Enimuerò tu in hoc multum Pudentillo concedis. M. Quî nam? PAE. Quandocunque ego, aut parentum alter te reprehendit, reſponſas, te excuſare contendis, lapſus agnoſcere detrectas. Ille nihil iſtorum. Verecundo rubore ſuffuſus tacet, veniam petit, emendationem pollicetur. Verúmne videor, atque vti res eſt dicere Pudentille? PV. Quod alios pueros ingenuos, ac liberaliter eductos facere expertus ſum, hoc facio: eorumq́; exempla tum in hoc, tum in cæteris conſector: idemq́; præſtare fratrem hunc meum percupio. PAE. Percepiſti optatum? M. Etiam. PAE. Nullo ſeſe indicio clarius exerit naturæ bonitas in ætate qualibet, quam cum quis animo æquiſsimo patitur ſua

ſibi

ſibi peccata demonſtrari. M. Eſt quando iniuſtè obiurgor,quod nulla in me culpa hæret. PAE. Vitia tua tibi vitio verti nolles. Approbè noui qui ſis.Quid tu conſueſti Pudentille,cum admiſsi falſò coargueris? PV. Modeſtè,& paucis nego à me factum:iureiurando me nullo deuincio.PAE.Cur non? PV. Prudentiæ & æquitati reprehenſorum meorum confido. PAE. Diſce virtutem Marine. Nonne ſtulti ſint,qui obligari ſua vulnera nolint, qui morbis ſuis fieri medicinam prohibeant? M. Vtique. PAE. Nihilo his ſapientiores puta, qui vitiorum ſuorum vlcera contingi, ſeſeq; peccatis adſtrictos admoneri & caſtigari non ſuſtinent. Corripe ſapientem & amabit te, eſt apud Eccleſiaſticum.Ergo apud quem in odium & offenſionem admonitor incurrit,huius ſanitas deſperanda eſt.Itáne res eſt? M. Fateor: hucuſq; à me peccatum eſt.

ANNOTATIONES.

Parentes, & Præceptores qui ſecundum illos ſunt parentes proximi, ne ſint vſquequaque ſemperq́ duri, immites & aſperi, ſed filiis ac diſcipulis frequentius gratiam paruorum delictorum faciant, eaq́ ſe videre diſsimulent, ſuam ſibi adoleſcentiam, illamq́ ad offenſiones nimis procliuem ætatem ante oculos ſtatuentes. Cum *autem ad reprehenſionem veniendum eſt, imitẽtur medicos, qui medicamenta acriora & amariora dulcibus ſuccis commiſcentes, voluptate illa quodammodo ſibi portam & aditum ad ægrotorum vtilitatem aperiunt:*

ſic ipſi obiurgationum ſeueritatē lenitate quadam moderentur atq; temperent, & aliquando habenas ſuorum laxent, aliquando adducant. Quod ſi magnitudo peccatorum nullam videatur pati indulgentiam, tamen illud conentur, vt cum iuſtas pœnas ſeu verbis ſeu verberibus exegerint, ira celeriter deferueſcat. Eſt & hoc in obiurgatione ſeruandum, ne ſit facetus ac ridiculus, ne clamoſus qui obiurgat, inprimiſq; ne eodem vitio ſimilibúſue aut grauioribus ipſe laboret, ac proinde nequicquam ſapiat, qui ſibi non ſapit. Deus enim (inquit Plutarch.) nulli magis præcepiſſe videtur illud: Noſce teipſum, quàm ei, qui ſit alium vituperaturus. Ne ſi dixerit quæ vult, audiat quæ non vult. Idem lib. de Auditione. Salsè tamen in ſe iactum aliquod dictum, ſed citra iniuriam, & cum facetia, ferre ſine dolore & hilarè, non eſt indignum ingenuo & diſciplinam experto, ſed omnino liberale, & Laconicum. Addamus quod ſequitur, & adoleſcentum reprehenſorum maximè intereſt. Vbi caſtigatio vitæ corrigendæ gratia ſuſcepta ſermone vtitur acriter arguente, tanquam medicamento mordente, non audire ſubmiſſè, neq; pudore animum accenſum vertigine corripi, & ſudore perfundi, ſed inuictum audire, diductiſq; in riſum labiis, ac diſſimulare omnem dolorem, planè illiberalis eſt ſignum adoleſcentis, & à verecundia alieni.

PRO-

PROGYMNASMA QVADRAGESIMVMSECVNDVM.

Proborum familiaritas.

PATER, FILIVS.

PATER. Quid hic tam acriter contemplaris, Theodule, obtutúque hæres defixus in vno? F. Botrum hunc de matre ſua tam pulchrè pendentem, prægrandem illum, & vicino ſuo acinorum multitudine, coloreq́ꝫ liuidulo ex altera parte reſpondentem admiror. P. Quod mutuùm reſpiciunt, hoc vtriq́ꝫ ad maturitatem conducit; botrus iuxta botrum matureſcit, habet adagium. Et poeta Satyricus. Vuaq́ꝫ conſpecta liuorem ducit ab vua. Atqui tu, vti puer ſcilicet, nihil aliud quam botrum conſideras, nihil ad formandos mores hinc elicis. F. Quid elicerem? P. Cupis iam Octobrem appetere, vt maturis ſolibus coctum decerperem, tibiq́ꝫ donarem hunc racemũ. Eſtné vt dico? F. Etiã, pater. Eſitare vuas, in ſumma voluptate mihi eſt. P. Ego te docebo, fili, quid cogitandum ſit tibi, cum ita eximios, & propinquos botros in vite aſpectas, quorum alterum ab altero maturitatem trahere iam affirmaui: & hinc quis ſit prouerbij à me adducti ſenſus intelliges. F. Quid cogitabo? P. Quemadmodum vitia à vitioſis per conuictum, & ſocietatem, ſic virtutes quoq́ꝫ à ſtudioſis per familiaritatem & conſuetudinem diſcũntur, Trahit, inquam, colorem virtu-

tis à virtute, & maturus fit ex maturo, qui ſe cum homine probo tum amicitia, tum omni voluntate ſententiaq́ꝫ coniunxerit. Nec tam ad valetudinem vel conſeruandam, vel inſtaurandam cœli, regioníſue ſalubritas & clementia, quam ad mentis ſanitatem, & ad ſedatum quietumq́ꝫ animi ſtatum bonorum conſuetudo apta atqꝫ opportuna eſt. Quod ſi nulla beſtia tam fera & truculẽta cernitur, quę diuturno cum hominibus commercio feritatem non exuat, fiatq́ꝫ tractabilior, certè minus ad illaudatas actiones ſeſe dabit improbior aliquis, ſi cum benè moratis modios ſalis comederit. Tu ergo, mi Theodule, ab adoleſcentulo fuge malos, eorumq́ꝫ congreſsionibus & vſu lætare, quorum tibi virtus nota & perſpecta fuerit. Habe cordi hæc præcepta mea, vt ego aliquando materq́ꝫ tua ex nobis te proſeminatum eſſe gaudere poſsimus.

ANNOTATIONES.

BOTRVM HVNC DE MATRE SVA) *Plaut. Amphit. impleui cirneam. Eam ego vt matre fuerat natum vini eduxi meri. Matrem vini ex vua expreßi vitem nominat. Sic Virgil. 12. Æneid.*

Vt ſceptrum hoc (dextra ſceptrum nam fortè gerebat)
Nunquam fronde leui fundet virgulta, nec vmbras,
Cum ſemel in ſyluis imo de ſtirpe reciſum
Matre caret, poſuitq́ꝫ comas & brachia ferro.

Matrem ſceptri lignei ipſam arborem dixit, vt 2. Georg. loquens de lauro, quæ ab radice maioris pullulat: parua ſub ingenti matris ſe ſubiicit vmbra. NIHIL AD FOR-

MANDOS MORES) *Innumerabiles, etiam à rebus inanimis ad morum doctrinam ſimilitudines petuntur. Nec eſt quidquam adeo nullius pretij, quin nos aliquid monere ac docere poſsit, ſi nos modo ea ſimus intelligentiæ perſpicacitate, vt id videre queamus, quemadmodum viderunt Seneca, Plutarchus, Cic. aliiq́ſapientiſsimi homines, quorum libris traditum eſt nobis inexhauſtum, ſemperq́ duraturum rerum cognitione digniſsimarum patrimonium. Eorum veſtigiis hæreamus: quando etiam ille ab Heſiodo laudatur, qui paret rectè monenti, cum, quid rectum ſit, per ſe minus intelligit.* ESITARE VVAS IN SVMMA VOLVPTATE) *Non quod ſalubrius, ſed quod ſenſibus iucundius eſt hæc ætas ſequitur. Attamen, ne in valetudinis damna incurrant pueri, & cuius in adoleſcentia permiſſa eſt licentia, id etiam ſenes poſtea committant, coercendi ſunt nonnunquam. Lege quod de famula decrepita, & bonis ornata moribus* D. *Auguſtinus ſcripſit, 9. Confeſs. cap. 8. quomodo Monicam & ſorores eius etiam ſiti exardeſcentes aquam bibere ſiuerit, quam prudentem huius interdicti rationem attulerit.* COELI REGIONISVE SALVBRITAS) *Senecæ verba lib. 3. de Ira hæc ſunt.* Nec tam valetudini profuit vtilis regio, & ſalubrius cœlum, quàm animis parum firmis in turba meliorum verſari. Quæ res quantum poſsit intelliges, ſi videris feras quoq́ conuictu noſtro manſueſcere, nulliq́ immani beſtiæ vim ſuam permanere, ſi hominis contubernium diu paſſa eſt. GAVDERE POSSIMVS) *Ex contrario,*

rio, nimirum ex doloris acerbitate, quem parentes ob filiorum maleficia, improbitatem & infamiam animis accipiunt, iudicare licebit, quantis ex eorum virtute & gloria ſolatiis mulceantur, quantisq́ue gaudiis cumulentur. Et quoniã certum eſt, eos magis amare filios, quàm amari à filiis, illumq́ue amorem ardentiſſimum eſſe, colligitur eos vel ſupremam voluptatem ex eorum bonis, vel incredibilem ægritudinem ex eorum malis haurire: amantium enim hoc propriũ eſt, res amatorum ſibi communes facere, eoq́ue id amplius, quo amor feruet magis.

PROGYMNASMA
QVADRAGESIMVMTERTIVM.
A Deo actionum capienda primordia.

POSTHVMVS, GEMELLVS.

POSTHVMVS. Diuinare nequeo, cur non modo ſtudia mea, verumetiam quidquid facere occipio in dies ſingulos parum rectè ſub manus ſuccedat. Adeon' hominem eſſe infauſtum atque miſerum quenquam, vt ego ſum? G. Mihi è diuerſo & ſtudia mea, & quidquid auſpicor quotidie ſatis proſperè, & ad voluntatem. Summo illi rerum parenti ac domino ſit gratia. P. Quo artificio, aut qua demũ ratione hanc fœlicitatem conſequeris? G. Nullo artificio, paucis tantum

tantum verbis. P. Cantionibus,ſeu carmine magico fortaſſe. G. Quod Diui Diuæq́ omnes auertant. Quali tu me ingenio arbitrare? P. Bono. G. Quid factis? P. Bonis. G. Quid religione? P. Optima. G. Quid ergo te iſtæc audio loqui? P. Si quid per iocum dixi, nolim te id in ſerium conuertere. G. Ignoſco. P. Quibus igitur verbis? validam profectò verborum tuorũ vim eſſe oportet, ſi tantum efficiunt. G. Non te morabor. Memoria tenes nos audiſſe aliquando, antiquos, ſi quid incœptarent præfari ſolitos. QVOD BONVM, FAVSTVM, FOELIX, FORTVNATVMQVE SIT: QVOD FOELICITER EVENIAT: QVOD DII BENE VERTANT. P. Memor ſum. G. Non te mater tua perdocuit, acturum aliquid, animum ad Deum conuertere, eiusq́ opem tacitè implorare? P. Nunquam. G. Credo ipſammet non conſueſſe id facere. Mei parentes conſueuerunt, & ita me inſtituerunt, cum ſæpe illud Pauli occinerent. Omnia quæcunque facitis, ſiue in verbo, ſiue in opere, omnia in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti facite. Ob hoc itaq́ res tuæ fœliciter non eunt: opem enim præſidiumq́ cœleſte non flagitas. P. Tuam pietatem imitatus in poſterum haud deſipiam. Quam adhuc malè, tam poſthac bene de me ipſe merebor. Velim tamen pro coniunctione beneuolentiæ noſtræ precatiunculam ipſam qua vteris ne me celes: hoc precariò abs te peto. G. Illa Eccleſiæ communiſsima & commodiſsima eſt. *Actiones noſtras quæſumus Domine aſpirando præueni, & adiuuando proſequere, vt cuncta noſtra oratio & operatio à*

te ſem-

te ſemper incipiat, & per te cœpta finiatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen. P. Hæc valde arridet, hac vtar. G. Bene eueniat. P. Et tibi bene ſit, qui me hodie ex ærumna non modica extraxiſti.

ANNOTATIONES.

Cicero in Vatin. Omnium rerum magnarum à diis immortalibus principia ducuntur. Quæ ſententia eſt Demoſthenis epiſt. 1. Rurſum 2. de leg. A diis immortalibus ſunt nobis agendi capienda primordia. Pythag. quoq; ἀλλ᾽ ἔρχευ ἐπ᾽ ἔργον θεοῖσιν ἐπευξάμενος τελέσαι. *Finem dein, ante precatus* Numina, *opus facito. Vbi* Hierocles. *Videtur enim quod conamur, manui quidem non abſimile, quæ ad bona accipienda exporrecta ſit: quod autem à Deo confertur, ſuppeditationi atq; fonti, vnde fluit bonorum largitio. Et poſt pauca. Quî poſsit præterea quiſpiam quod bonum eſt accipere* Deo *ipſo non largiente? quî rurſum cupiendi libertatem habenti, nec poſcenti,* Deus *ipſe natura liberalis donare ſtatuat?* Ne *igitur aut verbis tantum preces faceremus, ſed opere etiam illas firmaremus, aut noſtris ſolum actionibus confideremus: ſed vt agendo etiam diuinum auxilium rogaremus, & tanquam formam materiæ, preces operi adiungeremus, idq; totum, vt quæ ipſi ageremus precaremur, & quæ precaremur ageremus, adiungens monuit, vt non niſi deos precati ad opus accederemus. Si priſci mortales in atra errorum caligine palpitantes, ſine diuina ope nihil ſe quidquam effecturos in agendo credi-*

crediderunt, nos in tam claro ac puro veritatis lumine locati credemus? Eſt in epiſt. Baſilij ad Gregorium Nazianz. locus perilluſtris, propoſitoq; noſtro conuenientiſſimus, quem ad verbum libet adſcribere. τί οὖν μακαριώτερον τοῦ τὴν ἀγγέλων χορείαν ἐν γῇ μιμεῖσθαι; εὐθὺ μὲν ἀρχομένης ἡμέρας εἰς εὐχὰς ὁρμῶντα, καὶ ὕμνοις καὶ ᾠδαῖς γεραίρειν τὸν κτίσαντα; εἶτα ἡλίου καθαρῶς διαλάμψαντος ἐπ᾽ ἔργα τρεπόμενον, πανταχοῦ αὐτῷ τῆς εὐχῆς συμπαρούσης, καὶ τοῖς ὕμνοις ὥσπερ ἅλατι παραρτύειν τὰς ἐργασίας. τὸ γὰρ ἱλαρὸν καὶ ἄλυπον τῆς ψυχῆς κατάστημα αἱ τῶν ὕμνων παρηγορίαι χαρίζονται. *Quid igitur beatius, quam in terris cœleſtium concẽtum imitari? ſurgente die ſtatim ad preces feſtinare, hymniſq; & canticis Conditori venerationem tribuere? Deinde vbi ſol terras larga luce compleuerit, ad opera ſeſe conferre, vbiq; adiunctis precationibus, ſacriſq; carminibus veluti ſale quodam actiones aſpergere. Etenim hilarem & placatum animi ſtatum hymnorum nobis ſolatia largiuntur.* IPSAMMET NON CONSVESSE) *Atat, hoc illud eſt, inquit Terent. Non faciunt recta filij, quoniam à parentibus fieri nulla vident. Faciunt autem & dicunt improba, quoniam à parentibus fieri vident, & dici audiunt. Vt alia mittam, vnde in ipſorum ore execrationes & iuramenta? Vnde tantum in tam puſillis adhuc pueris, qui necdum verba ſatis integra pronunciant, in viros Religioſos & Eccleſiaſticos odium? vnde illæ voces, quibus eos prætereuntes inſectantur,*

Wolff Wolff / Pfaff Pfaff? *Ab ancillis & ſeruis forſitan hanc diſciplinam quoq; accipiunt: ſed apud bonos heros vix audent quidquam ſcelerata ſeruitia. Mali igitur corui, mala oua.* PRECARIO ABS TE PETO) *Precariò petit, qui precando, ſeu precibus petit. Pleonaſmus eſt. Donat. And. Petimus precariò, poſcimus pro imperio, poſtulamus iurè.* BENE EVENIAT) *Ab iis dicebatur olim, qui rectè ominabantur. Victorius lib. 9. cap. 3.*

PROGYMNASMA
QVADRAGESIMVMQVARTVM.

Temperantia in victu.

MAGISTER, SIDONIVS, AMIANVS diſcipuli.

MAGISTER. Quo tanto altius in memoria veſtrûm omnium inſideat, quæ de adhibenda cibi potuſq; moderatione diſſerui, ſurgite Sidoni & Amiane, atque in medium prodeuntes, ea per quæſtiones & reſponſiones iterate. Sidonius interroget, Amianus reſpondeat. Si memoria alterum defecerit, ego ſubueniam. S. Quamobrem edere ac bibere cum modo debemus, & ad menſam venire animo quieto, vt deſideria naturæ ſatiemus? A. Quia, vt Cicero ſcriptum reliquit, nimio cibo ac potione diſtenti,

ſtenti, mente vti rectè non poſſumus. Et bene Horatius ſat. 2. lib. 2.

corpus onuſtum
Heſternis vitiis, animum quoq; pergrauat vnà,
Atq; affligit humo diuinæ particulam auræ.

Bœotios quoque idcirco tam bardos ac ſtupidos extitiſſe creditum eſt, quoniam ſe vino & dapibus nimium complerent. Hinc Platoni Italicæ & Syracuſanæ menſæ in Sicilia probatæ non ſunt. Poſſumus & teſtem moderati victus laudare Dei filium, qui iuſsit vt caueremus, ne corda noſtra grauarentur crapula & ebrietate. S. Súntne coniuncta hæc duo, edacitas & ſtoliditas? A. Ferè; nam vt ſapientes plerumq; videmus minimi cibi, minimiq; potus; ſic contra fatuos plurimi. Nec eſt vt mirandum ſit eos beſtiarum, (quas natura ad paſtum abiecit) morem ſequi, quibus cum beſtiis tanta eſt ſimilitudo. S. Quid Ægyptiorum ſacerdotes, rerũ cauſſas & ſidera accuratius contemplaturi? A. ſæpius toto biduo ac triduo nihil guſtabant. S. Lacedæmoniis pueris quid fiebat? A. Decimo quoq; die Ephoris ſe ſiſtere cogebantur. Hi, quem molliorem pinguioremq; cernebant, eum plagis onerabant. Quin etiam apud ipſos ciues dedecori magno erat obeſum habere corpus. S. Quæ fuit D. Auguſtini ſententia? A. Sobrietatem ingenuarum artium procreatricem & magiſtram, ebrietatem ingeniorum peſtem eſſe. S. Hucuſque quid ingenio ac literis officeret intemperantia: nunc quid valetudini commodet expone. A. Nimium quantum incommodat: non enim reficiuntur vires, ſed opprimuntur.

Diogenes aiebat earum domorum, in quibus eſt alimentorum copia, multos eſſe mures ac feles. Similiter corpora, quæ multo cibo paſcerentur, etiam multos aſciſcere morbos. S. Quorum maximè inſignia exempla in hoc vitio ventris & gutturis allata ſunt? A. Duorum Imperatorum, Vitellij & Maximini. S. Qualis prior? A. Cum voluptati huic edendi & bibendi maiorem diei noctisq́; partem tribueret, vt epulis nouis locum faceret, vomitu onus reiiciebat. S. Qualis poſterior? A. Quadraginta libras carnis vno die abſumebat: vini amphoram exhauriebat: adeo vbertim ſudante corpore, vt in calicem ſudor colligeretur. Et mandatum eſt literis, vno die collectum ſudorem tres ſextarios impleuiſſe. S. Quorum contra laudata eſt temperantia? A. Cyri maioris. S. Quid is? A. Cum ex eo hoſpes quæreret, quid ad conuiuium parari iuberet; panem, inquit, ſolum: ſpero enim me apud flumen cœnaturum. S. Cuius inſuper? A. Socratis, qui cum ab amico admoneretur, quod hoſpites accepturus tenuiculum apparatum curaſſet, reſpondit. Si boni ſunt, ſatis erit: ſi mali, plus ſatis. S. Ecquid tertium ſuppeditat? A. Etiam. S. Cuius illud? A. Alexandri Magni. Huic cum Regina Cariæ cibos & bellaria curioſiſsimo artificio apparata ſubinde oſtentationis cauſſa mitteret; Meliores ſibi eſſe dixit cocos nocturnum iter quo prandium, & parcitatem prandij, quo cœnam ſibi ſuauem redderet. M. Pars eſt intemperantiæ, res ad epulandum exquiſitas appetere. Socrates quidem hanc voluptatem nullo loco numerabat, cuius eſt: cibi condimen-

dimentum eſſe famem, potionis ſitim. S. In alteram partem qui peccant? A. Qui inedia immoderata & actiones mentis impediunt, & corporis bonam habitudinem planè corrumpunt. M. Huiuſmodi hæc ſæcula paucos proferunt: plena nimirum comedonibus & combibonibus. Bene & ordinatè alter veſtrum quæſiuit, bene alter reſpondit; vtriq; ſuum erit præmium.

ANNOTATIONES.

VTI RECTE NON POSSVMVS) *Corpore immoderato paſtu potuq́; onuſto, certum eſt illam partem animi quæ mentis & conſilij eſt particeps, fumis illis & halitibus craßis, qui è ſtomacho exſpirantur, & ſurſum in caput feruntur, vbi velut in officina vim ſuam maximè ratio exercet, ſopiri ac plurimum hebetari: illam autem partem, quæ voluptate alitur, & in qua cum belluis nobis communes exſiſtunt appetitus exultare, immodeſtéque iactari. Confirmat quod diximus illud Græcorum,* παχεῖα γαστὴρ λεπτὸν οὐ τίκτει νόον. *Subtile pectus venter obeſus non parit.* BOEOTIOS QVOQVE IDCIRCO) *Ob edacitatem, cuius fructus ſunt ſtupor, hebetudo, inſulſitas, &c. Bœoti ab Atticis bardi, bruti, ſtolidi, agreſtes, barbari, inſulſi, ſues denique nominati ſunt. Et quidquid inſulſum, agreſte ac ſtultum eſſet, antiqui Bœoticum vocabant. Poſſunt tamen hæc omnia etiam cœlo craſſo quo vtebantur accepta referenda exiſtimari: nam vt ſubtile*

ac purum cœlum ad acumen prodeſt; ſic contrà graue & exſpirationibus plenum ad tarditatem ingeniorum valet. Teſtem producamus Cic. lib. de fato. *Athenis tenue cœlum: ex quo acutiores etiam putantur Attici: craſſum Thebis; itaq; pingues Thebani & valentes. Thebæ autem in Bœotia fuerunt. Producamus alterum Horat. epiſt. 1. lib. 2.*

quod ſi
Iudicium ſubtile videndis artibus illud
Ad libros, & ad hæc Muſarum dona vocares:
Bœotum in craſſo iurares aere natum.

Nos porro de Bœoticis ſuibus in hiſce vigiliis noſtris vnam, Cheronæ natam perſæpe in medium adducimus. Sed eiuſmodi ſuem profectò, qualem ſe Attica optaret peperiſſe, qualem ſeipſa Minerua gauderet fieri. Quid enim Plutarcho excogitari poteſt eruditius? quid fuit vnquam poſt homines natos ſapientius? TESTEM LAVDARE) *Laudare teſtem, pro, nominare ideo dicitur, quod quem quis teſtem nominabat, vnà & laudem ipſius commemorabat, ne indignus videretur, cuius teſtimonium audiretur. Plaut. Capt. Iouem ſupremum teſtem laudo.*

PRO-

PROGYMNASMA QVADRAGESIMVMQVINTVM.

Quotidiana in ſemetipſum inquiſitio.

AVREOLVS, LICINIVS.

AVREOLVS. Pythagoreorum more, ait apud Tullium Cato, exercendæ memoriæ gratia quid quoque die dixerim, audiuerim, egerim commemoro veſperi. Cur non etiam nos Catonem memoriæ, & ſanctitate morum ornatiſsimos viros virtutis cauſſa æmulati, antequam cubiculum de nocte ſomni ineundi cauſſa ingredimur, quid vſq; in veſperam legerimus, audierimus, viderimus; dicta, inquam, facta, cogitata noſtra quam diligentiſsimè recognoſcimus, conſcientiamq; noſtram excutimus? vt ſi quas lapſiones atque culpas reperiamus, Deum precemur, quò is nobis propitius ignoſcat: ſi quid ex virtute geſtum, eidem gratias agamus, ab eoque auxilium petamus, vt in eo perſeuerare, & vltra ſemper progredi atque rem bono atq; amplo auctare perpetuo lucro poſsimus? Rogemus item, vt quæ bona legimus, & audiuimus animo retinere, & iis aliquando vti; quæ verò mala, ea obliuiſci & euitare liceat. L. Iſto modo prorſus nobis faciendum duco. Decet id bonum virum, qui in appendice Virgiliana deſcribitur. In qua

deſcriptione conſiderationis huius capita lucu-lenter expreſſa ſunt. A. Verſiculos illos ad vnum edidici iam pridem. Niſi quid tibi videtur ſecus, recitabo. L. Mihi verò nihil. A. Omittam, quæ præcedunt de eius conſtantia & perfectione: quæ huic loco conſentanea ſunt afferam.

Non prius in dulcem declinat lumina ſomnum,
Omnia quam longi reputauerit acta diei.
Quæ prætergreſſus? quid geſtũ in tempore? quid non?
Cur iſti facto decus abfuit, aut ratio illi?
Quid mihi præteritum? cur hæc ſententia ſedit,
Quam melius mutare fuit? miſeratus egentem
Cur aliquem fracta perſenſi mente dolorem?
Quid volui, quod nolle bonum foret? vtile honeſto
Cur malus antetuli? num dicto aut deniq; vultu
Perſtrictus quiſquam? cur me natura magis, quam
Diſciplina trahit? ſic dicta & facta per omnia
Ingrediens, ortoq; à veſpere cuncta reuoluens
Offenſas prauis, dat palmam & præmia rectis.

L. Videntur hæc copioſius explicare ſententiam græci carminis, quod Pythagoræ tribuitur: quo ille ſolitus ſit monere adoleſcẽtes, vt quoties domum ingrederentur, hæc ſecum tria meditarentur.

πῆ παρέβην? τί δ᾽ ἔρεξα? τί μοι δέον οὐκ ἐτε-
λέσθη?

Lapſus vbi? quid feci? aut officij quid omiſſum eſt?

Ad tria genera lapſus humanos reuocauit. Aut enim aliter agimus quam oportet, id eſt plus minúſue; cui peccato reſpondet quod in verſu primum

mum eſt. Aut facimus, quod prętermiſſum oportuit, quod ſecunda voce indicatur. Aut omittimus deniq; , quod facere debebamus: eò vltima pars carminis reſpicit. A. Recordor laudari à Seneca Sextium quendam, virum optimum lib. 3. de Ira, qui huius rei de qua loquimur abſolutum nobis exemplar eſſe poteſt. Et quoniam liber ad manum eſt, legamus locum. L. Legamus. A. *Faciebat hoc Sextius, vt conſummato die cum ſe ad nocturnam quietem recepiſſet, interrogaret animũ ſuum. Quod hodie malum tuum ſanaſti? cui vitio obſtitiſti? qua parte melior es? Deſinet ira, & erit moderatior, quæ ſciet ſibi quotidie ad iudicem eſſe veniendum. Quid ergo pulchrius hac conſuetudine excutiendi totum diem? Qualis ille ſomnus poſt recognitionem ſui ſequitur, quã tranquillus, altus ac liber, cum aut laudatus eſt animus, aut admonitus, & ſpeculator ſui cenſorq́; ſecretus cognoſcit de moribus ſuis? Vtor hac poteſtate, & quotidie apud me cauſſam dico. Cum ſublatum è conſpectu lumen eſt, & conticuit vxor, moris iam mei conſcia, totũ diem mecum ſcrutor, facta & dicta mea remetior. Nihil mihi ipſi abſcondo, nihil tranſeo. Quare enim quidquam ex erroribus meis timeam, cum poßim dicere: Vide ne iſtuc amplius facias, nunc tibi ignoſco?* L. Pudorem interdum incutiunt Chriſtianis, ipſisq́; torporem & ignauiam exprobrant, quæ de Ethnicis tam mirabilia, & ſupra opinionem literis ſunt prodita. O curuæ in terris animæ, & cœleſtium inanes.

ANNOTATIONES.

πῆ παρέβην) *Dignum eſt admiratione, inquit Hierocles, quod cum expendenda ſingula præcipiat, quid rectè, quid eorum quæ decuit geſtum ſit, perpendendum non monuit: ſed ad id quod tumoris minus haberet, memoriam traduxit: vt eorum quæ peccata ſunt, iudicium faceret. Iudicem præterea adhibuit æquiſsimum ſimul atque commodiſsimum: conſcientiam nimirum rectamque rationem, atque etiam ſeipſum, cuius omnium maximè pudere ſuperius quemque voluit. Infra. Efficit verò ſtudium iſtud, ſi ſingulis diebus excolatur, diuinam in iis imaginem, qui illud amplectuntur: dum eos vel additionibus, vel ſubtractionibus, ad virtutis decus perducit, & quantum fas eſt, probum hominem perficit, &c.*

PVDOREM INTERDVM INCVTIVNT) *Hoc nulli melius verè dictum intelligent, quàm qui antiquitatis memoriam euoluunt, in qua innumera quotidie exempla reperiunt, quæ nos à curriculo maiorum longiſsimè diſceſsiſſe clamitant. Non quomodo piè ſancteque, ſed diu poſsimus viuere cogitamus, cum omnibus poſsit contingere vt benè viuant, vt diu, nulli.*

PRO-

PROGYMNASMA QVADRAGESIMVM-SEXTVM.

Vitiorum peccatorumq; amuleta generalia.

PRESBYTER, SPVDAEVS, MATHESIVS, adoleſcentuli.

PRESBYTER. Ecquid gymnaſium quotidiana itione & reditione teritis? S. An tu ſecus de nobis exiſtimas? P. Amicum eſt pueris ludum ſubterfugere. M. Amicum pueris ignauis, & illiberalibus. P. Vos ergo de illa colluuie non eſtis, & obitis ſcholam aſsiduè, atq; cum voluptate diſcitis. S. Dici aliter non poteſt. Occupet extremos ſcabies. P. Sed Magiſtri præceptis aduerſamini. M. Si aduerſantur, qui ſunt obedientiſsimi. P. Amatis literarum ſtudia; quod perſpicio. S. Quid tandem poſsimus amare melius? Quin illa nobis interiores medullas edunt. P. Et eruditorum glorioſum nomen appetitis. M. Fatemur nos appetere. Si id peccare eſt, fatemur id quoq;. P. Nunquid non multò præſtat

eſſe

eſſe innocentia admirandum, quam doctrina excellentem? S. Præſtat quidem. Attamen ambo, in eodem ineſſe nihil obſtat. P. A vero ſenſu iudicatis; neq; literæ virtuti, neq; virtus literis contraria graditur via, coniurant amicè, ſuntq; in Eccleſia Catholica iidem doctiſsimi, iidem ſanctiſſimi, & cœleſtium agminibus inſerti complures. Habemus Iuſtinos, Hieronymos, Auguſtinos, Baſilios, Chryſoſtomos, Nazianzenos, Nyſſenos, Aquinates. Atq; etiam hodie vbique locorum per gentes Chriſtianas inueniuntur, qui virtutis laudem cum eruditionis præſtantia coniungant. Putatíſne verò minore opera quempiam literatum, an probum ac ſanctum euadere? M. Literatum. Quamuis ille dicat. Non datur ad Muſas currere lata via. P. Quapropter? S. Nos cauſſam huius rei haud ſatis poſſumus euoluere. Nihilominus ita eſt planè, vt dixit Matheſius. P. Ego rem omnem vobis aperiam. M. Quod te etiam atque etiam oramus. P. Ad vitioſitatem proni propenſiq; ſumus à prima pueritia vſque ad decrepitam ſenectutem, & cum noſtris cupiditatibus prauiſſimis continenter bellum gerimus: nec quod volumus bonum, hoc agimus: ſed quod nolumus malum id facimus. S. Agnoſcimus Paulum. P. Eſtíſne vos ad hæc diurna nocturnáq; prælia ſatis ſuperq; ab armis inſtructi? Num induiſtis tunicas adamantinas? num geſtatis arcum? num accincti gladiis fulgentibus? num caput operti galea? M. Nihil horum apud nos, opinor. P. Opinor narras? Tum vos ſæpius vincimini, ſæpius vincemini. S. Obarma tu nos, Pater, præbe ſcu-

tum,

tum,ſuffice tela,& quo pacto hoſtem ferire,eiuſq́ neruos eneruare, & impetum retundere debeamus,doce. P. Ars omnium artium pulcherrima, maximeq́ ſalutifera, ſuperare diabolum, cuius venenatiſsimis ſagittis pæne quouis momento appetimur. Non enim quieſcit, ſed tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deglutiat. M. Quomodo huius leonis immaniſsimi fauces atrocitatemq́ vitabimus? P. Non vſquequaque inuicti ſunt leones. Fortiſsimi illi beſtiarũ, quiq́ ad nullius pauebant occurſum, gallum canentem pauitantes fugiunt. Stygium leonem fugauerit vnus agnus. S.Quiſnam iſte agnus? P. Quis? ille qui ſuſtulit peccata mundi. M. Ieſum Chriſtum dicis. P. Eum ipſum Matheſi: quem, quoties inimicorum ſentitis machinationes & inſidias,quoties, inquam, ad peccandum velut eſca obiecta piſces allicimini,toties precibus ſollicitate, ne in tentationem intrare vos ſinat. Diuinis auxiliis indigemus ad reportandam de huiuſmodi hoſtibus victoriam. Dominus mihi adiutor, inquit quodam hymno Dauid, & ego deſpiciam inimicos meos. Et alio. Auxilium meum à Domino,& ipſe euellet de laqueo pedes meos. S. Intelligimus optimè,que ſit vis huius aduerſus omnia venena morteſq; antidoti. P. De vitiis & virtutibus libellos verſare non eſt inutile ad cauenda declinandaq́; flagitia. Inde quid malum, quid contrà bonum,& quanta in vtroque varietas,quę ſpecies,quæ genera cognoſcetis. Innaſcitur ex eiuſcemodi lectione in mentibus vt amor & cupido integritatis ac ſanctimoniæ,ſic odium & dete-

ſtatio

ſtatio ſcelerum. Iam quod odit quiſpiam, ei ſe nõ facile conſtringendum & inquinandum dabit; & quod amat, cuiusq́ præſtantiam vidit, hoc vt adipiſcatur magis laborabit. Qui ſeſe ſtudent anteire cæteros in poëſi, Maronem: qui Ciceronis in ſermone puritatem, ornatum, atque copiam imitari contendunt, eius ſcripta voluunt ac reuoluũt. Cur minus, qui probati Chriſtiani volunt effici, Chriſtianè, hoc eſt piè ſcripta volumina frequentes legant? M. Inſtitutiones Franciſci Coſteri legam, ſi ſuades. P. Ego verò ſuadeo. Catholicum, & pietatis ſtudioſum adoleſcentem bene inſtituit. Quem tu Spudæe? S. Dionyſium Carthuſianum de 4. nouiſsimis cœpi legere. P. Nihil ſalutarius, & aduerſus peccata cõducibilius. M. Duas rationes accepimus, quas memori mente nos retenturos promittimus. Cupimus proferri plures, ſi ſuperſunt. P. Cum ad nos expugnandos admouere arietes ſentimus, ad laborem aliquem frugiferum honeſtumq́ toto nos animo conuertamus. Otioſi quippe & magis tentantur, & facilius debellantur; quorum mens cum nihil habeat propoſitum, in quod ſeriò ſeſe intendat, & in quo verſetur, hæret in eo quod obiicitur; præſertim cum illud naturæ ac ſenſibus blanditur. Teſtatur id etiam Ouid. & inter remedia, quibus amationes nefandas excludi ex animo poſſe arbitratur, otij vitationem conſtituit. S. Memini.

Otia ſi tollas, periere Cupidinis arcus,
Extinctæq́ iacent, & ſine luce faces.

P. Iuuabit præterea congredi, & conſilium petere

tere à religioſis perfecteq́; moratis hominibus, quorum oratio ad virtutem nos accenſura,& cōtra vitia cautiores animoſioresq́; redditura eſt. Nam ſi malus euadit, qui cum malis eſt frequentior, cur non bonus fiat, qui ad bonos ſeſe aggregat? Cogitemus etiam quanta ſit in peccato fœditas, quam ſit deteſtabilis & exitioſa res Deum lædere; quanta è diuerſo hominis nobilitas, quanta dignitas. Imago Dei, templum Dei, Chriſti ſanguine expiatus, regni cœleſtis hæres inſtitutus, Angelorum ſocius, mundi dominus ſeſe flagitioſa aliqua actione commaculet? Hoc etiam Cicero nouit; quam indignum videlicet homine ſit, voluptatibus atque appetitui ſeſe permittere, imperiumq́; rationis aſpernari atq; abiicere. Si conſiderare velimus, inquit, quæ ſit in natura hominis excellentia & dignitas, intelligemus quam ſit turpe diffluere luxuria, & delicatè ac molliter viuere; quam honeſtum parcè, continenter, ſeuerè, ac ſobriè. Et alibi. Nec figura corporis, nec excellens vis ingenij humani ſignificat, ad hanc vnam rem natum hominem, vt frueretur voluptatibus. S. Quam amans fuit iſte vir honeſtatis & virtutis? P. Amantiſsimus. Perpendamus deniq; fructus vtriuſque. Peccati ſtipendia mors, luctus, & perpetuus angor, ſeu carnificina cōſcientiæ. Virtutis autem tranquilliſsima & ſecuriſsima mens, lætitia conſtans, vita cœlitûm. Cogitate præterea cum animis veſtris, ſi quid vos per laborem rectè feceritis, labor ille citò recedet, bene factum à vobis dum viuetis non abſcedet: ſed ſi quæ per voluptatem nequiter, voluptas citò abibit, nequiter

quiter factum illud apud vos reſidebit. Non etiam parum valet, reputare ſecum, quam ſit breuis & incerta hæc vita: poſſeq; fieri, vt vel in ipſo ſcelere obeundo ac perpetrando, vel certè ante reconciliatum nobis Deum morte fungamur, quæ ante fores aſtare ſemper videtur. Æquo certè pede pauperum tabernas Regumq; turres pulſat. Quæ tum noſtra eſt futura conditio? ô nos tum miſeria ſempiterna miſeros. Ignes, & tormenta inexplicabilia in mercedis loco tribuentur nobis. M. Sed ſi quis in hac pugna victus, & ad terram afflictus fuerit? quid ei faciendum? P. Cauendum ne abiecto clypeo ſeſe in poteſtatem hoſti tradat, ſed vt miles magnanimus reſurgat, prælium redintegret, & ad delendam ignominiæ huius maculam fortius pugnet. Sanctorum exempla ſibi ante oculos ponat, qui, quanquã aliquando ſcelera ſceleribus cumulantes Deum in perniciem ſuam vehementiſsimè irritaſſent, non tamen ſalutem deſperarũt, ſed collectis viribus hoſtem obtriuerunt, atque ad officium & in viam redierunt. S. Factum eſt à nobis operæ pretium, cum te audiuimus hodie. M. Magnam tibi pro inſtitutione tua habemus gratiam, & cum humanitatem tuam diligimus, tum rerum iſtarum ſciẽtiam in te admiramur. Diſſeruiſti enim ea, quæ ſole hoc ipſo illuſtriora & clariora ſunt, quæq; omnes numeros virtutis continent. P. Num quidpiam aliud me vultis? S. Vt bene ſit tibi.

ANNO-

ANNOTATIONES.

AMICVM EST PVERIS) *Placet pueris, delectat pueros. Horat. Ode 17. lib. 2.*

Nec diis amicum eſt, nec mihi, te prius
Obire Mecœnas, mearum
Grande decus columenq́ rerum.

Sumptum à Græcis: illi enim, ὀ θεοῖς φίλον. OCCVPET EXTREMVM SCABIES) *Horat. ad Piſones.*

Nunc ſatis eſt dixiſſe: ego mira poëmata pango,
Occupet extremum ſcabies, mihi turpe relinqui eſt.

Luſus fuit puerorum, in quo currentes ſcabiem ei precabantur, qui vltimus ad calcem perueniret. Sic Germani pueri curſu certantes, der letzt beym Har. TVNICAS ADAMANTINAS) *Nihil adamante ſolidius, vnde nomen quoque; quod ſcilicet domari frangiq́ non poſſit. Horatius Ode 6. lib. 1. Quis Martem tunica tectum adamantina Dignè ſcripſerit? Homericum* χαλκοχίτων *expreſſit.* GALLVM CANENTEM PAVITANTES) *Quæ res terreant leonem, indicat Plinius lib. 8. cap. 16. Atq́ hoc tale, tam ſæuum animal rotarũ orbes circumacti, curruſq́ inanes, & gallinaceorum criſtæ, cantuſq́ etiam magis terrent, ſed maximè ignes. Lucretius idem aſſerit lib. 4. & rationem quoq́ affert huius rei.*

Quin etiam gallum, noctem explaudentibus alis
Auroram clara conſuetum voce vocare

Nenuqueunt rapidi contra conſtare leones,
Inq́ tueri: ita continuò meminere fugai, &c.

Lege lepidiſſimum Æſopi apologum de gallo & aſino ſimul iter facientibus, & leoni occurrentibus; quo admonentur qui ſibi adſcribunt, quod aliorum eſt; quæ ſuperbia interdum peſſimum ſortitur euẽtum, vt ibidem miſer aſellus malè multatus à leone interiit. OTIA SI TOLLAS) *Diogenes amorem otioſorum negotium dicebat. Theophraſtus quoq́ interrogatus quid eſſet amor, reſpondit:* πάθος ψυχῆς σχολαζούσης, *animi vacantis ſeu otioſi morbus.* SI QVID VOS PER LABOREM) *Sententia eſt Muſonij philoſophi, quam ab eo mutuatus eſt in oratione quam dixit Numantiæ Cato. Auctor Gellius lib. 16. cap. 1.*

PROGYMNASMA
QVADRAGESIMVMSEPTIMVM.
Solitudo.

EREMIVS, MONASTES.

EREMIVS. Salueto mi patruelis. M. Et tu ſalue multùm. E. Quid agis? M. Solus ſum, nec tamen ſolus. E. Atqui ego neminem apud te conſpicio, pręter iſtum catulum Melitæum, & circumuolitantes muſcas aliquot, quas tu Imperatorem Domitianum Veſpaſiani filium æmulatus, in dies certis horis, quas ille ſibi idcirco ſu-

eo ſumens in abditum conclaue ſecedebat, acuto ſtylo deberes configere. Tum verè ſolus eſſes, ſi tecum ne vna muſca quidem. M. Plura rerum ſcriptores de illis Imperatoribus, vecordiæ, ſtoliditatis, & amentiæ pleniſsima. Honeſtum ſanè orbis terrarum domino, ſempiternæq́ memoriæ commendandum facinus. Neſciebat infœlix monſtrum vti otio & ſolitudine, quæ oſoribus literarum, inertibus ac ſtultis ſomni, cogitationumq́ & inutilium, & improbarum eſt occaſio; doctis autem, induſtriis atque prudentibus ad præclaras, & ſalutares cogitationes, ad liberales occupationes incitamentum & adiumẽtum validiſsimum. Auocat enim ſeſe tum à ſenſibus animus facillimè, atque intra ſemetipſum totus, ſibiq́ præſens, quam in rem vult, poteſt expeditè, ſine vlla remora ſe intendere. Itaque ſoleo ſæpe tacitus mecum volutare, quod in epiſtola quadam poſitum eſt à Plinio. E. Præcipio locum. Et eſt ſanè laudandus ob eam rem Plinius. M. *Poſtquam*, inquit, *in Laurentino meo aut lego aliquid, aut ſcribo, nihil audio quod audiſſe, nihil dico quod dixiſſe pœniteat: nemo apud me quenquam ſiniſtris ſermonibus carpit, neminem ipſe reprehendo, niſi tantum me, cum parum commodè ſcribo. Nulla ſpe, nullo timore ſollicitor, nullis rumoribus inquietor: mecum tantum & cum libellis loquor. O egregiam & ſinceram vitam, ô dulce honeſtumq́ otium, ac pæne omni negotio pulchrius. O mare, ô littus, ô verum ſecretumq́ μȣσεῖον. Quam multa inuenitis? quam*

quam multa dictatis? E. Aptiſsimus vtique ſeceſſus, aptiſsima ad contemplationem virtutis & ſapientiæ ſolitudo, in qua vt doctrina auctiores, ſic vita meliores euadere quimus. Proinde hãc adamaſſe tantopere audimus, qui apud priſcos mortales celebrem eruditionis, & apud Chriſtianos eximiam ſanctitatis famam ad poſteros tranſmiſerunt. Nota eſt ἀναχώρησις Antonij, Arſenij aliorumq́ue præterea centum millium. Senſit optimè optimus Seneca, quantum virtuti obſtarent congreſſus & conſuetudines. Illius enim ſunt hæc, epiſt. 7. Quid tibi vitandum præcipuè exiſtimem quæris? turbam. Nunquam mores quos extuli refero. Aliquid ex eo quod compoſui turbarum, aliquid ex his quæ fugaui redit. Nemo non aliquod nobis vitium aut commẽdat, aut imprimit, aut neſcientibus allinit. M. Si eſſemus omnes ſapientes ac probi, nihil, credo, vel literis noſtris, vel moribus officeret verſari ſæpe cum aliis. Quod contra eſt: in vtroque multa multis, aliquid deeſt vniuerſis. Nonnullos ſolitudo etiam ad fœdiſsimas, & cum flagitio implicatas actiones hortatur & inuitat. Nos non modò non audeamus agere occultè, ac ſine teſte quod palàm non auderemus, verùm ne cogitare quidem quidquam mali. Eſt enim Deus, qui quæcunque vbicunque nos agimus & cogitamus auditq́ue & videt; nihil hunc teſtem fallit, nihil latet, is cuique merita præmia, cum dies ab omni æternitate præſtitutus aduenerit, eſt perſoluturus. Circumferimus præterea vltorem ac teſtem animum noſtrum, qui conſcius ſe remordet, vt inquit Lucretius,

cretius, quem nunquam effugiemus. Is ſemper nos vellicabit, & flagellabit, peccatorúmq; admonebit. Illæ ſunt quas poëtæ finxerunt Eumenides. Addam M. Tullij diuinam ſententiam, qua nihil quidquam religioſius ac ſanctius dictum legi. Nobis perſuaſum eſſe debet, ſi omnes deos homineſq; celare poſsimus, nihil tamen auarè, nihil iniuſtè, nihil libidinosè, nihil incontinenter eſſe faciendum. E. Hic veluti torulus eſt aureus in corona florea. Hoc profectò eſt virtutis amore, non pœnarũ formidine à factis improbis ſemetipſum coërcere, ſibíq; fræna iniicere.

ANNOTATIONES.

SOLVS SVM, NEC TAMEN SOLVS) *P. Scipionis Africani eſt, quod recitat, & commendat eximiè principio 3. Off. M. Tullius.* PLVRIMA RERVM SCRIPTORES) *Exempli & breuitatis cauſſa duo tantum memorabimus. Cætera Suetonius, Dio, & alij qui Cæſarum vitas mandarunt literis. Caligula, quo ſol ſtolidiorem pecudem non vidit, aliquando de nocte principes ſenatus accerſiri iuſsit, tanquam de rebus neceſſariis conſilium ab iis capturus: vbi cõuenerunt, ſaltauit inter eos. Vnum ex equis ſuis, nomine Velociſsimum, ad cœnã inuitabat, ita vt ei hordeum ex auro apponeret, funderetq; vinum in poculis aureis, ac per ſalutem eius, et fortunam iuraret, ſeq; eum conſulem facturum polliceretur; id quod feciſſet omnino, ſi vixiſſet diutius.* CIR-

CVM FERIMVS PRÆTEREA) *Geſtamus in pectore teſtem noſtrum, vt ait Iuuenalis. Quis ita alium alius atq; ſe quiſq; commonefacere queat? Non poteſt non audire ſe neceſſariò quæ intus eſt ratiocinandi vis. Iſtam Deus eſſe voluit quæ noſtri curam gereret. Iſtam ducem atq; magiſtram. Cum enim in memoria tanquam in tabella, quæ fecit deſcripta legit: tum legem in exemplari intuens, ſeipſam vel honore, vel infamia dignam pronuntiat.* QVAS POETÆ FINXERVNT EVMENIDES) *Quod poëtæ finxerunt ſceleratos vexari, & puniri à furiis, id de tormentis & cruciatibus conſcientiæ M. Tullius explicat in Roſciana, his verbis. Nolite enim putare, quemadmodum in fabulis ſæpenumero videtis, eos qui aliquid impiè, ſcelerateq; commiſerint, agitari & perterreri furiarum tædis ardentibus. Suum quemq; fraus, & ſuus terror maximè vexat: ſuum quemq; ſcelus agitat, amentiaq; afficit: ſuæ malæ cogitationes, conſcientiæq; animi terrent. Similia ſunt in Piſoniana.* SI OMNES DEOS HOMINESQVE) *Virum ſapientem non peccaturum dicebat Peregrinus philoſophus, etiamſi peccaſſe eum dij atque homines ignoraturi forent. Non enim pœnæ aut infamiæ metu non eſſe peccandum cenſebat, ſed iuſti honeſtiq; ſtudio & officio. Si qui tamen non eſſent tali vel ingenio vel diſciplina præditi, vt ſe vi ſua ac ſponte facilè à peccando tenerent, eos omnes tunc peccare procliuius exiſtimabat, cum latere poſſe id peccatum putarent, impunitatemq; ex ea latebra ſperarent, &c. Gellius lib.*

12. cap. 11. TORVLVS EST AVREVS) *Torus cum carnem pulpoſam muſculoſamq́ſignificet, vnde toroſus, etiam in arboribus & plantis locum habet: eſt enim materies quædam intorta, & veluti callum in ſeſe conuoluta. Et in coronis. Sic enim in illis vocantur partes ſeu nodi quidam eminentiores, tortiles. Cic. Orat.perf. Aut addit aliquos, ſicut in corona toros. Plautus Amphit. torulum aureum dixit pro funiculo aliquo retorto, aut paruo nodo, quo Pſeudamphitruo à vero Amphitruone diſcerneretur.* Ein guldens Hutſchnüreſ / oder guldene Spangen: *quod genus pileis aſſuitur.*

Tum meo patri autem torulus inerit aureus
Sub petaſo: id ſignum Amphitruoni non erit.

PROGYMNASMA
QVADRAGESIMVMOCTAVVM.
Cultus, & amor Dei.

PHILOTHEVS, THEOPHILVS.

PHILOTHEVS. Quodnam, Theophile, pręcipuum ac ſummum oportet eſſe hominis Chriſtiani ſtudium? T. Venerari, & amare præpotentem illum huius immenſi operis conditorem, gubernatorem atq; dominum. P. Quibus de cauſſis? T. Sexcentis. P. Ede aliquot. T. Cum res omnes, nosquę ipſi ab eo ſimus fa-

bricati,non relinquitur vlla dubitatio, quin cum nos ipſos, tum noſtra vniuerſa eidem debeamus. Nihil autem tam gratum acceptumq; fieri æternæ illi maieſtati poteſt, quam ſi nos beneficiorum memores oſtendamus. Quod quidem præſtamus, cum eam caſtè ſanctéque, more maiorum colimus. Deinde, quoniam prior nos dilexit; nec poſſumus quidquam vel iuſtius vel fructuoſius diligere. Deum etenim amando nos ipſos amamus:ille enim diligentes ſe diligit, eoſque talibus bonis remunerabitur, qualia neque aſpectu oculorum comprehendi, neque auribus percipi, neque vlla cogitatione adumbrari queant. Hoc denique maximum & primum illius mandatum eſt: toto corde, tota mente, & ex omnibus viribus Deum diligere. P. Enumera aliquas rationes, in quibus cultus, & amor erga ipſum elucet. T. Seruare mandata eius per filium nobis expoſita. Nam nec hominem dicitur quis amore proſequi, ſi eius voluntatem aſpernatur, & imperia negligit. Nihil de eo abſurdè ſentire, vt ſolent qui Catholicæ veritati nefarium atque impium bellum indixerunt. Hinc Cicero. Nulla eſt erga deos pietas, niſi honeſta de numine deorum ac mente opinio. In omni re eius auxilium implorare. Eidem gratias agere in proſperis ſucceſsibus, nec tantum pro externis,ſed etiam pro animi bonis, vt virtute,ingenio,& doctrina. Nihil inſuper loqui,quod eius honorem maieſtatemq; imminuere videatur. Atque in his exempla ſanctorum hominum, præſertim Martyrũ nos adiuuabũt,qui Dei cauſſa

quæ-

quæcunque cruciamenta, ipſamq́ue mortem, cuius imaginem oculis fugimus, mentionem auribus reſpuimus, quam animis auerſamur, & ſola recordatione perhorreſcimus conſtantiſsimè oppetiuerunt.

ANNOTATIONES.

DEVS, *vt ſapientes tradiderunt, rerum omnium principium ac finis eſt. Quocirca illi potius quàm nobis nati ſumus. Atque illi homines demum viuere & anima frui videntur, qui de Deo diuiniſq́ rebus piè loquuntur, ſcribunt, ſentiunt, actioneſq́ & ſtudia ſua ad eundem referunt. Hic cultus longè optimus eſt. Cultus autem Dei virtutum noſtrarum virtus, ſine quo belluis nos deteriores eſſe neceſſe omnino eſt. Triplici porrò ratione ad Deum colendum excitamur.* Lege Rhodigin. lib. *9. cap. 20. & 19.* SERVARE MANDATA) *Hoc ſignum amoris noſtri erga ſe Chriſtus futurum dixit. Qui habet mandata mea, & ſeruat ea, ille eſt qui diligit me. Iam illi, qui neq; ſeruant, neque ſeruari poſſe docent* (ὢ τῆς βλασφημίας) *diaboli oratores* Theodoreto, *qui deliramentis ſuis oblatrant atq; obſtrepunt veritati, num diligunt? Verbo quidem, non re. Alioqui mentiri* D. Ioannem *oportet, cuius illa vox eſt notiſsima. Qui dicit ſe diligere Deum, & mandata eius non cuſtodit, mendax eſt.* EXEMPLA SANCTORVM) *Qui ſanctorum virorum ſacros ac pios libros lectitare conſueuerunt, ſatis ſuperque norunt, quam flagrans eorum fuerit erga*

Deum charitas, quam non dictis modo, ſed factis etiam teſtati ſunt. Qui non legunt, iis vereor vt vna vel altera ſententia in medium adducta poßim quod volo ſatis declarare, & ante oculos ponere. Veruntamen pro mille Auguſtini ſententiis quin vnicam recitem, tenere me nequeo. Da mihi te Deus meus, redde mihi te. En amo, & ſi parum eſt, amem validius. Non poſſum metiri vt ſciam quantum deſit mihi amoris ad id quod ſatis eſt, vt currat vita mea in amplexus tuos, nec auertatur, donec abſcondas eam in abſcondito vultus tui. Hoc tantum ſcio, quia malè mihi eſt præter te, non ſolum extra me, ſed etiam in me ipſo, & omnis mihi copia quæ Deus meus non eſt, egeſtas eſt. Confeß. lib.13. cap.8. Meditat. cap.18.

PROGYMNASMA QVADRAGESIMVMNONVM.

Seruanda erga fœminas.

MAGISTER, DISCIPVLI.

MAGISTER. Combibiſtis præcepta mea, quibus præcepi vobis, quo pacto ſitis erga maiores demiſsi, ac verecundi, erga æquales manſueti, & affabiles, erga minores humani ac benigni. Nunc ſuperaddam paucula, quæ obſeruanda ſunt erga fœminas. D. Idipſum exſpectabamus vt doceres. M. Mulieres probæ ac honeſtæ (nam pellicibus, lupis, & iis quarum de pudi-

pudicitia vno ore omnes non quidem omnia bona, ſed omnia mala dicunt, nihil deſpicabilius: Omnis ſiquidem mulier fornicaria quaſi ſtercus in via ab omnibus prætereuntibus conculcabitur) præ cæteris reuerentia ſingulari dignandæ ſunt. D. Cur ita vero? M. Quoniam cum ipſarum nihil ſit ęque proprium, nihil adeo iis agnatum vt erubeſcere, nec vllę gemmæ, vlla monilia, auróue intertextæ veſtes, nec excellens deniq; venuſtas, tantum illis ornamentum afferant, quantum pudor, cauendum adoleſcentibus, ne quid eiuſmodi vel dicto, vel facto, vel geſtu, vel alio demum quouis modo deſignent, quod teneram earum verecundiam offendat. De via obuiam facti decedetis. Caſtè eas ſalutabitis, ſine tumultu & immodeſtia alloquemini, non blanda atque infracta loquela, non vllis verborum fucis ac lenociniis. In ipſarum vultibus non morabimini, nec identidem eas reſpicietis; non quoniam ſexum naturamq; contemnatis, ſed quoniam à periculo & flagitio abeſſe cupiatis: qua de re etiam eſt in ſanctis voluminibus. Ne conſpicias virginem, ne fortè ſcandalizeris in decore illius. Et mox. Propter ſpeciem mulieris multi perierunt: & ex hoc concupiſcentia quaſi ignis exardeſcit. Nec erunt frequentius, nec niſi vel neceſſariò, vel officij gratia conueniendæ. D. Auguſtinus, quanta ſanctimonia & innocentia Pontifex? germanam ſororem ſuam non longè abs ſe habitantem viſere nolebat: quia, inquit, quæ ſunt cum ſorore mea, non ſunt ſorores meę. D. Verbum pudiciſsimum. Sed quis hoc literis commendauit? M. Poſidonius

Epi-

Epiſcopus dum vitam eius deſcribit. Vitanda eſt denique diuturnior cum iiſdem congreſsio, præſertim ſolis, & fugienda quantum ſine importunitate, & honeſtè licebit earum conſuetudo, etiamſi pudicè, parcè, ac duriter vitam agant. Perdifficile enim eſt geſtare colubrum in ſinu, ac non morderi: incedere per ignes ſuppoſitos cineri doloſo, & minimè vſtionem ſentire. Nec tam facile eſt huiuſmodi viſco & laqueis implicitum ſeſe explicare. Audite Lucretium.

Nam vitare plagas in amoris ne iaciamur
Non ita difficile eſt, quam captum retibus ipſis
Exire, & validos Veneris perrumpere nodos.

Habendi ſunt deniq; in honore ex præſcripto Apoſtoli, ſenes vt patres, iuuenes vt fratres, anus vt matres, iuuenculæ vt ſorores, in omni caſtitate, nec contemnendæ viduæ, quæ veræ ſunt viduæ.

ANNOTATIONES.

PELLICIBVS, LVPIS) *Pellicis nomen putant quidam à græco* ϖαλλακὴ *profluxiſſe, vnde & germanicum,* Ein Balg. *Eam autem antiqui pellicem nominabant, auctore Feſto, quæ vxorem habenti nuberet. Cui generi mulierum etiam pœna conſtituta erat à Numa Pompilio. Sunt qui velint latinam eſſe vocem, à pelliciendo: quod huiuſmodi fœminæ virum à legitima cõiuge blandiendo ac decipiendo auocent, atq; ad ſe traducant. Semper verò ad vxorem, nunquam ad virum refertur. Non enim dicitur Criſpus, aut Caius, ſed Cornelia,*

lia, aut Meliſſa habere pellicem. Lupa, inquit Iſidorus, à rapacitate vocata, quod ad ſe rapiat miſeros & apprehendat. Ego exiſtimarim ab auaritia, & bonis amatorum rapiendis de quo toties Plautus conqueritur, ſeu à rapacitate ſic dici meretrices. Quod inſinuat idem Plautus argumento Truculenti.

Vi magna ſeruus eſt ac trucibus moribus,
Lupa ne rapiant domini parſimoniam.

VISERE NOLEBAT) Temperare ab aſpectu parum neceſſario fœminarum præſertim quæ ſunt concinna ac ſerena facie, docuerunt nos etiam duo potentiſſimi Reges. Quorum tamen in hoc illecebrarum genere, vt ſciunt omnes, ſolutiores conſueuerunt eſſe voluntates. Cum apud Cyrum maiorem Pantheam captiuam vt eximia forma præditam, & vnam omnium totius Aſiæ mulierum pulcherrimam laudaret Araſpas regisq́ue oculis dignam affirmaret. Ob hoc ipſum, reſpondit Cyrus mihi ab ea videnda abſtinendum eſt. Si enim nunc ad eam adiero cum vaco, fortaſſis deinde ad eandē ventitabo, etiam cum non vacabo. Xenophon. lib. 5. de vita Cyri. Alexander autem vxorem Darij Regis à ſe captam, & filias eiuſdem, oculis contingere noluit, vt ait Gellius: qui hoc factum illius cum facto Scipionis in eodem genere, continentiæ videlicet comparat lib. 6. cap. 8. Iuſtinus tamen lib. 11. ſcribit ſemel tantum Alexandro viſam, cum matrem filiasq́ue eius paruulas frequenter conſolaretur.

PRO-

PROGYMNASMA QVINQVAGESIMVM.

Malorum ſocietas.

MATER, FILII.

MATER. Huc adeſte filij, matrique veſtrę vacuas aures adhibete. F. Præſtò ſumus, loquere quæ vis. M. Animaduerti ego vos cum pueris cœnopolę, qui ab hinc biennium commigrauit huc viciniæ, verſari crebrius, eorumque familiaritate & colloquiis impendiò delectari. Sic habetote, neutiquam placere mihi, vos conflictari cum illis ingeniis. F. Neutiquam? quid ita verò, ô mater? M. Quia liberos meos iuxta claudos habitare non fero, ne ipſi quoque claudicare diſcant. Nolo, inquam, vos prauorum, maléque educatorum puerorum moribus inficere animos; quia ſalus veſtra mihi, pro eo ac debet, eſt chariſſima. F. Quantum nos ſcimus, ſunt non mali. M. Sed quantum ego ſcio, ſunt non boni. Velletíſne aſsidui eſſe cum lippis? F. Non. M. Cum balbutientibus? F. Non. M. Cum ſcabioſis? F. Non. M. Cum peſtilentia laborantibus? F. O Chriſte, ne tantum malum. M. Quare nolitis? F. Eadem ad nos corporum vitia, eadem lues, iidem morbi transfunderentur: ſunt enim contagiones iſtæ, quæ manare ſolent latius. M. Sic prorſus animi labes, morbi atque peſtes multò etiam facilius ab improbis hominibus in vos deriuabũtur. Si conſuetu-

ſuetudinem iunxeritis cum auaris, euadetis tenaces ac ſordidi: ſi cum iracundis iracundi; ſi cum impudicis libidinoſi: ſi cum temulentis ebrioſi: ſi cum audacibus proterui: ſi cum loquacibus garruli. Eodem modo, ne longum faciam, in aliis peruerſitatibus. F. Quales nam ais eſſe pueros, quorum nobis eſt auerſanda coniunctio? M. Parentibus parum promptè dicto obedientes ſunt. Iurare aſſueuerunt. Ad ſpectacula leuiſsima velocius quam ad templum currunt. Mendaciloqui ſunt. Obſcœnis fabellis cupidius aures dant. Hiſce artibus ne colite, néue imbuite ingenium. Propter ſodales nequam grauiter multi & magni magno caſu cecidere. Nec vobis illud in hoc fraudē det, quod pueri ſunt. Quam plurimos ego pueros apud orcum æterna expendere ſupplicia crediderim. Patris maiorumq́ꝫ veſtrorum moribus, quos vobis identidem canto, viuite. Si hæc mea capeſſetis imperia, multa ad vos confluent bona, & Deus bene amabit, ac tuebitur vos, chariſsimi filij. F. Monita tua, mater, ſequemur, donec animam extremam traxerimus. Nec committemus, vt ob errata noſtra tibi aliquando à nobis ęgritudo oriatur. M. Quantū me diligitis, immò quantum Deum amatis, tantum iſtuc curatote.

ANNOTATIONES.

MALORVM SOCIETAS) *Si conſuetudo & aſsiduitas cum morbidis corpori bene affecto non eſt ſalutaris, quoniam communicantur morbi quidam, & ad aliena corpora transfunduntur, longè profectò minus*

minus erit ſalutaris, immò multò amplius erit pernicioſus ac peſtifer vſus cum hominibus mente corruptis ac vitioſis: quando & citius attrahuntur morbi animorum, & grauiores ſanatuq; difficiliores ſunt quam corporum. Quid enim ſi quis per ſcabioſum ſcabioſus, per lippum lippus, per tabidum tabidus fiat? quid ſi ab eo qui peſtilentia conflictatur, ipſe eandem luem nactus ſit? quid hæc mala ad illa animorum? Ad quæ? Ad ebrietatem, impudicitiam, iurandi execrandíque morem, ad dolos malos, furta, auaritiam, ſuperbiam. Etiam imprudentes propter aſsiduam conſuetudinem nonnulla vitia didicerunt quidam, tanta eſt eius vis. Vt Platonis familiares ipſius gibbum, Ariſtotelis amici eiuſdem linguæ hæſitantiam imitabantur. Alexandri conuictores flexam ceruicem, & aſperitatem vocis. Idem euenire in animo ſtatuendum eſt. Quid inter morbos animi & affectus interſit, docet Seneca, epiſt. 65. CONFLICTARI CVM ILLIS INGENIIS) *Terent. And. Nam qui cum ingeniis conflictatur eiuſmodi, Neq; commouetur animus in ea re tamen. Donatus exponit, atteritur, illud addens: conflictatio eſt tactus corporum inuicem & colliſio. Magis verbi huius vim aperient illa Cicer. conflictari moleſtiis; & quod ait lib. de Leg. Non eadem ſuperſtitione, qua cæteræ gentes conflictantur. Et Cornif. lib. 4. Homines multis & magnis incommodis conflictantur, propter immenſam pecuniæ cupiditatem. His aliisq; locis à me prætermiſsis, conflictari valet agitari, vexari, iactari, affligi, concuti, perturbari. Ingenium autem, eſt cum*

pro

pro naturæ habitu quodammodo, & pro homine toto ponitur, vt & hic locus Terentij probat, & ille Adelph. Dum id reſcitum iri credit, tantiſper cauet: ſi ſperat fore clam, rurſum ad ingenium redit. In partem meliorem, vt cum dixit Plinius in epiſt. Scio quem animum, quod horter ingenium. Et cum dicimus, in Italia eſſe elegantiſsima ingenia. Notandum illud Cornif. lib.2. ſin inuerecundum animi ingenium poſsidet. Sic Cic. Catull. Plaut. Lucret. dixerunt, mens animi. IVXTA CLAVDOS HABITARE) *Si iuxta claudum habitaris, ſubclaudicāre diſces. Prouerbium eſt, quo à congreſsibus conuictúque malorum deterremur. Hoc pueris præcepit diligenter Plutarchus, lib. iam millies nominato, in quo & Pythagoreum ſymbolum: Ne guſta quibus nigra eſt cauda, ſic interpretatur: ſignificat non conſueſcendum cum hominibus ob malitiam nigris.* QVAMPLVRIMOS EGO PVEROS) *Quoniam venæ peioris omne nefas in hoc æuum noſtrum irrupit, vt 1. Metamorph. canit Ouid. vereq́; dici de ſæculo noſtro poteſt: Terra malos homines nunc educat atq; puſillos, credibile eſt pueros frequentes deuolui ad inferos. Habet hodie locum querela Fabij. Vtinam (inquit cap.2. lib.1.) liberorum noſtrorum mores non ipſi perderemus. Infantiam ſtatim deliciis ſoluimus. Mollis illa educatio, quam indulgentiam vocamus, neruos omnes & mentis & corporis frangit, &c. Mirū porrò in iureiurando, blaſphemiis, & diris iaculandis eos quantumuis paruos, & pæne adhuc maternis vberibus inhiantes tam exercitatos eſſe. Rem hor-*

rificam recenſet in dialogis de quodam huiuſcemodi pue-ro D. Gregorius, cui diabolus execrationes funditanti animam extorſit, ſedenti in paterno gremio. ME DILIGITIS, DEVM AMATIS) *Vis maior ineſt in verbo amare, quàm diligere, quod leuius eſt. Hoc ex adſcriptis è Cicerone locis perſpicuum faciemus. Epiſt.14. lib.9. Quis erat qui putaret ad amorem, quem erga te habebã, poſſe aliquid accedere? Tantum acceſſit, vt mihi nunc demum amare videar, antea dilexiſſe. Epiſt.47. lib.13. Vt ſcires eum non à me diligi ſolum, verùm etiam amari. Epiſt.1. ad Brutum. Clodius Trib. pleb. deſ. valde me diligit: vel, vt* ἐμφατικώτερον *dicam, valde me amat. Vide inſuper ad Att. epiſt.19. lib.14. Terent. item tanquam diuerſa poſuit Eunucho. Non pol quo quenquam plus amem, aut plus diligam, eò feci.*

PROGYMNASMA QVINQVAGESIMVMPRIMVM.

Minutiora peccata.

NVTRICVLA, ALVMNVS.

NVTRICVLA. Dies Veneris eſt. Num tu, Baſiliole, inſtitutionibus Chriſtianæ fidei dediſti operam in gymnaſio? A. Quorſum hoc, mea nutrix, quorſum? N. Velim non ignorare, qua in parte illius libelli diſcenda occupêre. A. In capite verſor, quod de peccatis inſcribitur: illud

Illud explicari cœptum eſt à didaſcalo. N. Odiſtíne peccata? A. Et quidem ſupra modum. N. O egregiam & præclaram virtutis indolem:gaudeo immortaliter. Quaſi à facie colubri fuge illa. Dentes leonis dentes eius, interficientes animas hominum. ſed quæ peccata ſic deteſtaris? A. Superbiam, auaritiam, luxuriã, iram, gulam, inuidiam, acediam, quæ capitalia, mortifera, ſeu letalia dici mos obtinuit. N. Non alia inſuper? A. Etiam homicidium, ſacrilegium, idololatriam, hæreſin, vſuram, periurium, proditionem, & iſtis magnitudine æqualia, quæ in præſentia non occurrunt. N. Hæc, & infinita quę reliquiſti, grauiſsima, ſempiternisq́ ſęculorum ętatibus apud inferos luenda ſunt. At tu, fili, leuiora iſta fortaſſe contemnis, nec odiſti. A. Quæ? N. Citra ſitim bibere, delicatioribus epulis ventriculum diſtendere, parentibus nummulos, ſodalibus globulos aut ligulas furari, comparare ſe & præferre ingenio condiſcipulis, loqui quantum & quando libet, affirmare falſa, inficiari vera, libenter agere cum mulieribus non cognatis, lędentem viciſsim lædere, inuitum ſæpius per annum, & oſcitantem de noxis confiteri, tempus otio conterere, & id genus alia. A. Non amo ne iſta quidem:& magiſter ſeriò nos hortatus eſt, vt vitaremus parua, ſi vellemus maiora effugere: nam ex illis iſta generari. Scintilla, inquit, quantilla res eſt? & tamẽ neglecta fit ignis, qui domos, ſyluas, ciuitates depaſcitur. Qui modica ſpernit paulatim decidet. Et rurſum Ouidi᷒.

Principiis obſta, ſerò medicina paratur,
Cum mala per longas conualuere moras.

primo mores ſequatur animo: deinde vt magis magisq́; lapſi ſint; tum ire cœperint præcipites, donec ad hæc tempora, quibus nec vitia noſtra, nec remedia pati poſſumus peruentum eſt. Nec debemus hoc officium docendæ virtutis alienum à muliebri ſexu exiſtimare, vt pueros inquam erudiant, nutrices præſertim atque matres. Pulchrum eſt enim, vt iiſdem animorum quoque alimenta de ſuis animis ſuppeditent, quorum corpora de ſuis corporibus aluerunt. Chryſippus quidem nutrices, ſi fieri poſſet ſapientes optauit: certè, quantum res pateretur, optimas eligi voluit. Quintil. lib. 1. cap. 1. In tragœdiis tanquam conſiliarias, & magiſtras induci eas videmus. Norunt præterea ſtudioſi, quem honorem Caietæ nutrici ſuæ Æneas habuerit. Tu quoq́; littoribus noſtris, etc. vt nobis etiam noſtras omni obſeruantia colendas, ac veluti germanas matres tractandas arbitremur.

PROGYMNASMA
QVINQVAGESIMVMSECVNDVM.
Libelli ſcurriles.

SEMNOPHILVS, PHILOLESCHVS pueri, MAGISTER.

SEMNOPHILVS. O facinus animaduertendum. P. Ah, ſile. S. Non ſileo. P. Per tuam te miſericordiam oro, ne indica. S. Surdus ſum. Præceptor, iſte apud ſe habet Marcolſum. M. Hé,

Marcolfum?Illúmne iocularem libellum? S. Reuera illum ipſum. M. O te leuiſsimum,& plenum ineptæ curioſitatis puerum. Non ſolum hoc nugarum domi tuæ legis, ſed etiam in gymnaſium tecum portare,& in hac virtutis ac ſapientiæ,non leuitatis & inanitatis officina legere audes? P. Nihil continet mali. M. Parum hoc tibi patrocinatur:nihil continet mali,ſi nihil cõtinet boni.Porrige protinus. P. En. M. Aſpicite hunc,pro Rudimentis, pro Catechiſmo ſuo voluit Marcolfum. P. Animi gratia tantum lego. A. Audio. Tu in ſchola legis quædam animi gratia? an huc ventitamus tanquam ad viſendos ſaltatorum choros, aut equeſtres ludos,aut congreſſus athleticos animi gratia? Habes de hac turba alios? P. Non habeo. M. Attamen noſti prꝑterea quoſdam. P. Noui. M. Scilicet. P. Eulenſpiegel / Schimpff vnnd Ernſt / Fortunati Wünſchhütlin / &c. M. Euoluiſti tu hæc figmenta? P. Bonam partem ſingulorum. M. Cum fructu profectò tempus collocaſti.Quod potiſsimum inde emolumentum excepiſti? P. Neſcio. M. Si tu neſcis, iuxta tecum neſcio. P. Niſi tamen ſæpiſsimę riſi,& quidem effusè. M. O libros non libros,quorum vnica laus, excitare ſolutiſsimos riſus.Vellem tamen hos ſolum excitarent,non etiam ad alia incitarent. Accipite animis quæ dicam. Cuicunque veſtrûm ſimiles libelli ſunt, ſi alieni, reſtituat quamprimũ; ſi proprij,ad me afferat, aut in ignem infœlicibus vſtulanda lignis coniiciat.Nam ſi quem eos lectitare cognouero,is vapulabit liberaliter. Multa in iis ioca,ſæpe frigida,agreſtia,inſulſa,turpia.Amatoriis

toriis narrationibus redundant, Eccleſiæ cæri-monias, ſacerdotes, monachos, Deo dicatas vir-gines, ſacramenta, fidem deniq; Catholicam pe-tulantiſsimè irrident, animi partes maiores à vir-tute detorquent, & ad omnem leuitatem impu-dentiamq; duces ſunt. Scio extare in Germania noſtra alios libellos, quorum ficta ſunt argumen-ta, quorum ſcopus ac finis vtilis & honeſtus eſt, in quibus nihil ineptum, friuolum, maledicum ac ſordidum, eos legere non veto. Tamen vti bella-ria eduntur in conuiuiis: nec id in hac ætate, in qua vos eſtis, verùm in maturiore, quæ conſilia ſcriptorum videre, vnamquamque rem ſuis pon-deribus examinare, ficta à veris, honeſta à turpi-bus, grauia à ſcurrilibus, vtilia à damnoſis ſecer-nere poſſit. Tales ſunt fabulę poetarum plurimę. Tales ipſimet poetæ, vt Homerus, & Virgilius, in quorum poematis plura excogitata quàm vera, & tamen grauitatis ac ſapientiæ refertiſsima. Ta-les denique aliquot apud Latinos & Gręcos pru-denter & ingenioſè excogitatæ hiſtoriæ. Libros ab hoc Marcolfi diſcipulo nominatos, eorumq; affines puto à viris grauibus, & honeſtatis aman-tibus legi non ſolere. Quanto minus legendi ſunt pueris, niſi in perniciem ſuam faciles eſſe velint? Nam eorum ingenia cerea ac tenera cum ſint, paullo momento vt in bonum, ſic in vitioſum habitum formari conſueuerunt.

ANNOTATIONES.

QVid tandem cauſſæ eſt, cur, cum aliquid honeſtè, grauiter, eruditè aut ſcriptum legimus, aut verò

dictum audimus, non ita firmiter animis retineamus, vt *ineptiſsimas fabulas, narrationes ridiculas, parum pudicas, ſermones denique nullius frugis? Horum obliuiſci non poſſumus, poſt annum viceſimum & triceſimum, per omnem vitam recordamur. Et, ſi quando eſt opportunitas, non eſt finis commemorandi: tanta ſuppetit benignitas. Quin etiam ad illa præclara & bona legenda otium pæne nullum inuenire poſſumus, ad iſta verò ſemper aliquid datur ſubſeciui temporis. Quæ, inquam, huius rei cauſſa eſt? quæ? corrupta & peruerſa natura noſtra, & ſenſus hominis ad deteriora quam ad meliora proniores ab adoleſcentia ſua. Lyſimachus dux inter Getas ſiti cruciatus, cum exercitu ſeſe hoſtibus dedidit ob hauſtum frigidæ. Cum bibiſſet, Dij boni, inquit, quam breuis voluptatis gratia quantam fœlicitatem amiſi? Sic nos propter modicam, & impuram, aut certè puerilem, & inanem prorſus voluptatem, quam in ſcurrilibus libellis quæritamus, theſaurum ingentem, immò theſauros, tempus videlicet, & mentis integritatem atque innocentiam amittere non dubitamus.* NISI TAMEN SÆPISSIME RISI) *Niſi, valere ſed, innumeris pæne locis è Cicerone, Terentio, Plauto, Gellio, Plinio productis oſtendit Aldus Manut. Pauli F. ſcholiis in Iugurtham Salluſtij.* INFOELICIBVS VSTVLANDA LIGNIS) *Catull. epigram. 34. Infœlicia ligna vocat, quæ eſſent vſtura annales Voluſij, quos eodem carmine mirabiliter poëta contemnit;*

vſtura,

vſtura, inquam, adeo ineptum & malum librum peſſimi poëtæ. Cicer. *item pro Milone eadem appellatione vſus eſt, ob miniſterium longè viliſſimum, quod ſubire debuerint, vſtionem ſcilicet latronis ac parricidæ* P. Clodij. *Tu* P. *Clodij cruentum cadauer eieciſti domo: tu in publicum eieciſti: tu ſpoliatum imaginibus, exſequiis, pompa, laudatione infeliciſsimis lignis ſemiuſtulatum nocturnis canibus dilaniandum reliquiſti. Apud* Liuium *lib.1.in hiſtoria* M. *Horatij, qui ſua manu ſororem interfecerat, in illo: Arbori infelici ſuſpendito, alia quadam notione hoc verbum capitur. Ideo nempè infelici, quod fortiſsimum virum, patriæ liberatorem à ſe pendentem deberet ſuſtinere.* PLVRA EXCOGITATA QVAM VERA) *Vocabulo* ποιεῖν, *vnde poëtica, tam fingendi quàm faciendi ſubiecta eſt ſignificatio, definiturq́ poëtica, ars quæ numeroſa oratione ad docendum vitæ vſum actiones hominum imitatur. Fictio porrò magis, quam carmen poëtam facit, cuius magis eſt proprium imitari, in quo ineſt fictio, & quod ſine fictione fieri non poteſt: immò, quod ipſum totum ſæpius eſt fictio. Itaq; Plutarchus de aud. poët. Sacrificia quædam nouimus choris & tibiis carentia, poëſin fabularum & figmentorum expertem non nouimus. Nam Empedoclis & Parmenidis verſus, Theriaca Nicandri, & ſententiæ Theognidis orationes ſunt, vt pedeſtris humilitatem inceſſus effugerent, granditatem & menſuram à poëtica pro vehiculo mutuatæ. Neque igitur Lucretium, neque Manilium in poëtis numeraret Plutarchus.*

chus. Verùm de his agere, preſſius & enucleatius, non eſt huius loci.

PROGYMNASMA
QVINQVAGESIMVMTERTIVM.
Otium deteſtandum.

ARATVS, NEPOTIANVS.

ARATVS. Quid agit Nepotianus? N. Otiũ. A. Mallem te nihil agere, quam otioſum eſſe: id enim aliquanto remotius eſt à malo. N. Dulce eſt otio frui. A. Dulcéne etiam animo & corpore vitiari? N. Quid hic narrat? A. Veritàtem ſcilicet. N. Iucundum eſt vacare laboribus. A. Quin tu ergo illis vacas, & hac iucunditate perfrueris? Cur iſta deſidia tua ſpem ad ſumma perueniendi deſeris? N. Carere laboribus iucundum eſſe dico, ne quid ambiguitatis in verbo relinquatur. A. An tibi iucundum eſſe poteſt, hebetari intelligentiam, imminui & carpi memoriam, mentem tuam, ſicut ferrum quod non exercetur, occupari ſitu & rubigine, languere & marceſcere, ac diſſolui membra omnia, & quodammodo putreſcere & fœtere, vt aquas, quæ nunquam mouentur? N. Tale nihil ſentio. A. Niſi ad frugem applicas animum, niſi abs te ſemoues otium, & hæc incommoda ſenſurus es, & alia præterea incommodiora. Tuæ cogitationes non erunt niſi de ſomno, de ventre, & iis quæ

ſub

ſub ventre ſunt. In morbos & in flagitia delabê-ris. In deſideriis enim eſt omnis otioſus: non bonis vtique, ſed improbis deſideriis: & multa mala docuit otioſitas. Nec non verè & acutè Ennius.

Otio qui neſcit vti, plus negotij habet
Quam cum eſt negotium in negotio.
Nam cui quod agat inſtitutum, nullo negotio
Id agit: ſtudet ibi, mentem atque animum delectat ſuum.
Otioſo otio animus neſcit quid velit.

Adhęc eris omnium hominum naturarumq́ꝫ diſſimilis. N. Meliora Chriſte. Quid ita tandem? A. Naturæ omnes agunt aliquid. N. Quomodo? A. Cœli rapida conuerſione circum terram aſsiduò voluuntur, nec ad punctum temporis conſiſtunt. N. Certè. A. Elementa ſeſe vicisſim agitant, & ad corpora efficienda congregantur: ac ne ſint ſterilia, pariunt, terra fruges, aqua piſces, aër niues, grandines, imbres. N. Res mira. A. Pecudes aut attondent gramina, aut pallentes ruminant herbas. Volucres per æthereos campos diuagantur, cantuq́ꝫ genus humanum demulcent. Piſces patriis in vndis luſitant, ſurſum ac deorſum, huc illuc natant. Vermiculi reptant, formicæ & apiculæ operibus ſuis diſtinentur. N. Quid deinde? A. Deinde nolo te quidquam interloqui. N. Tacebo vt ſtatua. A. Hominum alij imperant, alij imperata exſequuntur. Tu, & tui ſimiles tantum numerus eritis, & fruges conſumere nati? prorſus, inquam, fruges conſumere nati. Nam vt Me-

nander

nander ait;homo otioſus quàm febricitans longè infœlicior: bis enim tantũ comedit inutiliter. Quid nunc?quid eſt? quin reſpondes quid facturus ſis? N. Ego aggrediar ad laborem, quando videbitur. Tu mihi fac deſinas exhibere negotiũ:iſtisq; dictis phaleratis ſuperſedeas. A. O telluris inutile pondus. Si equi & boues loquerentur, te vita indignum clamitarent: quoniam viuere tibi eſt edere & bibere. Nec dorſo tuo vt aſini,nec carnibus tuis vt bouis,nec lacte tuo vt vaccæ,nec caſeis tuis vt capræ, nec pelle tua vt vulpis,nec lana tua vt ouis, nec vigilantia tua vt canis, nec fœcunditate tua vt ſcrophæ, nec pullis tuis vt gallinæ,nec plumis tuis vt anſeris,nec cantibus tuis vt merulæ, nec pennis tuis, vt phaſiani vti poſſumus.

ANNOTATIONES.

DRACO *qui leges dedit Athenienſibus,tantopere dilexit otioſos, vt capite puniendos ſanxerit. Sed ad vituperationem huius mali quamuis afferri poſſint multa, & impleri trecentæ paginæ,tamen illud* Cic. 2. *de nat.Deor. in præſens ſufficiat. Mihi enim, inquit, qui nihil agit,eſſe omnino non videtur.* NIHIL AGERES, QVAM OTIOSVS) *Plinius ep.9. lib.1.Satius eſt enim,vt Attilius noſter eruditiſſimè ſimul & facetiſſimè dixit,otioſum eſſe,quam nihil agere.Id eſt,vacare omni munere & occupatione potius,quam agendo nihil proficere. Nos hunc ipſum locum reſpeximus, voluimusq;*

luimusq́ melius eſſe aliquid agere quamuis nihil proficias, quam penitus ceſſare, & inter viuos tanquam mortuum obambulare. VT AQVAS QVAE NVNQVAM MOVENTVR) *Ouid. de remed. amoris.*

Cernis vt ignauum corrumpant otia corpus,
Et vitium capiant ni moueantur aquæ.

PER ÆTHEREOS CAMPOS) *Mare Plautus Neptunios campos dixit Trinum. Puto me eandem vocem de cœli ſpatiis legiße. Veruntamen nihil affirmo. Æquor cœli, vt maris & terræ dici probat in Catull. Muretus.* FORMICAE ET APICVLAE) *Mira ſunt, quæ de vtraq́ beſtiola literis magni auctores prodiderunt. Vtraq́ ſymbolum induſtriæ & laboris eſt. Ad formicam quidem à Sapiente piger mittitur, tanquam videlicet ad magiſtram.* VIVERE TIBI EST EDERE) *Socrates aiebat ſe idcirco edere vt viueret, non ideo viuere vt ederet. Alij ſententiam ſic conformarunt. Eſſe oportet vt viuas, non, viuere vt edas.* FOECVNDITATE TVA VT SCROPHÆ) *Cic. 2. de nat. Deor. Sus verò quid habet præter eſcam? cui quidem, ne putreſceret, animam pro ſale datam dicit eſſe Chryſippus. Qua pecude, quod erat ad veſcendum hominibus apta, nihil genuit natura fœcundius. De otio vitando & hoc ſubiiciam propter adoleſcentes. Gymnoſophiſtæ apud Indos, menſa conſtrata, priuſquam cibaria apponerentur: diſcipulos adoleſcentes è diuerſis locis officiisq́ ad dapem conuenientes interrogabant, quid boni ab exordio*

dio lucis vſque in illam horam feciſſent. Cum quiſque ſuum factum commemoraret, qui nihil dicere de ſe poterat, impranſus exire, & aliquid operis facere iubebatur.

PROGYMNASMA
QVINQVAGESIMVM QVARTVM.

φιλαυτία, *ſeu cæcus amor ſui.*

LAMPADISCVS, PHILOMETRIVS.

LAMPADISCVS. Quod in rem amborum futurum eſt olim, cum vberiorem doctrinę meſſem collegerimus, id tibi narrare meditor Philometri. P. Deus te adiutet, narra, do operam ſedulam quamdiu vis, & dabo quãdo volueris: narrationes vtiles optatæ mihi ſunt & charæ. L. Adoleſcentiorem hominem ſibi de literis ſuis etiam atq; etiam placentem plaudentemq́;, & præ ſe parui pendentem alios, audiui cum reprehenderet vir ęui maturus, probus, & ſapiens, quicum patri meo magnus fuit vſus. P. Vbi is vir degit? L. Ciuis eſt meus, tibi cognitus. P. Quod ſcientiæ genus colit? L. Omne genus artium ſtudiorumq́; tractauit, in philoſophia tamen plus olei conſumpſit. P. Ordire. L. Longior fuit oratio, ſummam quandam ex me accipies. P. Vt vis. L. O adoleſcens, inquit, quanto melior, Deoq́; & hominibus gratior eſt modeſta ignorantia, quàm ſuper-

ſuperba ſcientia? Noli tute tibi verba dare. Noli te in fraudem induere. Qui ſe ſapientẽ credit, longe à ſapientia diſtat, & hoc longius, quo minus quantum diſtet intelligit. Summum diſcendi incitamentum eſt, putare ſemper ſe parum ſcire, multa ignorare. Quod iſti admiratores ſui facere prætermittunt, ac proinde vltra procedere non ita curant, quoniam ſe ad metas aut perueniſſe omnino, aut propemodum perueniſſe exiſtimãt, bene conſulentibus aduerſantur, admonentibus repugnant, aliis non credunt, ſuas opiniones pro oraculis ſuſpiciunt. Sic aditum ſibi ad auguſta illa ſapientiæ templa intercludunt. Nulla hac, vt virtutis & rectè factorum, ſic literarum eſt maior capitaliorq́ꝫ peſtis. Hæc cauſſa eſt, quamobrem in quouis genere diſciplinarum perpauci excellant; amor ſui nempe, & falſa doctrinæ perſuaſio, qua ſe complures deludunt. Non cum iis quos ſuperauimus, ſed cum his, quibus adhuc minores indoctioresq́ꝫ ſumus nos comparemus; vt qui curriculo puluerem Olympicum colligunt, non ſequentes, quos ſuperauerunt, ſed antecedentes reſpiciunt, quos ſuperent. Ita ſi agere inſtituerimus, non tollemus ſpiritus. Videbimus enim longiſſimo interuallo abeſſe nos ab illorum præſtantia, quos omnis eſt admirata, & admirabitur poſteritas. Poëta es? quid tu ad Virgilium? quid ad Horatium? Orator? quid ad Ciceronem, quid ad Demoſthenem? Mathematicus? quid ad Euclidem, quid ad Archimedem? Iuriſconſultus? quid ad Scæuulas, quid ad Papinianos? philoſophus? quid ad Ariſtotelem, quid ad Platonem? Theologus?

quid ad Thomam Aquinatem, quid ad Auguſtinum? Si quis in oppidulo aut municipio cum primum dignitatis locum obtineat inter pauperes, infimæq; claſsis homines, idcirco ſe circumſpiceret, ac ſeſe in ſuis ipſe oculis ferret, in magnã autem, & nobiliſsimis opulentiſsimisq; ciuibus refertam ciuitatem aliquando ingrederetur, vbi ſe videret vix cum poſtremis poſſe conferri, nõne is vela ſummitteret? nonne ab arrogantia deſiſteret? Eadem ratione inter indoctos eſſe doctũ, & inter pueros virum, inter pumiliones lõgum, inter cæcos videntem non eſt ſingulare. Reputa itẽ quanta ſit ſcientiarum amplitudo, quam incredibilia ſpatia, quanta in vnaquaq; rerum & inuẽtarũ, & adhuc inueniendarũ immenſitas, ac nequaquã fatuũ fuiſſe puta, qui ſe nihil ſcire teſtatus eſt, cum tam multa ſciret, vt omnis philoſophię fons, & philoſophorum pater habeatur. Hæc memini, & iſta præcipua capita reprehenſionis illius fuerunt. P. Philoſophica, & plena vtilitatis oratio. Quid adoleſcens? mutauit mentem? L. Non ęquè vt à principio Thraſonicè confidenterq; verba ferebat. Verùm quaſi nobis hæc dixerit, ita accipiamus. P. Non inſipienter mones: nos enim adhuc homines ſumus.

ANNOTATIONES.

Non ſolum manifeſta oſtentatio, ſed etiam tectior & obſcurior ſuimet commẽdatio diſplicet audientibus. Hinc Plinius de oratione quadam ſua epiſt. 8. lib. 1.

onera-

onerabit hoc modeſtiam noſtram, etiamſi ſtilus ipſe preſſus demiſſusq́ fuerit, propterea quod cogimur, cum de munificentia parentum noſtrorum, tum de noſtra diſputare. Anceps hic & lubricus locus eſt, etiam cum illi neceſſitas lenocinetur. Etenim ſi alienæ quoque laudes parum æquis auribus accipi ſolent, quam difficile eſt obtinere, ne moleſta videatur oratio de ſe aut de ſuis diſſerentis? Nam cum ipſi honeſtati, tum aliquanto magis gloriæ eius prædicationiq́ inuidemus: atque ea demum rectè facta minus detorquemus & carpimus, quæ in obſcuritate & ſilentio reponuntur. In ead. epiſt. Ii verò qui benefacta ſua verbis adornant, non ideo prædicare quia fecerint: ſed vt prædicarent feciſſe creduntur. Sic quod magnificum referente alio fuiſſet, ipſo qui geſſerit recenſente vaneſcit. Quintil. lib. 11. cap. 1. pulchrè cauſſam affert, quare odio quodam incitemur in eos, qui ſe iactãt, faueamus autem iis qui ſe ipſi deprimunt. Habet enim mens noſtra ſublime quiddam & erectum, & impatiens ſuperioris. Ideoq́ abiectos aut ſummittentes ſe libenter alleuamus, quia hoc facere tanquam maiores videmur: et quoties diſceſſit æmulatio, ſuccedit humanitas. At qui ſe ſupra modum extollit, premere ac deſpicere creditur, nec ſe tam maiorem, quàm minores cæteros facere. Hæc aduerſus oſtentatores & περιαυτολόγους generatim. Contra φιλαυτίαν literatorum ſatis in progymnaſmate diſputatum eſt. CVRRICVLO PVLVEREM OLYMPICVM) *Quod ſcribit Horat. Sat. 1. lib. 1. de auaro, non ſolere ipſum cum tenuioribus ſe cõferre, vt*

cum à ſe viderit iam copiis ſuperatos, rei exaggerandæ et amplificandæ modum faciat, ſed cum ditioribus, vt ita ſemper congerere pergat: ſicut qui in ludis olympicis poſtquam è carceribus dimiſſæ ſunt quadrigæ, qui ſecundo aut tertio loco currunt, nõ reſpiciunt quos præterierint, ſed eos qui antecedunt, quibus conantur pares eſſe, ac deinde priores; hoc totum non ineptè ad literatos accommodabitur, & tanquam præceptum aliquod ipſis proponetur. Verſus ſunt hi.

Vt cum carceribus miſſos rapit Vngula currus,
Inſtat equis auriga ſuos Vincentibus, illum
Præteritum temnens extremos inter euntem.

PRIMVM DIGNITATIS LOCVM) *Dignitas eſt alicuius honeſta, & cultu, & honore, & verecundia digna auctoritas.Cic.2.de Inuent.* THRASONICE, CONFIDENTERQVE) *A confidentia & iactatione omnes glorioſi vocantur Thraſones. Vide quid ille miles de ſe in Eunucho prædicet apud Terentium, & Pyrgopolinices apud Plautum in Militeglorioſo. Item ille in Truculento Stratophanes. Fidens porrò & fidentia in laude ponuntur: confidens & confidentia mala conſuetudine loquendi ſunt in vitio, ait Cic.3.Tuſcul. Itaque Terent. Phorm. Eſt paraſitus quidam Phormio, homo confidens, quod dij omnes illum perdant. Exponit Donat. improbus, audax, temerarius.*

VERECVNDIA, ET EIVS EXTREMA.

PRO-

PROGYMNASMA QVINQVAGESIMVMQVINTVM.

Natura verecundiæ.

ÆDESIMVS, MISADOXVS.

ÆDESIMVS. Ne tibi iſtuc tam nouum atque inſolitum appareat Miſadoxe, quod aſſerui non eſſe vnam de virtutibus verecundiam. M. Quî tandem non appareat, cum tam multis, & à tam multis doctis indoctisq́ pariter cõmendetur? Æ. Laudantur & aliæ res, placentq́ hominibus communiter, quas ſi cõtinuò virtutes numerare velimus, augendi ſint nobis philoſophorum cõmentarij, quibus de virtutibus explicatũ eſt. Et illorũ peculiare munus ducitur, diſputando quęrere ac decernere, quid in virtutibus ſit, quid non ſit. M. Quid ergo tu verecundiam eſſe ſtatuis? Æ. Perturbationem ſeu affectionem quandam, ſiue permotionem animi, non firmum ac ſtabilem habitum. M. Hoc tu rationibus probes neceſſe eſt. Æ. Nihil procliuius. M. Accommodo aures. Æ. Vti metus, qui in aſperis formidoloſisq́ rebus cernitur, ita naſcitur & exiſtit verecundia, & eſt illius ſpecies quædam. Nam quemadmodum qui mortem inſtantem, aut aliquod magnum vicinumq́ malũ metuunt, ſolent expalleſcere: ſic qui ob rem aliquã pudendam verecundia ſeu pudorẽ afficiuntur, erubeſcunt. Ex quo manifeſtũ eſt, vtrumq́ ad corpus quodãmodo pertinere; & quo-

ſi dederis. Sic enim capior verecundia, ſic recreor, ſic delector, vt ſatis explicare nequeam. Nec mirum, odi enim dedecus mirabiliter. AE. Mearum partium es. Quin & in hac perturbatione tria illa videre licet, quæ in germanis virtutibus. M. Quomodo? AE. Eſt in illis medium ſeu mediocritas, ſunt extrema duo, quorum vnum in defectione, alterum in exuperantia conſiſtit, & hæc ſunt vitia. Liberalitas eſt moderata pecuniarum largitio, cui repugnat tenacitas quæ parum aut nihil, & profuſio quæ plus æquo largitur. Similiter verecundiæ contraria eſt impudentia, qua fit, vt minus quam oportet, aut nihil omnino nos pudeat; & quam Græci vocant δυσωπίαν, immodica ſcilicet ac vitioſa verecundia, de qua Plutarchi habemus ſyntagma. M. Exſpecto iam definitionem verecundiæ: etſi non difficilè ex dictis abs te colligitur. Æ. Eſt moleſtia quædam, & perturbatio animi, orta ex malis, quæ dedecus & ignominiam inurere videantur: iisq; aut præſentibus, aut præteritis, aut futuris. M. Quis eam his verbis definiuit? Æ. Magiſter accuratiſsimus Ariſtoteles in ſecundo de arte dicendi. M. Hinc patet ad omnia tempora pertinere verecundiam, quod mihi velim explanes. Æ. Ad præſens quidem, vt ſi quis in furto deprehendatur, erubeſcet. Ad præteritũ, vt ſi quis cum animo ſuo recordetur, ſe aliqua impura libidine fuiſſe aliquando cõtaminatum; aut ſi cuipiam turpe quiddam hoc illóue loco, heri, nudiuſtertius, ante menſem & annos perpetratum obiiciatur. Ad futurum, vt ſi puella regia homini plebeio ſe audiat vxorem

commiſſum iri, quemadmodum Electram Agamemnonis Euripides colono locatam eſſe fingit. M. Ad hanc finitionem intelligendam amplius nihil requiro.

ANNOTATIONES.

ILLORVM PECVLIARE MVNVS) *Philoſophia enim in tres partes diſtributa eſt, in naturæ obſcuritatem, in differendi ſubtilitatem, in vitam atque mores. 1. de Orat. & 1. Acad. quæſt. Et in 2. Tuſcul. Vt enim ſi Grammaticam ſe profeſſus quiſpiam barbarè loquatur: aut ſi abſurdè canat is, qui ſe haberi velit muſicū, hoc turpior ſit, quod in eo ipſo peccet, cuius profitetur ſcientiam: ſic philoſophus in ratione vitæ peccans, hoc turpior eſt, quod in officio, cuius magiſter eſſe vult, labitur, artemq́ vitæ profeſſus, delinquit in vita.* PERTVRBATIONEM, SEV AFFECTIONEM) *In Categoria Qualitatis Ariſtoteles tertium genus (plura enim ſunt) patibiles qualitates & paſsiones conſtituit. Et cum habitum dicat eſſe quiddam permanens ac diuturnum, quodq́ niſi magna mutatione facta à morbo, vel aliquo eiuſmodi à ſubiecto amoueri nō poſsit, vt ſciētiæ & virtutes, quæ ab iis fiunt quæ facilè & citò corriguntur paſsiones vocat, vt ſi quis moleſtia affectus iraſcatur: talis enim dicitur quippiam paſſus eſſe.* CALCVLVM REDVCEREM) *Reducit calculum, qui conſilium, factum, ſententiam mutat. Sumptum à ratiocinato-*

natoribus. Omnia porrò hæc, ad calculos vocare, reuocare, mouere calculos, ponere in vtraq; parte calculos, accedere, decedere, detrahere calculum vt μεταφορικῶς, *ita* παροιμιακῶς *efferũtur.* VNVM IN DEFECTIONE, ALTERVM IN) *Exceſſum & defectum latinas eſſe voces concedens Victorius, negat iis rectè ab Ariſtotelis interpretibus conuerſa* ὑπερβολὴν, *&* ἔλλειψιν, *quæ verba frequentia ſunt apud Peripateticos. Melius Ciceronem reddidiſſe per nimium & parum. Vt 1. Off. Nunquam enim iratus qui accedet ad pœnam, mediocritatem illam tenebit, quæ eſt inter nimium & parum: quæ placet Peripateticis. Et in X. Philipp. Etſi in illius viri conſiliis atq; factis nihil, nec nimium nec parum fuit vnquam, &c. lib. 19. cap. 9.* ELECTRAM AGAMEMNONIS) *Subaudi filiam. Talia ſunt, Deiphobe Glauci de Sibylla. Aiax Telamonis. Hectoris Andromache, vbi ſubintelligitur, vxor. Oeconomiam Euripideam huius fabulæ non probant eruditi: Sophocleam probant: nam et ille huius nominis tragœdiam reliquit.*

PROGYMNASMA
QVINQVAGESIMVMSEXTVM.

Laus verecundiæ.

IIDEM.

ÆDESMIVS. Quanquam verecũdia, id quod oſtendimus, non eſt è ſanctiſsimo ſplendidiſsimoq́ꝫ virtutum concilio, quibus vnis nõ ſolùm maximè, ſed etiam maxima laus & admiratio debetur, eſt tamẽ laudatione digniſsima. M. Etſi hac de re nihil dubitauerim, ſcrupulũ tamẽ quo moueor mihi eximito. Æ. Quis hic ſcrupulus? M. Ob motus animi, ſeu perturbationes aliquis nec laude quenquã, nec vituperatione afficiendum putauerit. Atqui verecundia motus eſt, ſiue affectus. Æ. Vniuersè ſeu generatim cõſideratę affectiones nec reprehenſionẽ habẽt, nec laudem aliquã. Nihilominus quędã certo modo ſeſe habentes, & quatenus indicia atqꝫ argumenta, ſeu imagines virtutũ vitiorumq́ꝫ ſunt, vel laudari, vel vituperari conſueuerunt. M. Reſponſum breuiſſimè & rectiſsimè. Æ. Hæc igitur, cuius ex omnibus animantibus ſolus homo eſt particeps, certiſſima eſt bonæ indolis nũtia. Vnde Cato magis ſibi placere iuuenes aiebat qui rubeſcerent, quã qui palleſcerent: quod nimirum egregiam indolẽ rubor arguat, non autem pallor. Et Seneca, recta ingenia, inquit, debilitat verecundia, praua confirmat audacia. Bonæ indolis, inquam, bonæq́ꝫ ſpei nuntia eſt minimè dubia. Nutriendus pudor (eſt apud eundem philoſophum, quem admiratione quadam eius ſapientiæ commotus libenter verborum meorum teſtem adduco, & in etius chartis aurea quædam dicta, vt floriferis in ſaltibus apes libenter depaſcor) qui quamdiu durauerit in animo, aliquis bonæ ſpei locus erit. Huic conſentaneum eſt illud Plauti noſtri in Bacchi-

Bacchidibus. Nam ego illum periiſſe duco, cui quidem periit pudor. M. Teſtatiſsima & cogniſsima dicit. Sed te interpellare parcam. Æ. Verecundia in moribus eſt tanquam gemma rutilans, pudicitiæ comes, naturæ commendatio, famæ cuſtos, virtutis fundamentũ, honeſtatis nota, innocentiæ teſtis, ornamentũ vitæ, rerum decentium honeſtarumq; procreatrix & alumna, omnis turpitudinis inimica. Huius color eſt pulcherrimus, vt accepimus interrogatam reſpondiſſe filiam Ariſtotelis Pythiadem. Eſt quippe virtutis color, vti confirmabat Diogenes, cum verecundo rubore perfuſum adoleſcentem quempiam intueretur. Et profectò nihil fieri poteſt pudibundo adoleſcente amabilius. In quo quidem ætatis gradu, in adoleſcentia inquam, magis ſe prodit hic affectus: propterea quod & tenera eſt frons iuuenum pudoris ſedes, & calor aliquanto maior, qui ſeſe cum ſanguine in faciem ſpargit, quoties erubeſcunt. Præterea in corporibus naturaliter venuſtis ac decoris neſcio quomodo magis decora, magisq; pulchra eſt verecundia, & veluti ars probati artificis, in materia commodiore ac meliore perfectius eminet atq; elucet. M. Ciceronem ne omiſeris. Æ. In Partit. extremis. Cuſtos virtutum omnium, dedecus fugiens, laudemq; maximè conſequens verecundia, inquit. M. Dictum Ciceronianè, hoc eſt, breuiter, eleganter & grauiter. Æ. De laudibus pudoris ad neceſſitudinem rei dictum eſt, opinor, ſatis. M. Non quidem mihi. At enim in tuo ſum arbitrio, ſequar quo me cunq; duces.

ANNOTATIONES.

NEC LAVDE QVENQVAM, NEC VITVPERATIONE) *Quod enim inuitis ac repugnantibus accidit, quis id ſimpliciter aut commendet ſi bonum, aut reprehendat ſi malum videatur? Voluntate & iudicio omnia metienda ſunt, quorum vtrumque in huiuſcemodi ſubitis permotionibus deeſt. Moderari ergo iiſdem in noſtra ſitum eſt poteſtate: non ſentire, & tanquam illa cœli pars, quæ ſoli vicina eſt, ſereno ſemper ſedatoq́ animo viuere, hoc non eſt. Quod verò dictum eſt, nolentes nos erubeſcere, confirmat Seneca epiſt. 11. Quibuſdam etiam conſtantiſſimis in conſpectu populi ſudor erumpit, non aliter quàm fatigatis & æſtuantibus ſolet: quibuſdam tremunt genua dicturis: quorundam dentes colliduntur, &c. Inter hæc & ruborem eſſe ſcio, qui grauiſſimis quoque viris ſubitus offunditur: Lege reliqua.* CVM SANGVINE IN FACIEM) *Ariſtoteles in problematis cauſam quærens, cur quos pudet rubeſcant, & qui timent palleſcant, cum tamen ſint vicini ſimilesq́ affectus: eſt enim ſpecies timoris pudor, reſpondet. Quia pudentiũ ſanguis ex corde in omnes partes corporis diffunditur, vnde fit, vt quaſi ſupernatet: timentibus autem ad cor confluit, aliasq́ partes deſtituit. Vnde vt ibi ruborem, ita hic pallorem ſequi neceſſe eſt. Veruntamen tantum dixit quid accideret; ſed cur accideret, cur, inquam, ſanguis pudore diffundatur, metu contrahatur, nondum dixit. Gellius lib. 19. cap. 6. De refugiente in*

metu ſanguine aliquid affert præterea Macrobius lib. 7. cap. 11. de diffuſione autem eiuſdem in pudore non plus quam Ariſtoteles, & Gellius; niſi hoc tantum. Dicunt Phyſici, inquit, quod natura pudore tacta ita ſanguinem ante ſe pro velamento tendat. Vt videmus quemq; erubeſcentem manum ſibi ante faciem frequenter opponere.

PROGYMNASMA QVINQVAGESIMVMSEPTIMVM.

Adoleſcentiæ propriam eſſe verecundiam.

IIDEM.

ÆDESIMVS. Magno in errore plerique verſantur, qui nobis hoc loco eſt coarguendus. Arbitrantur enim cuiuſq; ætatis pudorem eſſe. M. Hem, ergo non eſt? putaui id ego quoque vſq; ad hoc tempus, nec deſiſtam à ſententia, niſi diſputatio tua penitiſsimè eam ex animo meo deleuerit. Æ. Deo auſpice delebitur. M. Cuinam ergo ætati minus congruit? Æ. Virili, & ſenectuti. M. Senes igitur poterunt eſſe per te inuerecundi. Æ. Malè ratiocinaris, non hoc dico. M. Quid igitur dicis? quorum eſt? Æ. Adoleſcentum ſeu iuuenum, ſicut virorum conſtantia & grauitas. M. Si verbo & affirmatione ſola hoc probas, ſola negatione id refello, Tu me auctoritate, vti Ciceronem

ronem Plato, non franges. Æ. En tibi rationem. In omni re conſenſio omnium gentium lex naturæ putanda eſt. M. Ita quidem M. Tullius, & rectè. Æ. Et hac ille conſenſione, vt ſcis, ad docendam animorum immortalitatem vtitur. Cur nos eodem conſenſu in re minore non vtamur? M. Vtere. Æ. Omnium mentes hæc imbuit opinio, pueros & adoleſcentes oportere verecundos eſſe. M. Etiam viros oportere, etiam ſenes. Æ. Aliter eſt. M. Cur aliter? Æ. Cognoſces. Ecquid laudamus adoleſcentes, ſi erubuerint? M. Certè. Teneo quid apud Terentium Menedemus de adoleſcente filio pronuntiet. Erubuit, ſalua res eſt. Quibus verbis bonam ſibi de eo ſpem pollicetur, quia rubore perfuſus ſit. Æ. Nunquid etiam laudamus viros atque ſenes? M. Hoc dicere vix auſim, & me tam citò depulſum eſſe de ſententia pudet. Æ. Pudendum verò, ſi in ea perſiſteres. M. Quare non iis ſimiliter laudem impertimus? Æ. Quia nihil ab iis committendũ cenſemus, cuius cauſſa verecundari debeant. Iam ſi ego quippiam te facientem videam, nec propterea te commendem, argumento erit, id tibi reuera honorificum non eſſe. Ideo autem non eſſe, quod tuarum partium propriè non ſit. M. Plus deſidero, nondum enim planiſsimè intelligo, qua de cauſſa iuuẽtutis propria ſit, non illa quidem virtus, ſed quaſi virtus, ſeu virtutum propinqua & ſoror verecundia, & quamobrem ita exiſtimemus. Æ. Quod iuuentus magis perturbationum diuerſarum tempeſtatibus agitatur ac circumfertur. Cui ætatis freta primitus inſinuantur, vt eſt apud Lucretium. In
qua

qua ſumma conſilij leuitas, mira animorum inconſtantia & effrænatio, ira, ſuperbia, temeritas, libido, luxus, vno verbo vt abſoluam, ad omnem licentiam improbitatemq́ non parua procliuitas. Accedat orationi meæ teſtis Horatius.

Imberbis iuuenis tandem cuſtode remoto
Gaudet equis, canibusq́, & aprici gramine campi:
Cereus in vitium flecti, monitoribus aſper,
Vtilium tardus prouiſor, prodigus æris,
Sublimis, cupidusq́, & amata relinquere pernix.

Cum itaq; certum ſit, cæcis cupiditatibus adoleſcentes tranſuerſos rapi ſolere, à gubernatrice verecundia prohibentur, quo minus eaſdem expleant, & ad virtutis calcem, ſicubi deflexerint reuocantur. M. Quid autem eſt, quod Plato (quem ego auctorem vehementer ſequor, cũ tu in Ariſtotelis verba iuraſſe videare, quem legere non ita curæ mihi eſt) in Protagora ſcriptum reliquit, Iouem dum metueret humano generi, ne periret, miſiſſe Mercurium, qui pudorem & iuſtitiã ad homines adduceret, vt nimirũ eſſent ciuitatum ornaméta, ſanctæq́ inter ciues amicitiæ conciliatrices, quæ illos arctiſsimo nexu ac fœdere copularent. Paullò poſt cum interrogaſſet Mercurius, deberétne illas vniuerſim omnibus diſtribuere, an ita, quéadmodum artes eſſent diſtributæ. Omnibus, inquit Iupiter, omnes illarum participes ſunto. Legem verò meo nomine perfer, vt qui pudoris & iuſtitiæ capax minimè eſſe poterit, velut ciuitatis tæterrima lues & peſtis è medio tollatur. Velim refutes hunc doctorem. Tu ais adoleſcentibus tantum conuenire, Plato omnibus. Æ. Primùm, non

non quidquid apud Platonem dicitur, hoc ex ipſius Platonis aut Socratis mente dicitur. Differit autem hæc in eo dialogo Protagoras. Deinde aio, conuenire quidem ſingulis, at non omni ætati, & aliquando capi nomen verecundiæ pro quauis mali formidine, vitatione flagitij, & cupiditate honeſti: ſeu, non pro repentina illa commotione, qua quis ſubitò perturbatur, quam etiam à viro probo alienam eſſe vult Ariſtoteles, ſed pro inhęrenti quadam in animo affectione, quę à turpium rerum actione nos deterret, nec aliam turpitudinem, niſi quę virtuti eſt contraria reformidat. Poteſt deniq; ita in omnem ætatem conuenire, quoniam ſunt nonnulli annis ſenes, moribus & ingenio pueri; quos præ pudore ſibi à ſceleribus temperare, quam illo ſolutos in flagitia ruere melius eſt. M. Tibi quidem perſuaſiſti, Ariſtoteli non eſſe contrarium Platonem, mihi ſanè quidem perſuadere videris voluiſſe. Æ. Integrum tibi eſt ſentire quod lubet, probabilia coniectura ſequor: vltra enim quo progrediamur in doctrina morali, non habemus.

ANNOTATIONES.

VTI CICERONEM PLATO) *Vt enim rationem Plato nullam afferret (vide quid homini tribuam) ipſa auctoritate me frangeret. Tot autem rationes attulit, vt velle cæteris, ſibi certè perſuaſiſſe videatur. 1. Tuſcul. Oſtẽdimus alio loco prolatis teſtimoniis, quanti hunc philoſophum Cicero faceret, volumine primo, vbi de* φιλοσοφουμένοις *Tullianis diſputauimus.* IN

DOCTRI-

DOCTRINA MORALI) *Exquiſitam ac ſubtilem rationem tradendæ morum diſciplinæ haud eſſe accommodatam ſcribit lib. 1. ad Nicomachum Ariſtoteles. Nam cum ea philoſophiæ pars de honeſtis & iuſtis factis, de bonis ac malis, de fugiendis expetendisq; rebus agat, hæc autem nõ certa ac definita, ſed incerta, variisq; mutationibus ſubiecta ſint, vt non natura, ſed opinionibus & inſtitutis conſtare videantur, quis de talibus firmis argumentationibus, & nullo penitus cum errore permiſtis ſe diſputaturum confidat? Quamobrem eodem in loco eruditi hominis proprium eſſe affirmat, in vnaquaq; doctrina illud exquiſitum exquirere ac poſtulare, quod in ea reperitur. Qui ſecus facit, illum perinde facere, atq; ſi à mathematico probabiles rationes, ab oratore demonſtrationes exigat.*

PROGYMNASMA
QVINQVAGESIMVMOCTAVVM.
Quæ res verecundiam pariant.

IIDEM.

MISADOXVS. Quæ eſſet natura verecundiæ, quibus quantisq; laudibus celebraretur, & in quam ætatem præcipuè conueniret perſpicua me & diſerta oratione docuiſti. Quæro nunc abs te, quæ ſint ea, ex quibus illa gignitur: ita ſciemus nos, qui iuueniles annos nondum

dum tranſcendimus, quæ fugienda nobis ſint, ne in ruborẽ coniiciamur. Quod tametſi pulchrum, nihilominus committere vt erubeſcendum ſit, turpiſsimum exiſtimo. Non enim pudendo, ſed non faciendo id quod non decet impudentię nomen effugere debemus, ait Cicero. Æ. Nulla eſt inſignis atq; ſingularis turpitudo, niſi quæ ab animi prauitate aliqua profluxerit. Illas igitur prauitates inprimis vitare moneo, ſi ignominiam, quæ turpitudinis pediſequa eſt, effugere concupiſcitis. M. Vitabimus, ſi recenſueris, tuoq; more ſingula illuſtraueris. Æ. An tu cenſes decorum eſſe, deſerere aciem aut præſidium, abiicere clypeum, & fuga ſalutem quærere? M. Apud Lacedæmonios quidem probro ſummo dabatur. Hinc virago illa poetarum verſibus tam decantata, quæ inermem conſpicata redeuntem à pugna filium, haſta eum transfixit vt degenerem. Æ. Apud nos etiam eadem res inſigni eſt infamia. Sed ex quo tandem vitio manat hæc actio? M. Quis non videt? ex timiditate & animi mollitia, quæ eiicienda eſt. Æ. Caueant ergo timiditatem verecundi; ne, impendente periculo, ipſi ſe in pedes quantum queant. Et hoc in vno quodam genere dictum, ad alia ſimilia accommodetur, quomodo ea quæ ſequentur. Caueant item iniuſtitiam, vnde naſcitur non reddere depoſitum. M. Sempernè reddendum? Æ. Pro me Cicero reſpondebit in Officiis. Honeſta enim quædam temporibus commutantur fiuntq; contraria, vt reddere gladium furioſo. Hoc relinquendum eſt prudentiæ, quæ talibus moderatur. M. Duo vitia commemoraſti,

moraſti, cætera, & quidem complura exſpecto. Æ. Non proferam omnia, nam ex iis quæ dixero, quæ ſit aliorum ratio per te animaduertes. M. Optimè tibi iacta ſunt fundamenta, alacriter ædifica. Æ. Afficiunt etiam pudore, quæ ex intemperantia proficiſcuntur, vt ſunt ventri, & Veneri eſſe deditum. Item quæ ex auaritia & illiberalitate, vt lucrum facere, aut ex puſillis abiectisq; rebus, aut ex turpibus, aut ex iis, vnde fieri non poſſe videatur. Nec copia ſua alicuius tenuitatem ſubleuare, aut parcius eidem ſubuenire, taleq; auxilium petere à tenuioribus, & quibus minus eſt rei familiaris. Quo de conqueritur apud Terentium ſeruus. Quam iniquè comparatum eſt, inquit, ij qui minus habent, vt ſemper addant aliquid ditioribus. Et mutuam capere pecuniam, cum quis à te petiturus videtur; & petere, cum aliquem repetiturum, aut repetere cum eum à te petiturum ſuſpicaris, laudareq; aliquid, vt illud petere iudiceris. Mos eſt quippe ingenuis ac liberalibus viris, cum perſentiunt aliquem re quapiam, cuius ipſi ſint domini, valde affici, vltro eam donare. M. Aceruaſti exempla, quibus vnum quoddam vitium declarares. Veruntamen hanc ipſam declarationem vt declares rogo. Æ. Sic faciam. Legiſtíne quid Veſpaſianus Auguſtus fecerit? Quidnam? Æ. Ex lotio vectigal ſibi pendi volebat: quod Tito eius filio Imperatori longè omnium Imperatorum humaniſsimo ſummo pudori fuit, qui & patrem hortabatur, ne ex tam ſordida re quæſtum faceret. Auari item, vel pauperes & mendicos ſuis bonis qualibuſcunque

exuunt, &, ſi poſſent, à mortuis tributum exigerent. Nec, quamuis cognatus fuerit, vel mediocri ſeu pecunia, ſeu rerum ad victum pertinentium auxilio eius egeſtatem conſolantur. Simulant ſeſe egere, ſimiles Gellio illi apud Martialem, qui in ædificando ſemper erat occupatus, quò petentibus nummos amicis facilius denegare poſſet, quia videlicet magnos ipſe in ædificatione ſumptus toleraret. Eſt autem nimis perfricta frons eorum, qui cum apud amicum aſpexerint quod ipſis placeat, mirificè illud, & coram laudare non ceſſant, ſeque eius percupidos demonſtrant; ob quod Verrem Cicero accuſat. M. Pauca ſcelera nominari poſſe arbitror, quibus non ſe nobilitauerit hic Prætor inclytus. Æ. Pauca. Ab ingenuo item procul abeſt aſſentatio, cuius eſt in os laudare, & bona quæ laudem merentur præter modum extollere, mala verò quaſi inducere & oblinere, ac non modo cum ridente ridere, ſed etiam cum plorante plorare, & maiorem quendam animi dolorem oſtendere, quam ille ipſe oſtendat, cuius eſt calamitas. Eſt inſuper plenum opprobrij, nō poſſe eos labores perferre, quos vel grandiores natu, vel qui delicatam & deliciis refertam vitam agitant, vel qui in aliquo amplitudinis gradu locati, vel denique viribus imbecilliores, & idcirco laborum impatientiores ſunt perferunt. M. Pigritiam damnas (ſi rectè mentem tuam interpretor) quæ eſt metus laboris. Æ. Rem loqueris. Et cum magnanimi ſit, velle potius dare, quàm accipere beneficium, oportet eos qui ſæpe ab eodem beneficium accipiunt eſſe minuti ani-

mi, parumq́ꝫ pudentis. Eſt præterea vt æquè turpe, ſic æquè humilis abiectíque animi ſignum, exprobrare cuipiam beneficia, quæ obliuiſci debet qui contulit, meminiſſe qui accepit. M. Profectò omnes, etiam ſerui, indignamur, cum quis ſua nobis merita obiicit.

Sed mihi hoc moleſtũ eſt. nam iſthæc commemoratio
Quaſi exprobratio eſt immemoris beneficij,

ait Soſia apud Terentium. Æ. Deforme eſt item de ſeipſo prædicare, & cum irriſione audientium imitari militem glorioſum. M. Thraſonem videlicet Terentianum, & Pyrgopolinicen Plautinum. Æ. At enim ſi vituperandi & infames ſunt, qui ſua iactant, quid illi, qui aliena pro ſuis venditant? arrogantiſsimum genus hominum. Quæcunque demum à vitiis manantia, & notæ etiam vitiorũ, & quæ cum vitiis cognationem aliquam habent, exiſtimationem lædunt, & cogunt erubeſcere. Reperitur quiſpiam in luſtro inter mulieres parùm honeſtas potitans, turpis actio & verecundia digna. Loquitur verbis parum tectis, videtur animo parum caſto. Interrumpit orationem grandæui, aut ei non aſſurgit: hoc non quidem vitium, nec nota vitij, attamen quaſi vitium, ſeu vitio ſimile eſt. Neq; verò duntaxat vitio deuinctum, verùm etiam ab honeſtis rebus vacuum eſſe dedecus conciliat: ab iis nempe, quarum ſint participes aut omnes, vt ſi omnes nobiles ſtudia literarum colerent, turpe eſſet nobili refugere à literis; aut omnes ſimiles, qui ſunt, inquam, eiuſdem gentis, ciuitatis, ætatis, familiæ, & qui æquo iure viuunt, hi, ſcilicet, aut ſaltem plurimi ho-

rum. Atque hæc eo turpiora, & magis probroſa erunt, ſi noſtra culpa accidiſſe putabuntur. Sic namque ab animi vitio proceſsiſſe intelligentur, in quo turpitudinis maiores partes conſtituimus. Plura afferre de hoc capite ſuperſedebo, ne tibi moleſtus ſim. M. Moleſtus? Si ſumma iucunditas eſt vocanda moleſtia. Sed cum oſtenderis quæ parerent verecũdiam, conſentaneum eſt vt nunc doceas, apud quos pariant, ſeu quos vereamur. Æ. Aggrediamur ad hoc ipſum.

ANNOTATIONES.

HÆc & alia pleraq; de verecundia ex Ariſtotelis fontibus, ex Rhetoricis, inquam, & Ethicis, quantum quoque modo viſum eſt, vt Cicero ex Stoicorum. Nolumus enim in nos cadere, quod ſcriptum extat apud Plin. lib. 1. Obnoxij profectò animi, & infelicis ingenij eſt deprehendi in furto malle, quam mutuum reddere. Illud malumus, quod apud eundem antecedit. Eſt enim benignum, inquit, & ingenui plenum pudoris, fateri per quem profeceris. Id nos diligenter præſtare in libris noſtris omnes æqui iudices fatebuntur. NISI QVÆ AB ANIMI PRAVITATE) *Hoc quanquam ita eſt, tamen quam multi ſunt, qui non miſeriores ſeſe arbitrentur, ſi pedibus aut manibus capti, quàm ſi aut ebrioſi, aut libidinoſi ſint? Non ita, qui dixit (numeros memini, ſi verba tenerem) ſed proferam latinum verſiculum.*

Animo valente corpus ægrotet licet.

HINC

HINC VIRAGO ILLA) *Hæc de re græcum epigramma recitabimus, incerto auctore, noſtramque conuerſionem apponemus.*

γυμνὸν ἰδοῦσα λάκαινα παλίντροπον ἐκ πολέ-
μοιο
παῖδ' ἑὸν εἰς πάτραν ὠκὺν ἰέντα πόδα,
Αὐτίκα ἀΐξασα, δι' ἥπατος ἤλασε λόγχην,
ἄρρενα ῥηξαμένη φθόγγον ἐπὶ κταμένῳ.
Ἀλλότριον σπάρτας εἶπεν γένος, ἔρρε ποθ' ᾅδαν,
Ἔρρ' ἐπεὶ ἐψεύσω πατρίδα, καὶ γενέτας.

Abſque armis reducem natum Spartana virago
Ad patriam celeri vidit adeſſe gradu.
Inſiluit, telumque furens trans pectus adegit,
Hæc ſuper exanimem fortia verba loquens.
Sub terram Spartæ falſum genus, inquit, abito;
Ito mentitus & patriam & proauos.

VESPASIANVS AVGVSTVS) *Mira Suetonius de huius Imperatoris* πλεονεξίᾳ *& auaritia. Inter illa & hoc.* Procuratorum *rapaciſsimos ad ampliora officia promouebat de induſtria, quò locupletiores mox condemnaret. Quibus propterea dicebatur vti pro ſpongiis, quod quaſi ſiccos madefaceret, & humentes exprimeret.*

PROGYMNASMA
QVINQVAGESIMVMNONVM.
Quoſnam vereamur.

IIDEM.

ÆDESIMVS. Qui verecundia commouentur, aliud nihil timent, niſi vt ne in exiſtimationis ſuæ, & bonæ famæ iacturam incurrant; non ſanè, ne aut pecunias amittant, aut in re alia damno mactentur: quanquam fermè accidit, vt pręter opprobrium ſeu ignominiam etiam aliquod cuiuſpiam rei detrimentum conſequatur. Verùm id homo verecundus non tanti æſtimat, vt diximus, cui ſtudio eſt tueri famam ac nomen ſuum, non quidem apud omnes, ſed apud illos, qui de ſe exiſtimare iudicaréque ſincerè poſsint. Huiuſmodi ſunt quorum rationẽ ducimus, quos proinde vereri, & propter quos erubeſcere ſolemus. M. Súntne hi vnius, an plurium generum? Æ. Plurium. M. Cedò. Æ. Primùm qui nos admirantur, propter bonum videlicet aliquod honore proſequendum. Deinde quos nos ob eandem cauſſam admiramur. Tertio loco à quibus coli nos volumus. Quarto quibuſcum de honore concertamus. Ac deniq; quorum opinionem non contemnimus. A quibus inſuper aliquid impetrare, quod ſit in ipſorum poteſtate, ardenter cupimus. Conuentus item publici, ſeu multitudo & conſpectus hominum pudorem incutit, ſeu cum peccauimus, ſeu cum peccaturos nos timemus; quam plurimos enim offenſionis noſtræ teſtes & conſcios intuemur, vt Demoſthenes, Theophraſtus, Cicero timore nimio expalluerunt, atq; idcirco in concione dicturi obmutuerunt. Confitetur etiam L. Craſſus 1. de Orat. ſe exalbeſcere in principiis dicendi ſolere, & tota mente, atque omnibus artubus contremiſcere. Adoleſcentulus verò,

verò,inquit,ſic in initio accuſationis exanimatus ſum, vt hoc ſummum beneficium Q.Max.debuerim,quod continuò conſilium dimiſerit,ſimul ac me fractum, & debilitatum metu viderit. Hinc nox pudore dicitur vacare, quia noctu neminem videmus,& videmur à nemine. M.

Nox & amor, vinumq́ꝫ nihil moderabile ſuadent,
Illa pudore vacat, Liber amorq́ꝫ metu.

Quoſnam præter hos? Æ. Qui iiſdem culpis obnoxij non ſunt. Contra, eiuſdem improbitatis amentiæq́ꝫ ſocij inter ſe non erubeſcunt. Ebrius apud vinolentum,latro apud latronem, fœnerator apud fœneratorem. Ad hæc qui ſeueri, & ad tribuendam peccantibus veniam haudquaquam faciles ſunt;propterea ſcilicet;quod ipſimet ea nō perpetrant,quæ ſi perpetrarent,in aliis non damnarent: nec enim fur furi non libenter ignoſcit, neqꝫ illi ſuum crimen obiectat. Cauemus item ab iis, quos delicta noſtra enuntiaturos ſuſpicamur, quæ occulta eſſe, & ignorari optamus: malumus enim aliquando boni haberi quàm eſſe, multoq́ꝫ magis timemus hominum,quàm Dei amicitia excidere. M. Qui facilè enuntiant? Æ. Iniuria læſi, maledici,deriſores. M. Quos adhuc veremur? Æ. A quibus nihil vnquam fruſtra petiuimus: iſtis enim videmur admirationi eſſe. Et eos qui tum primùm à nobis petūt aliquid, quos apparet bene de nobis ſentire,noſq́ꝫ probos & officioſos exiſtimare. Atqꝫ ideo denegare quippiam nos iis pudet, ne mox in aliam de nobis & contrariam opinionem veniant. Ad extremum,veremur non modo viros graues, verùm etiam eos, qui ad ipſos facta

noſtra perferre poſſunt; vt ſunt illorũm ſerui & amici; hos colimus hilariterq́ excipimus dominorum gratia, quorum fauorem & beneuolentiã aucupamur. Atq; hic etiam receptui cano. M. Hic tuus labor me locupletauit opibus & pulchris, & nulli fortunæ dominationi ſubiectis.

ANNOTATIONES.

DEMOSTHENES, THEOPHRASTVS, CICERO) *Demoſthenes quidem legatus apud Philippum Regem Macedonum. Theophraſtus apud populum Athenienſem. Cicero pro Milone dicturus in foro. Vide Crinit. lib. 5. cap. 3. De pudore autem oratorio lege quæ à Craſſo & Antonio diſſeruntur 1. de Orat. quorum hic duas eiuſdem cauſſas profert in medium.* HOMINVM QVAM DEI AMICITIA) *Non tam ſtultè faceremus, ſi mentem auocaremus aliquando à ſenſibus, & ad æterna vel ſupplicia propter ſcelera perferenda, vel præmia propter virtutem capienda transferremus.*

PROGYMNASMA SEXAGESIMVM.

Impudentia.

ARETAEVS, AEDVMENVS.

ARETAEVS. Sicut virtutes morum ſuos, & quidem innumeros laudatores inuenerunt, ita quoq; vitia non paucos vituperatores.

tores. Ac proinde quãtum illorum voces ad amplexandam honeſtatem, cuius parens & effectrix eſt virtus, tantum iſtorum oratio ad deteſtandam turpitudinem, cuius eſt mater vitioſitas, excitare & commouere nos debet. Æ. Nec tantillum à tua ſententia meum diſcrepabit vnquam iudicium. Quod autẽ vitium maximè iubes me execrari, & omni ope fugere? A. Impudentiã, Græcis ἰναισχωτίαν. Æ. Quibus eam verbis definires? A. Quibus Ariſtoteles. Eſt, inquit, contemptio quædam, & firmitas animi aduerſus ea mala, quæ pudorem incutiunt. Contemptus eſt honoris videlicet ac famæ, ignominiæꝗ ac dedecoris voluntaria deliberataꝗ patientia. Seu effrænata licentia ad turpitudinem; quo, per Deum immortalem, quid omni verborum acrimonia & contumelia dignius? quid deteſtabilius? quid bonæ ſpei ſuperſit in tali homine? qui iam frontem, faciem, os perfricuit; hoc eſt, omnem à ſe verecundiam remouit, longiſsimeꝗ proiecit? Qui eſt ore ferreo, effrons deniꝗ: nam hæc ſingula contra impudentes valere quis neſcit? qui etiam canibus comparantur, quadrũpedibus (vt norunt omnes) inuerecundis. Æ. Currentem me, quod aiunt; fuit enim mihi ſemper odio hæc peruerſitas, vt incredibili amori ingenuus pudor. A. Satis odiſſe non potes iſtum inter homines omnium morborum grauiſsimum, vt Euripides, iſtamꝗ ad omnem turpitudinem ducem maximam, vt Xenophon appellauit. Per quam decorum vitæꝗ honeſtas, & modus omnis deſpicitur, & ad quælibet vitia (quandoquidem non timentur) via panditur.

ditur. Æ. Cum cernamus iiſdem nonnunquam ſeſe cupiditatibus atq; delictis deuincire pudoris amantes, quibus inuerecundos, crediderit quiſpiam nihil inter hoſce homines intereſſe. A. Crediderit, ſed auius à vera longè ratione vagabitur, vt ait Lucretius. Tantum inter vtroſq; differt, quantum dici vix poteſt. Æ. Tu hanc differentiam explicato. A. Cum delinquunt, aut deliquerunt pudentes, capiunt animo dolorem, & moleſtia idcirco afficiuntur: at impudentes moleſtiarum ſecuri, lætantur etiam. Et illi facillimè perturbantur, cum obiiciuntur non ea ſolùm, quæ verè ſunt turpia, ſed etiam, quæ turpitudinis ſpeciem ac faciem quandam gerunt (quanquam hoc magis vitioſi quàm iuſti pudoris eſt indicium) iſti omni metu vacantes ac liberi feruntur audacter in facinus. Nam cum ſemel verecundiæ ſepta fineſq; trāſilierint, oportet eos bene ac nauiter eſſe impudentes. Æ. Probè diſtinxiſti, ita eſt. A. Quid ad famam inhoneſtius amoribus meretriciis? tamen impudens alienæ pudicitiæ vitium addere, & aliis quoq; facem præferre ad libidinem non verebitur. Quid auaritia ſórdidius & probroſius? tamen impudens abradet pecuniam vndecunq; poterit. Quid aſſentatione fœdius? tamē impudēs palpo percutere, & adulari potentibus non ceſſabit. Ingluuies & crapula quantum habent infamiæ? at illa infamia inuerecundum ingenium nihil conturbat. Quam eſt turpis & plena dedecoris oſtentatio? ille tàmen ſe oſtentare, ac palam dilaudare non intermittet. Quidquid animo collibitum fuerit, ſeu honeſtum ſeu inhoneſtum ſit, eò

ſe da-

ſe dabit. Et cum camelos glutiat, nunquam profectò culices excolabit. Æ. Quid hoc ſibi ſignificat? A. Cum facta ipſa turpia non reformidet, ſigna & indicia eorundem multò minus reformidauerit. Si audet ſeſe adulterio polluere, non erubeſcet in verbis impudicis. Æ. Qui hoc negat, idem neget lucere meridie. Atque idem iungat vulpes, & mulgeat hircos.

ANNOTATIONES.

SPECIEM AC FACIEM QVANDAM) *Faciem non tantùm eſſe id, quod Græci* πρόσωπον, *os ſcilicet, oculos & genas, ſed ea quoq; voce formam omnem, & modum & facturam quandam corporis totius indicari, diciq; in rebus etiam aliis demonſtrat Gellius lib.13. ca.28. Cic.1. Off. Formam quidem ipſam Marce fili, & tanquam faciem honeſti vides.* FACEM PRÆFERRE AD LIBIDINEM) *Cic.1. Catil. Cui tu adoleſcentulo, quem corruptelarũ illecebris irretiſſes, non aut ad audaciã ferrum, aut ad libidinem facem prætuliſti? Dicerem vnde natum eſſet hoc loquendi genus, ex quo ſcilicet more, niſi id ſatis per ſe appareret.* IVNGAT VVLPES) *Virgil. eclog.3.*

Qui Bauium non odit, amet tua carmina Maui,
Atq; idem iungat vulpes, & mulgeat hircos.

Duo prouerbia ſunt, quibus eſt locus in rebus apertè abſurdis. Nam quid abſurdius quam vulpes ad currum iungere, aut ab hircis lac petere? quod vtrumque recuſat

harum

harum animantium natura. Demonactes cum videret duos philoſophos æquè indoctos litigantes, & alterum proponentem quæſtiones ineptas atq; ridiculas, alterum nihil ad inſtitutum reſpondentem. O amici, inquit, an non alter horum vobis hircum mulgere, alter cribrum videtur ſupponere? Vtrumque fruſtra laborare & abſurdum eſſe ſignificabat.

PROGYMNASMA SEXAGESIMVMPRIMVM.

Immodica verecundia.

IIDEM.

ARETAEVS. Agamus etiam inter nos, quando ſumus otioſi, de pudore non probabili, qui verecundiæ, quæ μεσότης ſeu mediocritas eſt, perinde vt alterum extremum, impudentia ſcilicet aduerſatur. Æ. Idipſum abs te rogaturus eram; bene habet quod me anteuertiſti. Aſt ego auditoris & diſcipuli, quam diſputatoris partes malo obtinere. Mea enim doctrina exigua, & potius inſcitia eſt, ſi cum tua ſapientia conferatur. A. Nimis ſummiſsè ac modeſtè de te, nimis gloriosè & elatè de me. Quod igitur in quibuſdam herbis ſponte ſua è terra naſcentibus, idem quoq; in affectionibus vſu venire ſtatuendum eſt. Æ. Quò tu ire contendis, eò iam præuolat

uolat cogitatio mea. A. Etenim vt illæ non ſolùm agreſtes planè, atq; inutiles ſunt, verumetiam bonis ac frugiferis pernicioſæ, & inimicæ: & quemadmodum coloni nō ideo agrum eſſe malum ſeu macrum, quin potius pinguem ac fertilem iudicant, cum tales herbas effundat: ſic affectus nonnulli cum per ſe bonitatis nihil habeant, & malorum quorundam cauſſa ſint, nihilominus tanquam germina & ſymbola ſunt mentis bene cōſtitutæ, quæ à ratione culturam poſsit accipere. Huiuſmodi eſt pudor vitioſus, Græcis δυσωπία. Æ. Iſtud vocabulum enucleari velim; nimis enim leuiter græcas literas attigi, cuius me inertiæ pœnitebit, quoad mors mihi vitales animæ nodos è corpore ſoluet. A. Enucleabo, faciamq́; vt huius motionis naturam clarius perſpicias. Iuncta eſt vox ex particula δυς, & ὤψ. Hæc oculum ſeu aſpectum, illa autem aliâs quidem difficultatem, hoc loco non ſolùm difficultatem, ſed, vt ita dicam, impoſsibilitatē ſignificat. Nam δυσωπία nō tantum eſt difficultas præ pudore in eius vultūm intuēdi, qui aliquid abs te petat, ſed in eo ponitur quod eſt, non poſſe quippiam à ſe petentem contra aſpicere, qui ſit immodicè verecundus. Itaq; circuitio hæc, ſeu periphraſis, ad huius vocabuli notionem, originē atq; vim oſtendendam neceſſaria eſt: quæ minimè animum ſubeunt, cum hæc vox græca, ſeu vitioſus, ſeu immodicus, ſeu immoderatus pudor, ſeu vitioſa, immodica, ſtupida verecundia, vt vulgò, redditur. Ariſtoteles immodicè pudentes in Ethicis καταπλῆγας nominauit; qui ſcilicet ad omnia trepidant, & præ

pudore

pudore velut attoniti,perculſi,conſternati & ob-
ſtupefacti ſunt. Æ. Diſertè & apertè Græci no-
minis vim explanaſti, in quo ineſt magna quædã
ἔμφασις. Nec inuenuſta fuit illa,à qua diſputatio-
nem exordiri voluiſti comparatio. Nihil occurrit
quod aut interrogem,aut opponam : nec fortaſſe
deinceps occurret. A. Vtriuſq; faciendi libera ti-
bi poteſtas datur. Æ. Noui humanitatem , & in-
clinatam ad me erudiendum voluntatem tuam.
A: Quomodo porrò impudentes continenter ni-
miumq; fixè aſpiciendo animum pertinacem ac
rigidum;ſic ſtolidè verecundi nimium deiicien-
do vultu ſatis mollem ac muliebrem præ ſe ferũt,
ſuumq; morbum excuſantes , non dubitant eum
pudoris nomine cohoneſtare ; in quo quidem ab
impudentibus ſuperantur. Non eſt temperans, ô
boni viri,qui nihil edit aut bibit,quamuis intem-
perantiſsimus ſit,qui commeſſatur & vomit. Eo-
dem modo non eſt verecundus,qui neminem in-
tueri,neminem audet affari;quamuis ſit longè in-
uerecundiſsimus, qui vtrumuis ſemper,& vbiuis,
& apud quoſuis audet. Quamobrem & quod
ὁ ἀναίσχυντος, & quod ὁ καταπλὴξ committũt
vituperandum eſt;permiſcenda autem & tempe-
randa hæc duo,quò & à perpetuo intuitu proter-
uitas,& à nimia modeſtia mollities imbecillitasq;
tollatur. Æ. Verumenimuerò , cũ iſta δυσωπία
ſit velut herba noxia in ſegete,vt dixiſti,facilè po-
terit euelli. A. Non etiam ad hoc valet allata ſi-
militudo. Negotioſum eſt iſti malo curationem
admouere:tenera eſt ſiquidem & delicata pars a-
nimi, quæ ſuperuacaneo pudore concutitur &
quaſſa-

quaſſatur. Æ. Eſto quamuis tenera, quid tum poſtea? A. Agricolæ arbuſta, ſylueſtriaq́ germina exurunt, & radicitus extirpant, vitem aut oleam putaturi cautè manum applicant, formidantes ne quid ſanum reſecent. Ita medici cultoresq́ animorum philoſophi, cum iram, libidinem, inuidiam, cæterasq́ huiuſmodi peſtes veluti ſtirpes inutiles eximere volunt, poſſunt vulnus altum dare, ferroq́ & igni ſæuire, ſi non ſatis prudentes atque cauti ſint. Sed cum ab iſto de quo agimus vitio adoleſcentum animos deterrere, ſeu cum pudorem iſtum non ingenuum amputare inſtituunt, curandum illis, ne ſimul ingenuum amputent, eosq́ audaces præfractosq́ efficiant. Æ. Tamen inuenietur aliqua abs te medicina, vti ſpero. A. Inuenietur, tecumq́ communicabitur, ſi prius quæ incommoda ſeu detrimenta hinc inuehantur conſiderauerimus.

ANNOTATIONES.

QVÆ ΜΕΣΟΤΗΤΕΣ, SEV MEDIOCRITATES) *Ariſtoteles 2. de Moribus, poſtquam docuit virtutis vim omnem in mediocritate verſari, eſſeq́ μεσότητα, ſubiicit, etiam in quibuſdam affectionibus, vt verecundia et nemeſi, ſeu indignatione (has enim exempli loco ponit) quæ nimirum habitus atq́ virtutes non ſunt, mediocritates cerni: vt intelligamus in ipſis haud ſecus quam in virtute laudari illud medium, in quo ipſo conſiſtere traditur à Peripateticis. Ex quo patet,*

tet, non aliter atque in virtutibus extrema duo in iſtis permotionibus & affectibus inueniri; quorũ vnum cum defectione, alterum cum exuperatione coniunctum ſit. Cum igitur verecundia ipſa ſit medium, impudentia erit tanquam in fortitudine timiditas, & in liberalitate tenacitas, in defectu ſcilicet: δυσωπία *autem, ſeu vitioſus pudor velut audacia, & effuſio, quoniam non infra, ſed ſupra modum fertur.* Explicauit *iſta Ariſtoteles vocabulis, quæ Grammatici concreta vocant, ſic nempe. Atq; etiam in perturbationibus iisq; rebus quæ ad perturbationes pertinent, mediocritates inſunt. Verecundia enim non eſt illa quidem virtus, veruntamen laudatur is, qui verecundus eſt. His enim in rebus alius eſt medius is, quem modo diximus, alius qui modum ſuperat, tanquam obſtupefactus, atq; animo perculſus, qui in omni re verecundatur. Qui autem modum deſerit, quemq; nihil omnino pudet, impudens, medius autem ille pudens, ac verecundus dicitur.* IN QVIBVSDAM HERBIS SPONTE SVA) *Olitori interroganti, cur nã, quas ipſe herbas & olera ſereret, quantumuis curarentur diligentiſſimè, tardius tamen creſcerent, quæ autem ſponte naſcerentur, ea ſine vllis laboribus noſtris celeriter incrementa caperent, quid Æſopus, quamq; feſtiuè reſponderit,* Planud. *in eius vita.* GRÆCIS δυσωπία) *De verecundia Quinctil. lib. 12. cap. 5. Inuitus me hercule dico, inquit, quoniam & aliter accipi poteſt. Ipſam verecundiam vitium quidem, ſed amabile, & quæ virtutes facillimè generet. Ibidem de vitioſa verecundia his verbis.*

verbis. Verecundia eſt timor quidam reducens animum ab iis quæ facienda ſunt: vnde confuſio & cœpti pœnitentia, & ſubitum ſilentium. Quis porrò dubitet vitiis adſcribere affectum propter quem facere honeſtè pudet? Sed de his in ipſo dialogo hoc, & ſequenti pluribus diſputatum eſt. EVM PVDORIS NOMINE COHONESTARE) *Ita mos eſt hominibus, ſed mos improbus. Seneca ep. 45. Vitia nobis ſub virtutum nomine obrepunt. Temeritas ſub titulo fortitudinis placet, moderatio vocatur ignauia, pro cauto timidus accipitur. Sic apud Salluſt. in Coniurat. Cato. Hîc mihi quiſquam manſuetudinem, & miſericordiam nominat? Iam pridem equidem nos vera rerum vocabula amiſimus. Quia bona aliena largiri liberalitas, malarum rerum audacia fortitudo vocatur: eò reſpub. in extremo ſita eſt. Cic. quoque in Partit. Vitia imitantur virtutes. Nam & malitia prudentiam, & temperantiam immanitas in voluptatibus aſpernandis, &c. Plutarch. lib. quo quærit, grauioréſne ſint morbi animorum an corporum. Febrim nemo vocat ſanitatem, neque tabem quiſquam appellat bonam habitudinem, neque podagram pedum velocitatem, neque pallorem nominat ruborem: at iracundiæ multi fortitudinis nomen imponũt, amorem turpem amicitiæ nomine palliant, inuidiam æmulationis, timiditatem diligentiæ.* CVLTORESQVE ANIMORVM PHILOSOPHI) *Duplex eſt mors, vna omnibus notiſſima, cũ videlicet animus vinculis corporis aut naturali diſſolutione digreditur,*

tur, aut vi illata decedit, vt loquitur Arnob. lib. 1. Altera, cum idem animus à corporis commercio ſeuocatur, voluptatumq́ illecebras contemnens, affectibus ſeſe turbidis prorſus liberat. De hoc genere mortis in Phædone locutus eſt Plato, cuius ſententiam ſic explanauit Cic. Tuſcul. 1. Tota enim philoſophorum vita, vt ait idem, commentatio mortis eſt. Nam quid aliud agimus, cum à voluptate, id eſt, à corpore, cum à re familiari, quæ eſt miniſtra & famula corporis, cum à Repub. cum à negotio omni ſeuocamus animum? Quid, inquam, tum agimus, niſi animum ad ſeipſum auocamus, ſecum eſſe cogimus, maximeq́ à corpore abducimus? Secernere autem à corpore animum, nihil quidquam aliud eſt, quàm emori diſcere. Explanat eandem copioſè Macrob. in ſom. Scip. lib. 1. cap. 13. Hinc puto intelligi ſatis, quamobrem cultores animorum philoſophi à nobis dicti ſint; quoniam in docenda hac morte, quæ ad animum pertinet, quæq́ illum verè viuum reddit, ac vegetum, occupantur.

PROGYMNASMA
SEXAGESIMVM SECVNDVM.

Damna, quorum auctor vitioſus pudor.

IIDEM.

ARE-

ARETAEVS. Intempeſtiua hæc verecundia ab eruditis ſcriptoribus in eo potiſsimè collocatur, cum quis trepidat & percellitur animo in omnibus, nullã petitionem à ſe repellere, nihil recuſare, nunquã contradicere poteſt: ne ſcilicet vt durus, inhumanus, & inexorabilis per ora traducatur. Hic pauor, difficile narratu eſt, quam multa inconſultò & dicendo & faciendo peccare homines compellat, & quam ingentem aditum feneſtramq́ cupiditatibus ac facinoribus multis aperiat. Æ. Vt miſerum eſt inde lædi, vnde laudem & commodum exſpectabas? A. Certè miſerum. Pudor moderatus cuſtos eſt pudicitiæ; immoderatus eiuſdẽ aliquando corruptor ac proditor, & dum veretur blandientibus, rogitantibusq́, & omnia pollicẽtibus repugnare, ipſe expugnatur, intemperantięq́ ſeruitutẽ turpiſsimam ſeruit. Æ. In adoleſcentiam & mulieres hæc dicis, vt opinor. A. In eos cum primis: nihilominus etiã in viros, quos, eſt quando pudoris pudet. Æ. Qui nam? A. Quia mutuum dant, à quibus ſe data recepturos parum ſperant. Quia fidem ſuam interponunt, pro quibus minimè vellent. Quia concedunt annos, quibus nec triduum cõcedendum putant. Sed audi mirabiliora. Memorant quoſdam hiſtoriæ veteres, qui cum venena ſibi miſceri, necemq́ parari ſuſpicarentur, præ ſtulto & nimio iſto ac pernicioſo pudore ſibi cauere nõ ſunt auſi. Æ. Heu, cadit in quenquam tantum ſcelus? Quiſquam ſe aut tam inſipienter diligere, aut tam grauiter odiſſe poteſt? A. Exempla Dionis, Antipatri, Herculis, Alexandri & Barſines filij

apud Plutarchum libello περὶ δυσωπίας tu ipſe leges, vbi volueris. Æ. In hoc ordine numerandos duco quos audiuimus, cum eſſent Catholici, factos ebrios iuſiurandum dediſſe ſodalibus ac ducibus Lutheranis, ſeſe comites ipſis in caſtra aduerſus Eccleſiam Catholicam ituros. Res iureiurando ſancita eſt, inquiebât, ſeruanda eſt fides. At hi magnoperè à vero, longéq; erraſſe videntur, maleq; Ciceronem legerant, qui promiſsis eiuſmodi nõ eſſe ſtandum, quæ plus nocent promiſſori, quàm proſint ei cui ſunt promiſſa prudenter monet. Quis autem non intelligit, ſcientem ac volentem afferre interitum defenſoribus veritatis, cum ſcelere mortifero copulatum eſſe? præ pudore igitur pacta iniqua reſcindendi, animas ſuas iſti quodammodo interficiunt. A. Bellè tibi concluſa eſt ratio. Poſsim etiam oſtendere, quàm impudenter in eroganda, collocandaq; pecunia verſentur, quam ſæpe conferunt in indignos: timent enim ne præparci, aut neſcio cuius rei obliti exiſtimentur, & ita opprobrium vitare moliuntur. Quomodo item, cum in afflicta valetudine non audent quem norunt peritiſsimum accerſere medicum, ne vel familiaribus, vel medico familiari diſpliceant. Cum filiis eos magiſtros præficiunt, non qui ſunt valde idonei, ſed qui id ab ipſis enixè contenderunt, aut quos alij commendarunt. Cum in iudicio non diſertiſsimos, & rerum forenſium quam ſcientiſsimos, ſed amicum aliquem, aut amici nepotem cauſſam agere ſuam, & litem perorare ſinunt. Ac reliquas quidem libidines vbi ad rem collatæ fuerint pœnitudo

nitudo ſequitur: hîc ipſis factis conglutinata eſt. Æ. Nempe quia nec dat, nec accipit, nec fert opem, nec obſequitur, nec laudat, nec vituperat, nec promittit demum aliquid ὃ καταπλήξ, quin mox illum redarguat, & fodicet animus. Ecquid ſatis aſſequor tuum ſenſum? A. Satis. Diſcruciantur, inquam, dum exercent vitioſitatem ſuam, cùm, ſi rectè facerent lætarentur potius: nam honeſta facta gaudium, turpia dolor comitatur. Quid verò mali, vnum non poſſe omnia? ſi non potes omnia, cur promittis tamen omnia? ſi qua in poteſtate noſtra, & viribus æqua fuerint, ſi cum honeſtate conſenſerint, in iis operam officiumq́ noſtrum aliis nō pudore impulſi, ſed ſponte præſtemus. Æ. Nam hoc ipſum ita iuſtum eſt, quod rectè fit, ſi eſt voluntarium, inquit Cicero. A. Fit præterea in pudore vitioſo, quod in cæteris illaudatis affectibus fieri experimur. Nam vt ibi ſequuntur, quę per illos effugere laboramus: vt ambitionem ignominia, voluptates dolor, mollitiem labor, immodeſtum vincendi ſtudium vinci ac ſuperari: ſic immodicè pudentes, à quibus ſibi cauebant, in ea ipſa dedecora incurrunt. Æ. Dum vitant ſtulti vitia, in contraria currunt. A. Petit quiſpiam à me iniuſtum aliquid, ego præ verecundia non recuſo: alius, ad quem iniuria pertinet, me in ius vocat. Promiſi pecuniam quam non habebam: exigit à me cui promiſi, mendacij redarguor. Et cætera ad eundem modum.

ANNOTATIONES.

PER ORA TRADVCATVR) *Ne vulgi fabula fiat, vt Tibullus ait. Ne perueniat in ora vulgi, vt Catullus. Nam hoc non modo in factis honeſtis, ſed etiam inhoneſtis dici poteſt, vt poëta ille dixit: perinde vti apud Græcos* περιβόητον εἶναι. *Vide plura apud Victorium lib.8. cap. 10.* FENESTRAMQVE CVPID. AC FACIN. MVLTIS APERIAT) *Terent. Heaut. Hui quantam feneſtram ad nequitiam patefeceris? In partem deteriorem ſcilicet valebit hoc prouerbium, & ſignificabit occaſionem ad improbitatem, ac veluti anſam porrigere. Sed in bonam quoque illa, aperire ianuam, fores, pro rei alicuius initium præbere, & veluti aditum patefacere, qualiſcunque ea ſit.* VNDE LAVDEM, ET COMMODVM) *Auguſtum Imp. dicere ſolitum ſcripſit Tranquillus cap. 25. Minima commoda non minimo ſectantes diſcrimine, ſimiles hamo aureo piſcantibus, cuius abrupti damnum nulla captura penſari poßit. Sic iſti ineptè maleque verecundi, ne apud vnum ſint in offenſa, ne putentur inhumani, & inurbani, pudorem & innocentiam à ſe repellunt. Dolet & plorat caßita Æſopi, ſe, cum nec aurum ſurripuerit cuiquam, nec argentum, nec rem aliam pretioſam, ob vnum & paruum tritici granum laqueo captam vita ſpoliari.* QVÆ PLVS NOCERE PROMISSORI) *De promißis hæc præcepta accepimus 1. Off. à M. Tullio,*

quo

quo loco de iuſtitia ſeruanda diſputat. Si quod promiſſum & conuentum, vel ei cui promiſſum ſit, vel ei qui promiſerit ſit inutile ſi efficiatur, ne præſtemus. Huc adhibet quod de Neptuno & Theſeo ſuper interitu Hippolyti in fabulis eſt. Multò minus ſi plus tibi promiſſa noceant, quam illi proſint cui promiſeris, contra officium erit, maius anteponere minori. Conſtituiſti te alicui aduocatum in rem præſentem venturum, interim grauiter ægrotare filius incipit: magis ille diſcedat ab officio qui ſe deſtitutum queretur, quam tu, ſi, quod dixiſti, non feceris. Quid ſaltatrici puellæ, & impiæ Herodiadi caput Baptiſtæ amputatum proderat? At Herodi, ô Deum immortalem, quantum id nocuit? Sed propter iuſiurandum & ſimul diſcumbentes rex egregius noluit puellam contriſtare. Hem pudorem neceſſarium. Alterum præceptum hoc eſt, nos illis promiſsis, quæ coacti metu, aut decepti dolo promiſerimus non teneri. Addendum tamen, niſi Sacramentum interceſſerit, resq́ mala & cum peccato aut cum incommodo maximo coniuncta non fuerit. NON QVI SVNT VALDE IDONEI) *Si rudibus indoctisq́ doctoribus commiſsi fuerint, dimidio ſtultiores redibunt, quam acceſſerunt, eruntq́ poſtea dedocendi prius quod malè didicerint, quam doceantur quod eos rectè diſcere oportuerat.*

PROGYMNASMA SEXAGESIMVMTERTIVM.

Duplex curatio huius vitij.

IIDEM.

ÆDVMENVS. Manifeſtiſsimè cognoui, quæ, qualia, quamq́; multa damna importet vitioſa verecundia. Quanquam enim tu pauciora percenſuiſti, ego tamen ex his reliqua cōiicio. Nunc quod medicamētum iſtis ægrotis ſalutiferum credas, audire ſtudeo magnoperè. A. Ratio & exercitatio medicinam afferre debent hoc morbo implicitis. Æ. Fuſius iſta quæſo. A. Docendus eſt, quem hic ſtupor oppreſsit, quemq́; velut captiuum coërcet hęc inſania, ſe affectu nocenti, ac propterea inhoneſto præpediri: nihil quippe idem honeſtum quod noxium. Quantum porro noceat, ſatis ex antegreſſa diſputatione perſpectū eſt. Et illa incōmoda cum exemplis inculcanda & obtrudēda ſunt huiuſcemodi hominib⁹. Æ. Nihil dubitauerim, quin hæc ratio apud eos momentū ac pondus habitura ſit, quādoquidem vnuſquiſq; ſuorū incommodorum (vbi ea intellexerit) eſt oſor maximus. A. Perutile quoq; fuerit, non pauca illuſtriū proborumq́; virorum dicta et reſponſa mandaſſe memoriæ, quæ inſtātibus nobis, & ad indecoras actiones vrgentibus obiiciamus. Exempli cauſſa. Phocion Antipatro: non potes me ſimul amico vti & adulatore. D. Petrus, opor-

oportet, inquit, Deo magis obedire quàm hominibus. Locus hic peramplus eſt, & innumera ſuppeditabunt reſponſa in omni petitionum iniquarum varietate, ſi quis vel modicè antiquitatem, & ſacros item Chriſtianorum annales euoluerit. Æ. Recordor nonnullorum, quæ ſubiicerem, ſi docendi magis quàm diſcendi partes ab initio ſuſcepiſſem. Nunc, cur ego & ineptus ſim, & in mare aquam? A. An tu me omnium ſæculorum memoriam geſtare cenſes in pectore? Multa quidem ego audiui, multa vidi, multa legi, at non multa memini Ædumene. Quare licet oblitum moneas, ſi vti ignorantem docere me non vis. Æ. Perſequere cœpta, mecum de iſto conuenire nihil potes. A. Etiam per exercitationem à vitioſo pudore nos vindicabimus. Æ. Nimirum? A. A paruis, vulgaribus ac minutis capiendum eſt principium, in quibus nimirum difficilè non ſit rectis aliquem oculis contra intueri, & flagitantibus negare, ne deſit quod maiora petentibus reſpondeamus. In cœna ſatis cum biberis, adhuc propinat tibi aliquis nec paruum calicem; nihil inepto pudori concede, excuſa te & recuſa, aut ſummo ore attinge. Prouocat te quis ad luſum aleæ: quamuis ſcias te petitũ iri dicteriis, ne lude. Si vocere timidus idcirco, reſponde; fateor me timidum, in his quæ honeſtatis ſunt aliena. Incidiſti in loquacem, qui te complexus retinet: ſermonem tuum abſolue, & veniam præfatus diſcede. Eiuſmodi recuſationes in minoribus adhibitę, ad maiora nos condocefaciunt, atq; ad repellẽdum deponendumq́; inutilem pudorem præparant. Sic Diogenes ob-

ambulans in Ceramico à ſtatuis flagitabat ſtipem. Id cum alij mirarentur, ego, inquit, in hoc me exerceo, vt aſſueſcam æquo animo fruſtrari poſtulatis. Æ. Quid cum interdum laudant alij, quod nobis non videtur laudandum? Vt in conuiuio citharœdus indoctè canit, aut in theatro ſcenicus actor ſiniſtrè ſuas partes agit, plaudũt alij & commendant. Quid ego faciam, ne cogar erubeſcere? A. Audi cum ſilentio, ne laudaueris ſuprà quam tibi videatur. Si hoc nõ potes in alienis, quid cum amicus inconcinnè & illepidè ſcriptam orationem, ſi carmen inconditum tibi oſtenderit? Vlulabis cum lupis, & cum reliquis adulatoribus laudabis, quod laudem non meretur. Quod ſi non potes laudare vitioſa, idq́; in paruis rebus, dic mihi, quomodo in magno ac ſerio negotio offendentem audebis reprehendere? quomodo Rempub. aut Imperium non rectè adminiſtrantem admonebis? Æ. Quam commune ac latè patens malum, arridere ridẽtibus, laudare cum laudantibus, & cum reprehendentibus reprehendere, quæ in animo aut non ita probes, aut non ita improbes? A. Hoc ideo, quod latiſsimè regnat, & multorum eſt pudor vitioſus, quem nos, ſi ſapimus, omni ſtudio contentionéque fugiamus. Æ. Fugiamus.

ANNOTATIONES.

OPORTET DEO MAGIS OBEDIRE) *Pericles, cum amicus quiſpiam eum rogaſſet, vt in cauſſa ſua falſum iuraret: oportet, inquit, me amicis commo-*

commodare, ſed vſq; ad aras: olim quippe iurantes manu aram tangebant. Monemur, ne propter hominem Deum offendendum, & ſalutem noſtram prodendam putemus. Quantum verò, & quibus in rebus declinatio concedatur ab officio amicorum cauſſa, diſſerit Gellius lib. 1. cap. 3.

LVSVS.

PROGYMNASMA SEXAGESIMVMQVARTVM.

Ludendum eſſe.

PATRVVS, NEPOS.

PATRVVS. De re luſoria, mi nepos, complura ſciſcitatus es, vtpote hæc. Vtrum eſſet ludo vtendum. Quomodo eſſet ludendum. Quis tenendus in ludendo modus. Quænam putarem eſſe officia ludentium. Qui ludi auerſandi. Quæ genera honeſtorum luſuum. Nunquid hęc ipſa, & tot capita fuerunt, quæ mihi ad reſpondendum propoſuiſti, an vitio ingraueſcentis ætatis quippiam mihi excidit? eſt enim obliuioſa ſenectus. N. Nihil ſanè, hæc quinq; petebam, vt mihi explanares, iterúmque peto, mi Patrue. Fac vt quomodo aliâs non rarò, ita hodie quoque doctior abs te diſce-

diſcedam. De tuis innumerabilibus in me officiis hoc erit gratiſsimum. P. Ingenuo prorſus, prudentiq́ꝫ & honeſtatis ſtudioſo adoleſcente digna eſt petitio tua. Quare, tametſi aliud habebam in manibus quod agerem, tamen commoditates, quas ex mea diſſertatione adepturum te confidis, meis quantiſcunque occupationibus non inuitus anteponam. N. Meus animus viciſsim erga te is erit ſemper, quem tu iure poſtulaueris, & quem eſſe decet: nec in omni vita mihi tam erit res vlla propoſita, quam vt laborum in me tuorum metere poſsis fructum. P. Noui indolem tuam, ſcio ingenium. Ad rem ergo propius. Cum ex duabus differentibus naturis compactus homo concretusq́ꝫ ſit, ex animo, inquam, & corpore, quorum illum cum cœleſtibus, hoc commune cum belluis habemus, ſi quis ſecum reputare contemplariq́ꝫ velit, qualis vtraqꝫ effecta, quibus inſtrumentis & virtutib⁹ à ſapientiſsimo artifice inſtructa & condecorata ſit, non aliter profectò iudicabit, quàm non ad exigua quædam ſed magna; non ad leuitatem, ſed grauitatem; non ad otium, ſed ad laborem; non ad ludicras, ſed ad ſerias excellentiæq́ꝫ ſuę pares actiones genus humanum eſſe procreatum. Etenim ſi tam nobiles animantes ad edendum, bibendum, ad iocandum ludendumq́ꝫ tantummodo, neqꝫ ad alium quendam eumq́ꝫ nobiliſsimum finem ille rerum opifex cõdidiſſet, meritò fruſtra generati videremur. Deus autem temerè nihil facit. N. Dictis tuis vehementer affinia ſunt, quæ apud Naſonem Metamorphoſeωn lib. 1. extant de dignitate hominis. Tametſi vates

ille fabulis de Chao & Prometheo veritatem inquinauit. P. Illos verſus innuis.

Sanctius his animal, mentiſq; capacius altæ
Deerat adhuc, & quod dominari in cætera poſſet.
Natus homo eſt. & quæ ſequuntur.

Hos verò potiſsimùm.

Os homini ſublime dedit, cœlumq́; videre
Iußit, & erectos ad ſidera tollere vultus.

N. Reuera hos ipſos. Ac miror equidem memoriam tuam; nihil quippe recito ex poeta, oratore, hiſtorico, græcum latinúmue, quin tu locum & auctorem ſcias, ipſa verba denique. P. Non æquè fidelis eſt amplius, vt fuit abhinc annis decem, & quindecim. Nam cum illa ex animi partibus infirmiſsima ſit, tum primo in eam ſenectus incurrit, & memoriola vacillare γεροντικώτερον eſt, ait ad Att. Cic. Cæterùm cũ ita generati ſimus quemadmodum dixi, tamen in perpetuis atque continentibus corporis animiq; laboribus ac functionibus verſari haud poſſumus, defatigamur, exhaurimur, frangimur. Neq; enim credo è lapidibus Deucalionæis, nec (quod Euander de veteribus Latij incolis apud Maronem narrat) è truncis & duro robore extitimus. Mens item ex adamante confecta nobis non eſt: ſuam ipſa quoque laſſitudinem perſentit. Inſuper hoc æui quod degimus permultis moleſtiis cinctum, variis incommodis maliſq; circumſeptum, ac permiſtum eſt. Nec extat (vt ex Euripide conuertit Tullius) mortalium quiſquam, quem nõ attingat dolor. Quare niſi interdum remitteremus, & oblectaremus

animum,

animum,corpuſq́ꝫ reficeremus,& inſtauraremus, durare quî tandem poſſemus? plus virium poſt relaxationem afferimus, & acriore viuacioréque impetu ad intermiſſa reuertimur. N. Tibi penitus nemo refragabitur: Haud quidquam immoderatum diuturnum, nedum ſempiternum. Et verè Ouidius.

Otia corpus alunt, animus quoq; paſcitur illis;
Immodicus contra carpit vtrumq; labor.

P. Ipſa rerum parens & conſeruatrix natura viciſsitudinem quietis & laboris ad ſalubritatem corporum,& remiſsionem vigorem'q́ꝫ animorum inuenit, quæ noctem diei, ſuauitatem ſomni vigiliæ ſuccedere voluit.

Tempus erat quo prima quies mortalibus ægris
Incipit, & diuûm dono gratiſsima ſerpit.

Agri quoq́ꝫ, quamuis fructuoſiſsimi, niſi alterna quiete & vacatione ad fruges fœliciter efferendas reparentur,languent,vim'q́ꝫ omnem paucis annis amittunt. Auiculas etiam ad habitandum, propagandam'q́ꝫ ſtirpem ſibi ſimilem nidos videmus fingere atq́ꝫ conſtruere,eaſdem poſtquam aliquid effecerint, leuandi laboris cauſſa paſsim ac liberè ſolutas opere volitare per auras. Simillimè item animi noſtri ſtudiorum exercitationibus, cæteris'q́ꝫ molitionibus ſuis defeſsi, puſillũ laxamenti ſibi dare, & cura poſita, ac ſollicitudine laborum omni relicta geſtire, & quodãmodo volitare debent. Atqui laxamentum nullum melius, nulla quies exſpectatior,nullum otium optabilius, nec animo corporique conducibilius, quàm vbi ad proba-

probabile aliquod ludendi genus cum ſociis æqualibusq́ꝫ deſcenditur. N. Quapropter tandem? P. Ibi inprimis ſumma voluntatum concordia, ibi amicitia, ibi ſermones hilaritatibus ac ſalibus redundantes, tempeſtiui riſus, fruſtrationes miræ, incredibilis fortunę varietas, prę miorum dulces appetitus. Quæ omnia quantam pariant delectationem, quis tam hebes, quis tam craſſo ſub cœlo natus, qui non animaduertat? N. Attamen illud dabis nihilominus, in ludo ſæpius concitari iurgia, exiſtere inuidiã, & aliquando luſores in ſe ſe mutuis plagis debacchari. P. Hominibus liberalibus iſtæc indecora ſunt, de quibus poſtea diſſeremus. N. Cum neceſſarium videatur dare ſe nonnunquam iocis & luſibus, neſcio quomodo eos in hominibus auctoritate eminentibus, & ſapientia conſpicuis vix ſatis probare poſſum. Quamobrem tu me doceas oportet, hos eorum perſona non eſſe indignos. P. Quid audio? indignos? nihil (niſi aberrem à ianua) erit quoquam alienum atq́ꝫ indignum, quod communi naturæ conueniens & congruum iudicatur. At tu fortaſſis exempla deſideras, quo magis perſuadeare. N. Hoc eſt, & vt elicerem ea abs te, qui me pungebat ſcrupulum hunc meum detexi. P. Recenſebo noſtratia primum, deinde externa & ea antiqua. Habet enim vt in ętatibus auctoritatem ſenectus, ſic in exemplis antiquitas, ait Cicero. N. Recenſe. P. Ioannem Euangeliſtam ferunt ſenio iam oppreſſum, aliquando viſum à viatore ſedentem in loco ſolo, & cum perdice luſitantem. Viator cum cerneret caniciem, & viri ſanctimoniam

non

non ignoraret, mirari, ac irridere etiã, velut otio tempus terentem. Cum porrò humeris arcum ſuſpenſum portaret, age, inquit B. Ioannes, intende arcum: intendit. Debilitabitur, & inutilis reddetur. Excepit Euangeliſta; Sic nos, niſi ieiuniis, precationibus aliisq; noſtris laboribus quietem & iucunditatem interponamus, perſeuerare in inſtituto nequimus. An ſimilitudo hæc ad refutationem idonea non eſt? N. Immò etiam, & irriſorem probe refellit. P. D. Lucas animum laſſum pingendis imaginibus recreabat. Poſſem recentiora producere, ſed malo vetera. N. Habes in promptu Romana? P. Habeo. De Auguſto Sueton. cap. 3. Eum cum minutis pueris luſiſſe ocellatis, nucibusq;. De ſocero ſuo M. Scęuola L. Craſſus apud Ciceronem toties ſe audiſſe commemorat, cum is narraret Lælium, qui ſapiens eſt cognominatus, ſemper ferè cum Scipione ruſticatum, eosq; incredibiliter repueraſcere ſolitos, cum rus ex vrbe tãquam è vinculis euolauiſſent. Non audeo, inquit, de talibus viris dicere, ſed tamen ita ſolet narrare Scęuola, conchas eos, & vmbilicos ad Caietam, & ad Laurentum legere conſueuiſſe, & ad omnem animi remiſsionem ludumq; deſcendere. De ambobus item Horatius.

Quin vbi ſe à vulgo, & ſcena, in ſecreta remôrant
Virtus Scipiadæ, & mitis ſapientia Læli:
Nugari cum illo, & diſcincti ludere, donec
Decoqueretur olus, ſoliti.

M. Cato, quam grauis, quam magna opinione vir? ille optimus orator, optimus ſenator, optimus Impe-

Imperator cum vernis, id eſt, ſeruorum paruis liberis iocabatur. Ad Græcos tranſeo. Cum pueris & ſeruitiis ſuis luſiſſe ſcribitur Archytas Tarentinus. Heraclitus Epheſius, is qui aſsiduò flebat, aſtragalis ſeu talis quî potuit ludere? Luſit tamen, quod literis extat. Hoc Democritum ſemper ridentem decuiſſet. Socrates philoſophorum pater ab Alcibiade aliquando cum Lamprocle etiamnum puſillo puero ludens inuentus eſt. Ageſilaus Lacedæmoniorum Rex cum filio paruo equitauit in arundine. Cum verò à prætereunte rideretur, ipſe renidens; heus tu, inquit, ſile nunc quidem, factus verò ipſemet quoque pater, enuncia iſtuc patrib⁹, quod aſpexiſti. Hercules qui orbem terrarum fama nominis ſui impleuit, quanquam monſtris debellandis, & certaminibus duris atq; magnis obeundis eſſet intẽtiſsimus, nihilominus relaxabat animũ, ſæpiúsq; cum puerulis ludebat. Quin Euripides ipſum ita loquentem introducit.

> παίζω, μεταβολὰς γὰρ πόνων ἀεὶ φιλῶ.
> *Ludo, namq; laborum amo viciſſitudinem.*

N. Haud pauca percenſuiſti exempla, quibus confirmaſti, quod argumentis ante perſuaſeras: nunc ad alterum caput ſermonem transfer.

ANNOTATIONES.

MI NEPOS) *Propriè & abſolutè qui ex filio filiáue natus eſt. Alioqui addendum, ex fratre, ex ſorore. Nepos meus ex fratre, &c. Nepotes item ſunt nequam diſſolutíque homines, qui ſuas facultates profun-*

dunt, & abliguriunt. Dicti autem non à nepa ſerpente, quæ deuorat omnes fœtus ſuos præter vnum, ſed ex eo, quod pueri patre mortuo in aui tutelam venientes tales fermè euadunt, propter eorum indulgentiam. Inducimus autem adoleſcentem & ſenem: illum vt diſcipulum, hunc vt magiſtrum. Nam vt adoleſcentibus bona indole præditis ſapientes ſenes delectantur, leuiorq́; fit eorum ſenectus, qui à iuuentute coluntur & diligũtur: ſic adoleſcentes, ſenum præceptis gaudent, quibus ad virtutum ſtudia ducuntur. Cic. EX ANIMI PARTIBVS INFIRMISSIMA) *Plin. lib. 7. cap. 24. Nec aliud eſt æquè fragile in homine, morborum & caſus iniurias atq; etiam metus ſentiens, aliâs particulatim, alias vniuerſa. Ictus lapide oblitus eſt literas tantum. Ex præalto tecto lapſus, matris & affinium, propinquorumq́; cœpit obliuionem. Alius ægrotus, ſeruorum etiam: ſui verò nominis Meſſala Coruinus orator.* E LAPIDIBVS, QVOS VACVVM) *Inde* λαοὺς *à* λᾶος *lapis dictos volunt, quaſi lapidum genus. Virgil. 1. Georg.*

Deucalion vacuum lapides iactauit in orbem:
Vnde homines nati, durum genus.

Vide Ouid. 1. Metamorph. RERVM PARENS ET CONSERVATRIX NATVRA) *Lucretius epitheton, creatrix, frequenter naturæ tribuit. Rerum natura creatrix. Et eſt, vbi omniparentem vocat. Cicero matrem rerum omnium, & communem parentem.* ILLE OPTIMVS ORATOR, OPTIMVS SENATOR) *Plin. lib. 7. cap. 27. Addit, quater & quadragies*

cauſſam

cauſſam dixiſſe: nec quenquam ſæpius poſtulatum, & ſemper abſolutum. At P. Craſſus Mutianus quinque habuit rerum bonarum maxima & præcipua; quod eſſet ditiſsimus, quod nobiliſsimus, quod eloquentiſsimus, quod iuriſconſultiſsimus, quod Pontifex Maximus. Gell. lib. 1. cap. 13. De bonis & fœlicitate duorum Metellorum Plin. lib. 7. cap. 43. & 44. ARCHYTAS TARENTINVS) *De Hercule, Socrate, Ageſilao, Archyta qui cum pueris luſitarunt Ælian. lib. 12. cap. 15.* IS QVI ASSIDVO FLEBAT) *Seneca libro de Tranquillitate animi, cap. 15. comparans horum philoſophorum, Heracliti inquam, & Democriti inter ſe facta ſic ſcribit. In hoc itaq; flectendi ſumus, vt omnia vulgi vitia non inuiſa nobis: ſed ridicula videantur: & Democritum potius imitemur, quam Heraclitum. Hic enim quoties in publicum proceſſerat, flebat; ille ridebat. Huic omnia quæ agimus, miſeriæ: illi ineptiæ videbantur. Eleuanda ergo omnia & facili animo ferenda. Humanius eſt deridere vitam, quam deplorare. Adiice, quod de humano quoq; genere melius meretur qui ridet illud, quam qui luget. Ille ſpei bonæ aliquid relinquit: hic autem ſtultè deflet, quæ corrigi poſſe deſperat: & vniuerſa contemplatus, maioris animi eſt qui riſum non tenet, quam qui lacrymas: quando leuiſsimum affectum animi mouet, & nihil magnum, nihil ſeuerum, nec ſerium quidem ex tanto apparatu putat.*

PROGYMNASMA SEXAGESIMVMQVINTVM.

Tempus, & modus ludendi.

IIDEM.

PATRVVS. Modeſtiæ ac temperantię munus antiquiſsimum eſt, coercere moderariq́ voluptatis appetitum. Quo fit, vt in eius explanatione, cum officia traduntur, de ludo etiam & ioco præcipiendum videatur (ſiquidem voluptates ſunt) quando illis vti fas ſit, & quatenus. N. Perlubens de vtroque te diſputantem auſcultauero; tua enim oratione nihil eruditius; nihil etiam, (nec id auribus do) limatius atque facundius. P. Ludo perinde vti conuenit vt medicina, vt ſomno, vt quietibus cæteris. N. Strictim tu quidem & ſummatim. Sed explica quod inuoluiſti, amabo te, mi Patrue. P. Quis appetit quietem, & cuinam ea dulcis eſt? N. Ei opinor, qui multum laborauit. P. Quis ſomno ſuauiſsimè fruitur? N. Cui laſsitudo omnia membra tenet, cuíque medullam perbibit, qui Plauti ſermo eſt. Tunc enim verè feſſos ſopor irrigat artus. P. Medicinam porrò qui expetunt? ſanine, an morbum vel habentes iam, vel metuentes? N. Et qui ægrotant, & qui ſe ægrotaturos timent, accerſunt medicos. P. Sic ludus iocusq́ tum eſt haud aſpernandus, cum grauibus ſeriisq́ rebus, officióque noſtro ſatiſfecerimus; quam rem fatigatio animi & corporis conſe-

conſequitur, quibus ſuccurrendum eſt, velut medicaminibus, velut ſomno, velut quietibus aliis. N. Teneo quando ludendum: de modo ſeu menſura quæro. P. Inter ludendum immoderato impetu motuq́ animi turbulento abſtinendum eſt; vt ſcilicet ne nimis omnia profundamus, elatiq́ voluptate in turpitudinem aliquam delabamur; in lites, in inimicitias, in vulnera, in cædes etiam. Nam quia nec pueris quoties volunt ludendi poteſtatem, nec quoduis ludendi genus concedimus, ſed id, quod ab honeſtate nō recedat, oportet profectò in adoleſcentum quoque, non virorum ac ſenum iocis ludisq́ duntaxat ingenuitatis, modeſtiæ, honeſtatis lumen elucere. N. Non igitur eos commendares, qui frequenter totóque pectore ad luſum incumbunt. P. Quis id quidem poſsit? qui crebrò ludit, non indiget ludo, quoniam cauſſam ludendi non habet, de qua ſupra diximus, & voluptatem tantummodo conſectatur, quod ἐπικούρειον eſt. Qui autem ſe profundit & immodeſtus eſt, modum ac limitem tranſit, & vterque fit intemperans. Illud antiquum; ne quid nimis, hîc quoque ſeruandum eſt. N. Iam, ſi placet, de officiis ludentium age, nam hoc deinceps ſequitur, vt puto. P. Eſt quemadmodum putas, ſequitur.

ANNOTATIONES.

LVDO PERINDE VTI) *Præcipit ita Cicero 1. Off. vbi agit de temperantia. Nos locum vberius*

aliquanto vt tractaremus, anniſi ſumus. Res quidem videtur haud ita magni momenti de ludo præcipere; veruntamen non parum ètiam in iſto genere peccari poteſt, quod cum ex hiſce paucis progymnaſmatis noſtris, iiſque breuiſsimis aliquantum animaduerti vel à rudioribus poterit, tum illi facillimè iudicabunt, qui in omni morum commoditate & elegantia perdiſcendæ tempus ac ſtudium poſuerunt. Quin autem crebrius ludendum ſit pueris, quam natu maioribus nemo dubitat, & ignoſcendum etiam magis illi ætati propter infirmitatem conſilij, quam adultæ. Horatius ad Piſon.

Reddere qui voces iam ſcit puer, & pede certo
Signat humum, geſtit paribus colludere, & iram
Colligit, ac ponit temerè, & mutatur in horas.

QVIS SOMNO SVAVISSIME) *Perfugium videtur omnium laborum & ſollicitudinum ſomnus: at ex eo ipſo plurimæ curæ, metusq; naſcuntur.* Cic. 2. de Diuin.

PROGYMNASMA
SEXAGESIMVMSEXTVM.

Officia ludentium.

IIDEM.

PATRVVS.

PATRVVS. Quæ dicturus ſum, eorum aut pleraque, aut omnia à paucis obſeruari autumo. N. Credo equidem, nec vana fides, & ideo ipſorum luſus laude carent. P. Qui pertinaciam adhibent, qui fraudibus luſores circumueniunt, rixantur, mentiuntur, illi ad imponendas viciſsim graues iniurias ſeſe armare quodammodo, extimularéque videntur: nemo ſiquidem fallaciis, dolis, conuitiis, contumacia ſecum agi vult, & longè præſtat vinci, quam vincere huiuſmodi artibus. Sicuti Socrates affirmabat, meliores eſſe qui acciperent quam qui facerent iniuriam. Et Plutarch. Non tantum egregium eſt ſcire vincere, ſed etiam poſſe vinci pulchrum eſt, vbi victoria eſt damnoſa. N. Pueri, in quibus exiſtere ſolet inſatiabilis victoriæ cupiditas, ægrè deuitant hæc vitia, & difficillimè ſibi temperant, quin alternatim decipiant, aliquid inter ſe litigij contrahant, vanitatem orationis adiungant; & ira exuperante (quam comprimere propter animum, qui eos regit infirmum, non poſſunt) vnguibus in faciem inuolent. P. Quædam officij præcepta debent ac poſſunt tradi quamuis pueris, quæ ſi non ſeruent, virgarum pœnis ſubiiciantur. N. Expertæ virtutis remedium hoc eſt, pellendíſque puerorum morbis efficax. P. Qui ludicrorum certaminum arbiter & iudex deligetur, ei ſententiam ferenti aduerſari ac reclamare non oportet. Si quando cum ſodalibus imperitioribus ludum ſuſceperimus, cóſque propemodum ſemper vincere poſsimus, cogitatò cedemus illis non-

nunquam triumphum, vt ſe quocꝫ nonnihil profeciſſe cum putauerint, fiant alacres, & nos alacriores reddant. N. Id obſeruaui cum coæuis meis puer ſæpius, & nunc cum adoleſcentibus adoleſcens obſeruo. P. Optimum eſt. N. Tamen quo quiſq; imperitior eſt, hoc illi amplius à ludo refugiendum exiſtimo.

Ludere qui neſcit, campeſtribus abſtinet armis,
Indoctusq́ꝫ pilæ, diſcíue, trochíue, quieſcit,
Ne ſpiſſæ riſum tollant impune coronæ.

P. Immo enimuero tanto magis lude, quoniam niſi vſu & exercitatione peritia non acquiritur. Ille tantum ludere vereatur, qui nihil didicit. N. Reſponſione tua ſum contentus. P. Ingenuum eſt, magis animi, quam lucelli cauſſa ludere: quod cum quæritur, difficile eſt tueri modeſtiam. Lucrum nunquam ſatiat; atque adeo plus eſt in ea appetitione frangenda negotij. N. Non ergo laudas, cum pecunia in ludo deponitur, quam victor ſibi tollat. P. Non laudo. Quod ſi pueri nummulos deponant, multandos verberibus pronuntio. N. Quamobrem verberibus? P. Nam cum ij defecerint, parentibus furantur denuo, vt ſumptus in ludum ſuppetant. Nuces, globuli, & ſimilia ſint pro quibus certent. Non errant, qui indolem puerorum in ludo perſpici ſcripſerunt. Ego verò etiam viros inde cognoſci aio, & commendatione proſequendos, qui ſemetipſos continere norunt, & quidquid illiberale eſt, remis ac velis fugiunt. N. Fortior

eſt

eſt qui ſe,quam qui fortiſsima vincit. P. Optarem adeſſe ludis puerorum pædagogos, magiſtros, aut maiores natu, quos reuereri & metuere cogerentur: vt proinde nihil parum decens, nihil petulans & pœna expiandum committerent. Illud itēm à quibuſdam rectè præcipitur, vt dum ludunt, latinè loquantur, certa in eum animaduerſione decreta, qui vulgari ſermone vſus fuerit. Hanc ad rem conducet plurimum, ſi Præceptores vocabula ſimplicia, & loquendi rationes ac phraſes, ad quodcq; ludi genus pertinentes ipſis explicauerint & dictauerint. N. Nuſquam æquè barbarè inquinateq; loquentes audio pueros noſtros, quam inter ludendum: vt non tam imperandus illis, quam vetādus ſit latinus ſermo. Vtilius enim tacere omnino, quam adeò fœdè garrire dicam, an grunire? P. Quid mirum? nemini ſollicitudini eſt, vt propriè ac Romanè loquātur. N. Video in multis admonendos ac docendos ipſos doctores. P. Cæci cæcos ducunt. N. Aliáne reſtant officia? P. Etiam, reſtant quædam. N. Eia, adiunge. P. Vt ludas cum notis. Etenim cum ignotis ludere, nec iucundum eſt, nec tutum. N. Vti affirmas, ſic eſt omnino. P. Sint item colluſores belli, humani ac probi, cum quibus periculum non ſit ne litiges; ne aut illi tibi, aut tu illis dicas, quod altius in pectus deſcendat; quiq; deuotionibus, blaſphemiis, & obſcœnis dictis abſtineant, ne quid contagionis ad te perueniat. Ipſum præterea ludi genus tibi, colluſoribus ſpectatoribusq; ſit cognitum, vt ex omni parte voluptas capiatur. Nec nulla ſponſione, nec magna ludito.

 Illud

Illud fatuum eſt, hoc ſollicitat & perturbat animum ludentis,&,ſi victus fuerit, magnopere excruciat. N. Neſcio quomodo mœrori eſt vel nuces,vel ligulas paucas ludẽdo perdidiſſe, nedum vitulam,quæ bis venit ad mulctram, binos alit vbere fœtus. P. Poſtremo tamdiu ludes, donec animum ad grauiora & ſeria reparatum ſentias. Non enim ad ludum & iocum, ſed ad ſeueritatem potius, & ad quædam ſtudia grauiora atque maiora facti ſumus, vt præclarè dictum eſt à Cicerone. N. Relinquitur iam(vt erat propoſitum) quartum quæſitum, qui luſus minimè exercendi. P. Commemini.

ANNOTATIONES.

QVo diſtinctius omnia explicarentur, meliusq́ memoria tenerentur, cum potuiſſem hoc progymnaſma cum ſuperiore parum longo connectere,ſeparaui tamen. Id quod aliâs ob eandem cauſſam à me factum ſtudioſi intelligant. Nec in verbis autem,nec in rebus quidquam eſt annotatione magnopere dignum. Habent non minus Magiſtri quam pueri quod ex hoc dialogo diſcunt. INSATIABILIS VICTORIÆ CVPIDITAS)*In pueris,inquit Cic.5.de finib.vt in ſpeculis natura cernitur. Quanta ſtudia decertantium ſunt? quanta ipſa certamina? vt illi efferuntur lætitia cum vicerint? vt pudet victos? vt ſe accuſari nolunt? quam cupiunt laudari? quos illi labores non perferunt, vt æqualium*

lium principes ſint? &c. ADESSE LVDIS PVER, PÆD. MAGIST.) *Cic. 1. Off. cum de adoleſcentum officiis agit. Atq; etiam cum relaxare animos, & dare ſe iucunditati volent, caueant intemperantiam, meminerint verecundiæ: quod erit facilius, ſi eiuſmodi quoq; rebus maiores natu intereſſe velint. Ergo tum hac, de qua diximus, tum aliâ quoq; de cauſſa vt vult Cic. ſeniores adoleſcentum luſibus intereſſe conuenit.*

PROGYMNASMA SEXAGESIMVMSEPTIMVM.

Luſus auerſandi.

IIDEM.

PATRVVS. Verecundum ac liberaliter eductum adoleſcentem ab illis luſibus refugere oportere, quibus infamiæ nota inuſta eſt, ex antegreſsis diſputationibus diſci potuiſſe opinor. N. A quibus iſtis? P. Alearum ſiue teſſerarum, & chartularum pictarum. Latrunculorum ludum (vulgò ſcachorum) inuenio damnari ac reiici à nonnullis, quanquam vſitatiſsimus eſt, placetq; multis, de quo Hieronymus Vidas poëta eruditus & elegans libellum fecit. Nihil aiunt habere iucunditatis, conſtare quidem ingenio, ſed ideo literatis minus idoneum, quod mētem ſtudiis iam defatigatam, magis ceſſatione recreare, quam nouo me-

uo meditationis labore grauare oporteat,& tempus, quo nihil ſit pretioſius, ea ludi vanitate ineptè conſumi: eſſe inuentum hominum nimis inertium,& ab otioſiſsimis frequentari. Hæc illi dicunt. N. Quod tuum eſt iudicium? P. Ego rem in medio relinquo: caret certè ignominia,& principibus etiam viris non improbatur. N. De alea velim aliquanto vberius diſſeras. P. Aleæ ludus à Palamede Nauplij filio apud Troiam in caſtris ad militum otium oblectandum excogitatus putatur. Quidam hunc Palamedem latrunculorum auctorem prodiderunt. Plato ſcribit Theut priſcum quendam Deum talos & aleas inueniſſe. Herodotus autem lib.1. Lydiis hoc inuentum tribuit. Interdictum olim huncce ludum Romæ fuiſſe indicat Horatius.

ludere doctior
Seu Græco iubeas trocho,
Seu malis vetita legibus alea.

Vlpianus quidem lib. Pandect. X. titulo de aleatoribus, eiuſmodi Prætoris edictum producit. *Prætor ait; ſi quis eum, apud quem alea luſum eſſe dicetur, verberauerit, damnúmue ei dederit, ſiue quid eo tempore domo eius ſubtractum eſt, iudicium non dabo. In eum qui aleæ ludendæ cauſſa vim intulerit, vti quæq; res erit, animaduertam*: Illud, *Vim inferre*, Paulus Iureconſultus ſic interpretatur. Cogere ad luſum vel ab initio, vel victi dum retinent. Sapientibus & literatis viris ſemper odio fuit hic ludus. Plato adoleſcentem aleam ludentem videns cum increpa-

creparet, & ille: ob rem tam paruam me obiurgas? At conſuetudo non eſt res parua, ſubiecit Plato. Nolebat vir ſingularis in conſuetudinem veniri ea in re, quam iudicabat vitioſiſsimam. Nunquámne audiſti illud: Optimus aleator eſt nequiſsimus? Et illud: Quanto melius, tanto peius? N. Millies. P. Cum impudicis & ventri deditis coniungit aleones Catullus, vt ex ſocietate hominum præſtantiam perſpicias.

Quis hoc poteſt videre? quis poteſt pati,
Niſi impudicus, & vorax, & aleo?

Et Næuius apud Feſtum: Peſsimorum peſsime, audax, ganeo, lurco, aleo. Cicero item 3. Off. Cum mendacibus, furacibus, ebrioſis aleatores nominat. O genus luſorum nobiliſsimum. Quid talibus audacius, quid impudentius, quid in Deum atq; homines execrationibus iaculandis exercitatius? Domitianus Imperator, quoties occupationibus ſe relaxaſſet, ludebat teſſeris. Vſq; adeo cæteræ iucunditates illi ſordebant. Nero immanis illa bellua, in ſingula puncta, neſcio quot aureorum millia conſtituiſſe dicitur. O aleam pretioſam, vereq; auream & argenteam. Fuge, mi fili, hoc turpiſsimum genus ludendi, ſi quidem ex re conſultas tua. N. Et fugi, & fugiam quaſi peſtem quandam. Qui præter hos vitandi ſunt? P. Sortium ac diuinationum, quibus letalis noxæ piaculo homines obſtringuntur; homines inquã malefrugi, quos illa recreant. N. Non poſſum quin exclamem. Facile hîc plus mali eſt, quam illic boni. P. Funambulos, geſticulatores, duellatores, moriones in ordinem aleonum referre licet.

licet. N. Supereſt vltimum caput. P. Id cum abſoluero, nihil amplius debuero. N. Nihil ſanè.

ANNOTATIONES.

MENTEM STVDIIS IAM DEFATIGATAM) *Qui ſic ludunt, iј ludo quem ad remittendum, non ad intendendum animum inuentum conſtat, abuti videntur. Nec tamen poſtulamus, vt omni prorſus agitatione mentis curaq́; vacent ludentes, tanquam ſi catuli beſtiolæq́; inter ſe luſitarent. Vehementiorem cogitationem attentionemq́; altiorem prohibemus: vbi videlicet, qui ſe ad ludum dederunt, alium aſtantem fabulari, aliosq́; interim colloqui non patiuntur, ne ipſorum diſtrahantur animi, & ipſi, veluti ſi mathematicis figuris & numeris occuparentur, defixi cogitationibus perpetuò ſilent.* ALEÆ LVDVS) *Pro inſtituto noſtro dicta ſunt multa ſatis in aleam. Qui plura cupit, legat cap.4.lib.2.apud Iunium, in quo etiã multa de talorum iactu. Ad quoduis periculum ſignificandũ vox alea vſurpatur. Hinc aleam iacere eos dicimus, qui periculo ſe committunt. Iurecos. emere aleam dicuntur, qui incertæ rei futuræ ſpem emunt, vt captum piſcium, auium, &c. Aleatores etiam, qui ſeſe quocunq; ludendi genere fortunæ varietati audent committere; & ita pecunias, tempus, aliquando vitam quoque amittere.* DOMITIANVS IMPERATOR) *Afferat aliquis etiam muſcas ſtilo præacuto configere bone-*

honeſtum eſſe, quoniam id egregius hic Imperator factitabat, vt ſupra in dialogo quodam retulimus. Luſit & Cato aleam, & Auguſtus, & Claudius Imp. qui teſte Sueton. cap. 33. etiam librum de hac arte edidit. Item Artaxerxes vt refert Plutarchus. Theodoricus autem Gothorum rex cum in alea vinceret, indulgentiſsimus erat. Quare ea tempora ad promerendas gratias domeſtici captabant, ſicut cum Veſpaſianus in balneum iret. De Curio aleatore Crinit. lib. 24. cap. 14.

PROGYMNASMA SEXAGESIMVM OCTAVVM.

Genera luſuum.

IIDEM.

PATRVVS. De pilæ ludo diſſeramus primũ. N. Hoc mirificè capior. P. Delectati ſunt eo Alexander Macedo, Iulius Cæſar, Auguſtus, M. Antonius, Alexander, Seuerus, Domitianus, omnes potentiſsimi Imperatores, multiq; philoſophi, & illuſtres viri, in quibus etiam Scæuola Iuriſconſultus ille antiquus nominatur. Commendatus à quamplurimis doctiſsimisq; ſcriptoribus, & olim à ſenatu Romano approbatus eſt. Galenus librum de eodem compoſuit, in quo vt animo & corpori vehemenrer idoneum commendat. Lib. 2. περὶ ὑγείας inter celeres exercitationes

tationes reponit. In hoc non modica voluptate mens afficitur, ingenium & animaduerſio excitatur, corpus æqualiter exercetur, oculi, caput, manus, pedes cum celeritate dexteritateq́ꝫ mouentur, vt in eo luſu etiam palæſtrę artificium appareat, quod affirmat in primo de Orat. M. Tullius. Vox ipſa dilatatis arteriis clarior efficitur, & melior. Sunt autem huius genera complura, de quibus dicere non eſt huius loci nec temporis. N. In poſterum ero longè ſtudioſior pilæ, poſtquam tu eam tantis laudibus ornaſti. P. De calculis, ſiue latronum, latrunculorúmue luſu Martialis in apophoretis.

Inſidioſorum ſi ludis bella latronum,
Gemmeus ille tibi miles & hoſtis erit.

Vocitatur hoc nomine, quod antiquitus latrones dicti ſunt conductitij milites, ἀπὸ τοῦ λατρεύειν quod eſt inſeruire, quia nimirum in bellis ſeruiebant mercede. Varro tamen dictos eos à latere vult, quaſi laterones, vt qui circum latera erãt regi, atque ad latera ferrum habebant. Ab eoq́ꝫ, inquit, veteres poëtæ nonnunquam milites appellant latrones, aut, vt poſtea ſubdit, quod latent ad inſidias faciendas. Eſt in ludis etiam equitatio, piſcatio, aucupium, deambulatiuncula, pictura. Hoc poſtremo genere qui vtetur, meminerit pingere quæ aſpicientem prouocant, & alliciunt ad honeſtatem, non ad dedecus atq́ꝫ flagitium, ſicut illi pſeudeunucho apud Terẽtium contigit. Suauiſsimus item eſt ludus Muſicus, cum duo, tres, quatuor aut plures in eundem locum coëuntes,

vel

vel vocibus, vel fiſtulis, vel fidibus, vel his omnibus permiſtis ſimul concinunt. Quæ autem canentur verba & ſententiæ, honeſta ſint, non amatoria, aut ſcurrilia, vt ex iis quæ Madrigali vocantur quam plurima, nec omnis doctrinæ expertia. N. Non ipſis modo canentibus, verùm audientibus quoque iucunda eſt muſica, & qui canunt, & quibus canitur, vtrique ſumma voluptate fruuntur. Ecquid etiam feſtiua & faceta colloquia in recreationibus numeras? P. Quid ni? ſed in his ſermonibus ad hilarandos animos inductis tenendum eſt Ciceronis præceptum. N. Quodnam? P. Duplex omnino eſt iocandi genus, inquit in 1. Off. vnum illiberale, petulans, flagitioſum, obſcœnum: alterum elegans, vrbanum, ingenioſum, facetum: quo genere non modo Plautus noſter & Atticorum antiqua comœdia, ſed etiam philoſophorum Socraticorum libri referti ſunt, multaq́ue multorum facetè dicta. Facilis igitur eſt diſtinctio ingenui, & illiberalis ioci. Alter eſt, ſi tempore fit, ac remiſſo animo, libero dignus: alter ne homine quidem, ſi rerum turpitudini verborum adhibeatur obſcœnitas. N. Ludum attuliſti quem non quiuis poſsit ludere, quia doctorum ingenioſorumq́ue hominum. P. Non inficior. N. Qui ſunt præterea? P. Ludere etiam conſueuimus orbiculis ligneis, aut æneis, ſuper longa & anguſta menſa. N. Hîc ego dux milesq́ue bonus. P. Et trudiculis, ſeu globis æneis in crates quaſdam ſuper menſam impellendis ludimus. N. Et hoc noui. P. Sphæras quoque ligneas per annulum ferreum impellimus. N. Et iſtuc. P.

Puerorum planè ſunt, globulorum, nucum, turbinis, trochi, par impar, item epoſtraciſmus. Turbinis luſum venuſtiſsimis verſibus latinorum poëtarum ſignifer in 7. Æneidos deſcribit, cum furorem Amatæ Reginæ depingit.

Tum verò infœlix ingentibus excita monſtris,
Immensùm ſine more furit lymphata per vrbem.
Ceu quondam torto volitans ſub verbere turbo,
Quem pueri magno in gyro vacua atria circum
Intenti ludo exercent: ille actus habena,
Curuatis fertur ſpaciis, ſtupet inſcia turba,
Impubesq́ manus mirata volubile buxum,
Dant animos plagæ, &c.

Tibullus quoq; lib. 1. eleg. 5. hac vſus eſt ſimilitudine.

Namq; agor vt per plana citus ſola verbere turbo,
Quem celer aſſueta verſat ab arte puer.

N. Quid eſt epoſtraciſmus? P. Quo teſtulam aut lapillum tenuem, & latum ſuper fluminis æquor humo tenus inclinati diſtringimus, & ſaltus quos edit priuſquam deſidat, numeramus. Ille victor euadit, cuius lapillus plures ſaltus ſaltauerit. N. Iam recordor; neque hic mihi inuſitatus fuit. P. Deditus fuiſti admodum luſibus; nunc tanto ſtudio æquum eſt te ad literas incumbere. N. Non patiar quidquam in me deſiderari. Deus faciat, vt tibi pro tuis in me benefactis pretium aliquando poſsim reddere.

ANNO-

ANNOTATIONES.

DE *ludo calculorum, ſiue latrunculorum, talorum, teſſerarum, aleæ, pilæ, aliiſq; nonnullis, quibus frequentius Romani & exteræ nationes vterentur, legendus Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 21. cum annotationibus Tiraquelli.* NON EST HVIVS LOCI) *Solebant luſitare pila paullò ante balneum, vel dum hypocauſta & ſudationes caleſierent. Vide Turneb. cap. 4. lib. 6. Vbi & illa explanantur, datatim ludere, datores, factores. Item raptim, expulſim ludere, & ſuram dare.* AD DEDECVS ATQVE FLAGITIVM) *Propert. lib. 2. eleg. 6.*

Quæ manus obſcœnas depinxit prima tabellas,
Et poſuit caſta turpia viſa domo,
Illa puellarum ingenuos corrupit ocellos,
Nequitiæq; ſuæ noluit eſſe rudes.

PVERORVM PLANE SVNT) *Enumeramus aliquot genera luſuum puerilium, quibus adde quod olim exerceri ſolitum tradit Rhodigin. lib. 18. cap. 9. cum videlicet pueri ficus, aut vuarum acinos in ſublime iactabant, eoſq; ore patente excipiebant. Et qui apud Italos muſca cæca vocatur, nec Germanis ignotus, de quo Victor. lib. 15. cap. 16. Cætera enumerare nihil attinet: non enim docemus ludere, ſed honeſtè ac iucundè quomodo ludendum ſit præcipimus.*

PROGYMNASMA SEXAGESIMVMNONVM.

Colloquium feſtiuum.

BENIGNVS, SEVERVS, IVLIVS, APOLLONIVS.

BENIGNVS. Deambulare nunc propter ſpurciſsimam tempeſtatem ineptum atque inſanum eſſet. Ob eandem cauſſam in ſphęriſterio pila palmaria, aut globis per annulũ ferreum ludere non datur. Nos verò luctatores, pugiles, ſaltatores, palæſtritę non ſumus. Neque curſu ſaltem contendere poſſumus, cum ſtadium deſit. Quo igitur ludo, ô ſodales, potiſsimùm hoc tempus traducemus? S. Cantu muſico. En tibi quatuor cantores, qui numerus ad plenam communemq́ſymphoniam ſufficit. Ecce Orlandinas cantiones. I. Ego raucesco, non aduertiſtis? & iam pridem non cecini quidquam. A. Miſer, vix libaui muſicen, ſæpe hæreo & erro. Citharœdus ille rudis apud Æſopum exemplo me ſuo terret. Nam cum in domo camerata, & calce illita ſæpius caneret, ſibiq́ placeret admodum, iudicauit ſe quoque in theatrum prodire cum artificio ſuo poſſe; quo progreſſus cum malè caneret, à populo lapidibus appetitus & fugatus eſt. Idem metuo ne mihi indocto ac rudi inter vos veſtriq́ ſimiles eueniat; domi meæ ipſe mihi canto & placeo.

ceo. B. Symphonia diſcors ſi paullùm ſummo diſceſsit, vergit ad imum, ait Flaccus. Quare mauult non cani quam diſcordi concentu, & voce inſuaui, qualis raucorum eſt: ne aures cum non delectentur, radantur etiam. Exiſtimo autem Iulium imitari velle Indum ſagittarium, qui etiam per annulum longius diſtantem ſagittã mittebat; tam excellebat in ſuo artificio. Hic cum fuiſſet ab Alexandro Magno captus in bello, iuſſus eſt coram rege artis ſuæ ſpecimen dare. Recuſantem rex præcepit interfici. Cũ igitur ad necẽ adduceretur, dixit carnificib⁹ & lictorib⁹, ſe longo interuallo non exercuiſſe artẽ, ideoq́; timuiſſe ne erraret. Quod vbi Alexandro renunciatum eſt, vita & munere donatum dimiſit, quoniam non contumacia, ſed ignominiæ metu imperium Regis perſequi noluiſſet. Sic noſter Iulius, cum ſit alioqui voce canora & ſuaui, artisq́; ſcientiſsimus, ne de collecta gloria effundat aliquid, canere iam non aggreditur. I. Tu quidem me honoris cupidiorem facis, quam ego me eſſe ſentio. Verùm cantum in aliud tempus differamus. Repete, amabo, his auditoribus hiſtoriam vnam ex iis, quas nuper mihi cum grauiter me haberem domi meæ narraſti. B. Tu ipſe repetas licet, ſiquidem ex me iam audiuiſti. I. Multò melius & diſertius tu, & ego propter rauim haud abſque moleſtia loquor. A. Prome aliquid Benigne, vnde rideamus. S. Ego idem rogo; vide ne ſit impudentiæ & inhumanitatis trium preces contemnere. B. Audite igitur, quod mihimet vir grauis, ac fide dignus retulit. Maximilianus Imperator Caroli Quinti auus, Auguſtam Vindelico-

rum conuentum Principum indixerat ad comitia. Quo tempore non vos præterit, quam diuerſis è locis, quàm multi nobiles viri ad eas ciuitates ſe conferant, in quibus illi conuentus aguntur. Tum quoq; dant ſibi viciſsim epulum Principes & illuſtres Satrapæ ac Dynaſtæ. Verſabatur per eos dies Auguſtæ, ſycophanta quidam graphicus, incertum cuias fuerit, qui ſe pro nobili gerebat, cultu pęne regio, & torquatus incedebat, aliquos ſeruulos & pediſequos ſibi adiunxerat. Hic nobilis in omnibus Principũ dominorumq́; conuiuiis apparebat, ventrem ſuum, vt paraſitus, vbiq; paſcebat, & quaſi mus alienum cibum edebat; nec ſcire quiſquam poterat quis eſſet, aut qua dignitate, aut cui Regi ſiue Principi ſeruiret: tam callidè veniebat & diſcedebat, omniaq́; ſua diſsimulabat; in quo ipſum non parũ mentiendi quædã dexteritas, & lingua verſatilis adiuuabat. Serui eiuſdem menſæ æmuli, & quaſi in eodem ludo docti erant. Aliquando nobiles aliquot viri ex cõpoſito hunc menſarũ aſſeclam huiuſcemodi verbis adoriuntur. Tu à prandiis cœnisq́; noſtris nũquam abes, in quibus tuorum ſermonũ feſtiuitate nos multum recreas. Num æquum tibi non videtur, vt ad te quoq; pranſum veniamus? Hic ille vaferrimus & dolis inſtructiſsimus, & ad quæuis reſpõdere paratiſsimus, ſereno ac ſubridente vultu: Quid verò, inquit, mihi aut gratius, aut honorificentius poſsit accidere, quã ſi tales viri ſuo me aduentu dignũ arbitrentur? Venite, ſi placet, craſtina luce ad decimã: in illa platea domũ conduxi, ſignum eſt huiuſmodi antę ædes. Interea famulos

docerę

docere quid agerent, quo pacto ſibi quam ſcitiſſimè doctiſsimeq́ꝫ inſeruirent. Nobiles illi viri, nihil dum ſuſpicantes etiã mali, nec ſcientes ſibi fucum fieri, poſtridie veniunt, domum ingrediuntur: iſte ad primum limẽ occurrit, amiciſsimè eos prior ſalutat, ſingulis dexteram porrigit, oculis, toto vultu, (quem in quemuis habitum formare poterat facillimè) voce & verbis denique teſtatur ſibi ipſorum præſentia nihil iam pridem eueniſſe carius. Rogat, vti certo in loco, ad quem eos ducebat, tantiſper conſidere, & exſpectare velint, donec in interiore domo omnibus commodè paratis diſcumbatur; id mox futurũ. Quid multa? aſsidet, varios ſermones texit, homineſq́ꝫ mira humanitatis ſignificatione ac renidens demulcet. Famuli hinc inde per domũ diſcurrere ſolliciti, valdeq́ꝫ in ſpeciem occupati. Hic ſæpe nũc iſtum, nunc illũ nominatim ad ſe vocare, ac neſcio quid ad aurem eis inſuſurrare, quod inuitati ad ſplendorem ac magnificentiam cõuiuij putarent pertinere. Quin illi quocꝫ vltro ad dominum accedere, & cũ eo coniungẽtes caput ſecretò fabulari. Ille, bene eſt. Item, cura vt quam primùm. Et, caue bis quidquam omittas. Atq́ꝫ hæc omnia voce clara; Rurſuſq́ꝫ ad nobiles cõuerti, eos rogare, ne quid ex hac mora moleſtię traherent, iam iam accubituros. Nonnunquã famulos prætereũtes obiurgare vt ſegnes, & quærere quando tandẽ parati forent; nunquid ad veſperum exſpectandũ eſſet? iterum hoſpites orare, ne ægrè paterẽtur moram, & iratum ſe cocis miniſtriſq́ꝫ oſtendere. Tandem vocatis mora nimis longa videri, & vultu iratiore ſignũ dare. Ille blandiſsimè; extremùm vos oro,

 inquit;

inquit;non putaui ſanè mihi famulos eſſe tam inertes,vindicabitur in eos, non impunè habebunt tarditates iſtas. Tum verò repentè ſeruus meditatus aduolat, anhelus & perturbatus, ad aurem domino immurmurat aliquid. Is altum trahere ſuſpirium,& ingemiſcere,mutatoq; repente vultu ſupra modum exalbeſcere,& oculos in terram deiicere,ipſo etiam reliquo corpore dolorem inſolitum prę ſe ferre. Illi,quid eſt domine,quid eſt? quid te conturbat? Ah,accepi nuntium. Illi,quem nũtium? ingratiſsimum. Inſtant viri; indica, forſitan medebimur dolori tuo. Cum tergiuerſaretur dedita opera, & illi premerent (quod irriſor cupiebat,vt tanto verius appareret,quod dictum eſſet)heu,inquit,fideliſsimus atque optimus ſeruorum meorum iam iam peſtilentia in cubiculo extinctus mihi nuntiatur, ô me infelicem. Hoc illi audito, vehementer, vt pár eſt,metu contagij expalluerunt, ſubitoq́; ac ſine vlla cũctatione, ne ſalutato quidẽ homine ex ædibus ſe foras eiecerunt,ac domum ſuam quiſq; velut ex orto incendio proripuerunt. S. I. A. Ha ha he. S. O lepidiſſimum prandium. A. O verſutum caput. B. Poſt illum diem cum prima luce ex vrbe exceſsit. A. Cautus fuit,proſpexit & cõſuluit rationibus ſuis. Fuga tutiſsimum præſidium poſt maleficium. S. Ciuilius aliquanto illuſit vmbris ſuis Philippus Alexandri pater. B. Narra quæſo. S. Inuitatus erat ad cœnam, cumq́; inter eũdum plures haberet amicos obuios, ſecum eos duxit. Hoſpes turbari, qui ſciret tam multis non fore ſatis, quod apparauerat. Philippus vbi hoc ſenſit,puerum ad ſingulos amicos mittit, monet clam, vt placentæ

ſeruent

ſeruent locum. Illi credentes, placentamq́ expectantes, parciſsimè appoſitis veſcebantur. Ita contigit, vt cœna modica omnibus quamuis multis ſuffecerit. Facetè & hoſpitis pudori ſubuenit, & amicos deluſit. I. Multa huius regis argutè, iocosè, grauiter, moderatè & vrbanè dicta factaq́ referuntur, ex quibus duo in præſens occurrunt. In palæſtra prolapſus, cum ſurgens in puluere vidiſſet corporis veſtigium. O Deum immortalem, inquit, vt minimam terræ partem natura ſortiti, orbem appetimus vniuerſum. Hoc ſi filio hæſiſſet animo, non potuiſſet Iuuenalis ſcribere

Vnus Pellæo iuueni non ſufficit orbis.

Cum apud Cheronæam Athenienſes prælio fudiſſet, ne eius victoriæ gloria ſeſe inſolentius efferret, iuſsit puerum in dies ſingulos ad ſe adire in lucis exortu, & ter iſthæc verba pronuntiare. Philippe, homo es. Nec verò quenquam prius ad ſe accedere patiebatur, nec quoquam prodibat, quam id à puero audiuiſſet. Sed tu Apolloni, tu Seuere nũ diſcedetis ἀσύμβολοι? Afferte aliquid. A. Ego nihil memini, niſi factum ruſtici; ſi vos ruſtica facinora delectant, exponam; & id pro vtroquẽ noſtrûm, me & Seuero, nam id ipſi gratum fore auguror. S. Gratiſsimum. A. Auorum noſtrorum memoria ferunt extitiſſe agricolam, ſed ingenio tamen paullò minus agreſti & ruſticano, prope etiam vrbano & ciuili. Hic cum miro deſiderio teneretur cognoſcendarum ſacrarum literarum, biblia ſibi emit, eaq́ tam ſtudioſè legit, vt magnam partem ſumma memoria pronuntiaret. Cum autem ventitare in vrbem vicinam ſoleret,

&pro re nata cum ciuibus diſputare de diuinis rebus, tandem aulicis quoque notus ac familiaris euaſit, & per eos Principi commendatus eſt, quem ille magna ſæpe cum voluptate diſſerentem audiebat. Aliquando igitur facetè quæſiuit ex Principe ruſticus. Quæro, inquit, Illuſtriſsime domine, cum apud Prophetam dicat Deus, cœlum & terram ego impleo: ſi ei veſtis eſſet conficienda, quot panni vlnis putas fore opus? ingens ſiquidem eſt cœli terręq; capacitas, quam ille ſe implere profitetur. Riſit Princeps. Quid tu tam ridicula quæris? aut quis hoc ſcire queat? Tum ille, ego verò mihi videor poſſe dicere. Audiamus, inquit, inſulſum aliquid. Hîc ruſticus; non indiget Deus ad veſtem amplius ſex vlnis. Qui dum? quia, in ſacro Euãgelio dixit ipſemet; quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Ego autem ſum minimus eius, &, vt vides, tunicam gero detritam & laceram, eſtque mihi opus ad nouam ſex tantum vlnis panni. Itaq; iube obſecro tuo mihi ſumptu veſtem fieri, & Deo ipſo feciſti. Summopere hilaratus hoc lepore Princeps ille, ita faciam ait; appellatisq; miniſtris, curate, inquit, huic optimo homini veſtem panno ſingulari, quantouis pretio fieri, de meo ærario: nam argumento id peropportuno à me impetrauit. Quam vellem ſodales optimi, huius ruſtici ſimiles haberemus non ruſticos? B. Nihil hac narratiuncula feſtiuius.

ANNOTATIONES.

CITHAROEDVS ILLE RVDIS) *Idem quod fabella hæc docent prouerbia. Meſſe tenus propria viue.*

viue. Et, tuo te pede metire. Ne ſcilicet putet quiſquam ſe illum eſſe qui non eſt, aut maiorem eſſe quam eſt, in quocunq; genere. SYCOPHANTA GRAPHICVS) *Sycophanta ſi vocem ſpectes eſt accuſator & oſtenſor eorum qui furantur ficus, vt docet Feſtus. Quod quoniam res parua eſt, capitur vox etiam pro calumniatore in rebus paruis, & ſycophantiæ pro calumniis. Item pro impoſtore & impoſturis, vt videre eſt apud Plautum Trinumo, Pſeudolo, Perſa. Vide etiam Turneb. lib. 11. cap. 5.* QVASI MVS ALIENVM CIBVM) *Querimonia Ergaſili paraſiti de ſe, ſuaq; natione famelica nimirum hæc eſt in Captiuis.*

Quos nunquam quiſquam neq; vocat, neq; inuocat.
Quaſi mures, ſemper edimus alienum cibum.

Sic in Perſa.

Pater, auos, proauos, abauos, atauos, tritauos,
Quaſi mures, ſemper edere alienum cibum.

Hinc Diogenes, cum aſpiceret mures ad menſam ſuam ſubrepentes; facetè. En tibi, inquit, etiam Diogenes paraſitos alit. Mures porro primos ſentire ruinam vetuſtis ædificiis imminentem, ac propterea migrare, ſcribit Ælian lib. 1. cap. 11. Victor. lib. 17. cap. 5. HOC SI FILIO HÆSISSET ANIMO) *Comparat filium cum patre Iuſtinus lib. 9. ad finem. Sunt & hæc de vtroq; apud Tullium lib. Off. 1. Philippum quidem Macedonum Regem, rebus geſtis, & gloria ſuperatum à filio: facilitate verò & humanitate video ſuperiorem fuiſſe. Itaque alter ſemper magnus; alter ſæpe turpiſſimus fuit: vt*

rectè

rectè præcipere videàntur, qui monent, vt quanto ſuperiores ſumus, tanto nos geramus ſummiſsiùs.

PROGYMNASMA SEPTVAGESIMVM.

Ludus lapidum orbiculatorum ad metas.

BASILIVS, CAROLVS, DANIEL, EVSEBIVS.

BASILIVS. Quid hic ſeſsitamus & marcemus otio? quin aggredimur ad ludendum? quandoquidem ea nobis à Doctore facta eſt copia. C. Id ipſum in pectore volutabam meo, quomodo hunc diem ludis iociſq; conderemus, & mirabar te quieſcere tam diu potuiſſe, qui luſorum alpha ſis, & qui nunquam æquè beatus tibi videare, atq; cum ludo das operam. D. Ludamus cum hilaritudine. E. Et quem ludum? nam ad victoriam non parum apud me intereſt: neque enim trecentis in generibus exercitatum me poſſum affirmare. B. Nucibus ludamus, ſi vultis. D. Immò pila. Quid ait Carolus? C. Neutro, ſed par, impar, idq; aut aciculis aut globulis. E. Si me audiatis, optimam formam reperi. D. Nempe tibi optimam. E. Et vobis, ſi peritè luſeritis. B. Dic ſodes. E. Iactus lapidum ad conum, ſeu metam probatur mihi ante omnes. C. Qua cauſſa? E. Viſi-

tatiſsimus eſt candidatis literarum, exercet corpus,& caſui non eſt tam ſubiectus,quam alij:nam artificio quodam contorquendus & emittendus eſt lapis, ſi geſtias vincere: caſus vel nunquam vel perrarò te adiuuabit. B. Fiat, petamus ſcopum iaciendis lapidibus:vos pro ſe quiſque lapides deligite,ego hunc mihi rotundando accommodabo. D. Lapides quidem ſat multi, at inepti, at nimis aſperi,at magni & inæquales. B. Quin tu me imitaris, vt ego lapicidam pulchrè imitor? C. Hui, quam elegantem & appoſitum inueni?E.Inuideo tibi:nihilominus quod tu à lapide,id ego à dextra mea ſumam. B. Adeſte oculis, iam ego experiar meum. E. Perbene cadit. C. Metas depangamus. Tu hanc Euſebi;ego iſtam. D. At enim,quot paſſibus vnam abeſſe placet ab altera? quo interuallum néue nimis breue, néue nimis longum ſit? hoc etenim incommodo eſt debilioribus, illud valentibus. B. Quindecim paſſus mei interſint, niſi aliud videatur. C. Agedum,metire ſpacium. B. Vnus,duo,tres,quatuor,&c. D. Quinam erunt ſodales inter ſe? E. Mox ſciemus. Iacite ſinguli; metæ proximi ſodales ſunto, remotiores ſimiliter.Ego pręibo.Quod Deus bene fortunet. B. Sequor. E. A me ſtabis,bonum omen victoriæ.Daniel & Carolus ſociabuntur ſibi. D. Quid ſi metam attigero? B. Non attinges. D. Velis nolis,attigi.Iam tu cede mihi partes tuas Baſili. C. Si ab vltimo incipias,patet me primum fore. E. Ita eſt, ſodalis meus eſt Daniel,tuus, Carole, Baſilius. D. Quotum ad numerum aſcendendum cenſetis,vt ſit perfecta victoria? C. Ad ſeptenarium. B. Ad octo-

octonarium. D. Octonarius igitur ſit palmarius. C. Ecquod præmium dabitur victoribus? B. Qui victi fuerint, victoribus ientaculum ſoluent. C. D. E. Honeſtum præmium. E. Initium nos facimus. Quod fœlix fauſtumq́ ſit. Aduerſarius alter mihi ſuccedet, ne continenter ludamus ſodales. B. Nouimus morem. Ergo lude iam aut tu Baſili, aut tu Carole. C. Ecce. D. Quo pacto tu Euſebium, eodem ego te ſuperabo. C. Non ſuperaſti. Rade metam Baſili ſi potes. Doctè. Duo numeramus. B. Nunc prior iace Carole. C. Bene. E. Melius. B. Optimè. D. Cum ſupremo euaſero ſuperior, quid dicam, niſi bona pace Grammaticorum, optimiſsimè? Iam numeramus vnum. C. Vnum numerari quî poteſt? D. In cruciatum ſophiſta. Procedat iactus tertius. Prô, manu fugit lapis, iterum iaciendum eſt. B. Non patiemur. E. Lex hunc ludum ludentium ſanxit, vt ſi quis imprudens iecerit, aut ſi dimidiatum ſpacium non tranſmiſerit, reſumat lapidem, ac de integro iaciat. C. Geramus morem illis, alioqui par pari referent, quod nos mordebit. B. Lude rurſum. D. Non me pœnitet iterationis huius. B. At iam pœnitebit. E. Ha ha, cernite obſecro, quã ſcitè ſaliat lapis Baſilij. Excipe ſocium Carole. D. Ohe, lapis tuus Carole æmulatur rotam. Quot millia curret? Reſtas ſolus Euſebi. Eſto vir fortis. Vicimus. Quantum numerum obtinebamus antea? Heus Carole, ecquid poteſt ternarius numerari? nã paullò ante monas non poterat. C. Longè abeſt ternarius ab octonario. E. Quotum vos adepti? B. Binarium. D. Vide mihi hunc, & vince

ſi queas, Baſili. B. Vincam. C. Si tu deinceps ita viceris; nos ientaculum perdidimus. B. Papæ, quantum à meta diſto? D. Eſt locus Euſebi, appropinqua. E. En. D. Noſtra eſt palma. C. Noſtra eſt. D. Noſtra eſt profectò. Quo pignore certas mecum Carole? C. Tres ligulas, quas optimas habeo, depono. D. Ego iſtum torulum de pileo. B. Circumſpiciamus menſuram, vimen, culmum, aut tale quid. E. Ecce menſuram. C. Metiamur. E. Fallis ô menſor. C. Falleris, non fallo. E. Sine, metiar ego. C. Cape. E. Videtis nos viciſſe? B. Vix tanto prȩceditis, quantum eſt prȩſegmen vnguis. E. Et falſum autumas, & parui refert quanto, dum antecedamus modo; ſiquidem non is victor declaratur, qui valde multum vincit, ſed qui vincit. B. Habetote quod habetis, nos ſpem necdum eiecimus. D. Iſta ſpes mera eſt audacia. Incipe Euſebi. E. O iactum fauſtiſsimum. B. O infœlicem iactum meum. Niſi tu Carole doctius ludis, propemodum actum erit de nobis. Nos miſeri, iam iſti ſeptem numerabunt. E. Iô triumphe. D. En ſeptem: & nunc meus finem dabit. Dedit. B. Cur? D. Accurre, aſpice, ipſi metæ incumbit. C. Ego deiiciam. E. Si velle eſſet efficere. Iecit, nihil promouit. Ientaculum, ientaculum. B. & C. Soluemus, ne clama Stentor.

ANNOTATIONES.

OPus eſt maiore quadam attentione & memoria in hoc dialogo, ne mentis intelligentia in perſonarum coniunctione, & numeri collectione quem vtriuſq; partis victo-

victoriæ conficiunt, aberret à via. Conatus ſum quam planiſſimè, ſi non latiniſſimè hoc ludi genus deſcribere. NE CLAMA STENTOR) *Huius clamor & vocis magnitudo prouerbio locum fecit. Vide Chiliadas.*

PROGYMNASMA
SEPTVAGESIMVMPRIMVM.
Ludus globulorum.

MELANIOLVS, FABIVS.

MELANIOLVS. Heus Fabi, vnde tibi ſacculus tam plenus globulorum? F. Furatum me credis? M. Apage cum iſtac ſuſpicione: non puto furatum. Emiſti? an donati ſunt tibi? an lucrando acquiſiuiſti? F. Lucrando, maiorem partẽ, reliquos emi. M. Quid ſi te pauperiorem conciliem? F. Quid ſi cœlum ruat? ſed ſi quid audes. M. Libet ludere? F. Cur non libeat? M. Quo genere? F. Illo, per quod tu mox aut Crœſus, aut Irus fias: ille, ſi viceris, hic ſi victus fueris, quod opto & ſpero. Vix tibi ſunt viginti globuli. M. Fuit, quando tu trecentos non habebas. Age, dic, quo genere certabimus? F. Par, impar volo, ita vt ſcrobiculum humi faciamus capacem vnius pugni virilis, altum mediocriter. Inde ego certo interuallo diſtans, & ſubſidens, de vola meos tuoſq; omnes ſimul in illum leui iactu coniiciam. Si incurrerit in foſſulam numerus par, omnes globuli erunt mei, quiq; foris, quiq; intus iace-

iacebunt: ſi impar, omnes erunt tui. M. Aſt ego quoque iacere velim. F. Eſto, ſed tunc quando ego victus. Fac ſcrobiculum. M. Da commodatò cultrum. F. Franges,& magno ſtetit. M. Nequaquam, eſt terra mollis & argillacea. F. Digitis euerre fruſtula. M. Dictum factum, euerri. Hîc erit meta. F. Nimium diſtat. M. Quomodo nimium? duobus paſsibus meis, & ſemis: eſt humus plana, ſine lapidibus ſtratoriis, leuiter acliuis, accõmodata huic ludo. Si eſſet ſcrobiculus ad parietem, liceret iacere maiore vi. Quot vis dem tibi in manum? F. Si vis citò rem perdere, da multos. M. Duos dabo? F. Hoc nihil eſt. Vis me quatuor globulos iactare? M. Ergo quatuor do. F. Iam hoc aliquid eſt. En octonarium, ſic collocatum, vt binarius binarium ſequatur. Sta intra metam, ne digitum tranſuerſum, aut vnguem latum exceſſeris. F. Siccine? M. Etiam. Sed iam nimis propendes contra ſcrobiculum. F. Non profectò. M. Immò. Eſto iuſtus, ſi me vis eſſe. F. Sum. En iacio. Quatuor ſunt intus, numerus par. M. Expecta, ne collige: adhuc alij currunt aduerſus ſcrobiculum. Hem, quintus incurrit, mea eſt victoria. Iam tu mihi da numerum. F. Accipe ſex. M. Placet. Prima victoria addidit animos. Aſpice, omnes inieci, euax. F. Accipe rurſus totidem. M. Accipio. Octo ſunt intus. Iô iô, tertia palma. F. Accipe denuo,& totidem. M. Ecce tibi, rurſus octo. F. Nolo amplius ludere. M. Quare? F. Tecum eſt fœlicitas. M. I, gloriare de tuis globulis. Feci ne ſacculum tuum leuiorem? F. Et tibi alius faciet. M. Tumebas ante. F. Et tu modo.

PROGYMNASMA SEPTVAGESIMVMSECVNDVM.

Ludus nucum.

FLAVIVS, DIONYSIVS, SYLVANVS, CRISPVLVS.

FLAVIVS. Adeſte ſodales, ego iſtanc ollulam à coco, veterem & rimoſam exoraui, vt luderemus nucibus. D. Quid ad hoc ollis egemus? S. Miror iſtum luſorem ollarium. C. More antiquo & recepto ludamus: impinge hanc ollam parieti. F. Tibi pugnum facilius ac libentius in os impegerim. Præceptor me nouum quendam luſum docuit, eum iam vos docebo, diſcetis nullo negotio. C. Ergo doce. F. Vnuſquiſque de colluſoribus imponit in ollam duas, tres, quatuórue nuces, quot denique voluerit. Poſt, humi collocatur, communi conſenſu meta ſtatuitur, à qua vnuſquiſque os ollæ ter aut quater nuce petit viciſsim, & eo ordine ac loco, quem quiſque ſortitus fuerit. Iuglande ab olla ad metam prouoluta, proximus metæ fit primus, huic vicinior ſecundus, & ita deinceps. S. Quid amplius? F. Qui vel ſolus, vel ſæpius ſuas nuces iniecerit, aufert omnes, quæ in olla reperiuntur. C. Agite, ita ludamus. D. Duas impono. F. Nos ſimiliter. S. Iuglans altera de tuis eſt vitioſa Flaui, quia mucida. F. Ecce aliam. Huius ego nucleum ſtatim comedam, tibi relinquam putamina. S. Deuora hæc

quoq;.

quoq;. F. Hîc ollam depono, hîc erit meta, quinque meorum paſſuum interuallo. C. Ita, quinque paſſuum. F. Nunc ſortiamur vices. En ego metæ proximus. D. Ego te propior. S. Ego te. C. Ego omnibus. F. Eſt igitur princeps Criſpulus, alter Syluanus, tertius Dionyſius, poſtremus ego. C. Prô, aberraui. S. Anſam tetigi. D. Meam inieci. F. Et ego meam. Lude mi Criſpule, & perde rurſus iactum tuum. C. Iterum erraui. F. Diuinabam hoc fore. S. Vidiſti? inieci meam. D. Heu, infauſtus fui hoc iactu. F. Ecce duas nuces intus iam habeo, ſpero victoriam. C. En tertia intus eſt. Sed quid hoc prodeſt? S. Iterum intraui. Niſi tu, Flaui, tertiam inieceris, erimus pares, ac præter alios quartùm aut quintùm etiam iaciemus, donec penes alterum victoria fuerit. Mitte nucem Dionyſi. D. Poſſum ego, fauente fortuna, ſecundam iniicere, & aberrare Flauius ab hac vltima petitione ſua; tum ego vtriq; veſtrûm ero par, & palma nullius. F. Si potes, Oho, ho, erraſti. Tertia, tertia eſt intus, omnes nuces meæ ſunt. Octo depoſitæ initiò, iniectæ à me tres, à Criſpulo vna, à Syluano duæ, à Dionyſio vna. Quindecim nuces, è quibus quinque meæ, decem veſtræ. Præmium igitur decem nuces. Iô triumphe. Domi ſciurum alo, cui hodie cœnam dabo largiſsimam. Hem, iſtuc mihi certum erat.

ANNOTATIONES.

Hoc genus ex verſiculis Ouidij didicimus, qui ſunt in poematio de nuce. Sunt autem varij modi lu-

dendi nucibus, quos nihil opus eſt doceri pueros, cum melius ſciant, quam à nobis doceri poßint. Atque vtinam illi aliquando nuces relinquerent, & de grauioribus ludis cogitarent. IO TRIVMPHE) *Vox militum Imperatorem victorem proſequentium in Capitolium, de qua dictum eſt alio loco.*

PROGYMNASMA
SEPTVAGESIMVMTERTIVM.
Ludus turbinis.

CHARINVS, LEPIDVS, FORTVNATVS.

CHARINVS. E buxo eſt meus turbo. L. Meus è cornu. F. Et meus eſt corneus. Aſpicite ſultis, quàm niteat præ nigrore, quã bene faſtigiatus excauatusq; ſit. Nec eſt grandis nimium qui laborioſè flagello agitaretur; nec nimis paruus, qui ſaltitaret immodicè, & amitteretur facilè. C. Vis commutemus? F. Quî tibi hoc cogitare libet? tuus citius teretur quam meus; lignum quippe mollius cornu. L. Meum hunc non laudo, iam ſemetipſe laudabit, cum gyros deſcribet currendo maximos, & paucis ac leuiſsimis ictibus curret diutiſsimè. C. Hoc ſolum eſt planiſsimum & ſpatioſiſsimum, proindeq; huic luſui mirè idoneum. Quod bene vertat, contorqueo meum pollice & medio digito. L. Ego ſoleo

leò circumuoluere ter, quater corrigiam flagelli, circumuolutum humi ponere, bacillum impetu attrahere ſurſum. Tum ille liberatus vinculo, quaſi in pedes ſe erigit, & ſtrenuè currit, hoc modo. F. Ecce meum. Inſta flagello, tuus languet, Charine, agit animam; & tuus Lepide. L. Vt volitat meus? F. Vt ampliſsimos orbes conficit meus? C. En vt meus tuum ferit cum ſonitu, Fortunate; propemodum deiecerat. F. Feriet meus viciſsim breui. L. Ah, mei flagelli virgula diffracta eſt. C. Certemus nos duo Fortunate; iam plus ſpatij relictum eſt, & turbines contra ſe mutuò impellamus. F. Sic agamus. Bone Deus, vt me fatigat meus? & minutis tantum ictibus opus eſt. Scuticam probatiſsimam habeo, corrigiam optimam è pelle hircina, & bifidam. C. Sudore diffluo, ceſſemus. F. Nondum ſudo. Solus ſum, validius agitabo meum. Vide quæſo, horribiles ſaltus edit. C. Ero aliquandiu ſpectator tuus. F. Quò Lepidus abiit? C. Virgulam quærit ad reparandam ſcuticam. F. Quare non iam pridem hunc nobilem ludum exercuimus? C. Erit, cum etiam hic diſplicebit. F. Nunquam Charine. C. Quo pignore certas mecum? Sed redit Lepidus. F. Ego quoque laſſus ſum, ſpectabimus ambo Lepidum. O Lepidule, tibi cedimus campum iſtum. Nunc te oſtendes quantus vir ſies. L. Tam citò feſsi? C. Te deficiente (deficies enim) nos ludum iterabimus. L. Quid cras futurum ſit, iuxta vobiſcum neſcio. Hodie quidem iſtuc quod vos auguramini haud futurum eſt. F. Magnos ſpiritus tibi in hoc artificio ſumis.

ANNOTATIONES.

DE *turbine aliquid ſupra diximus, dialogo nimirum quo de variis ludorum generibus explicauimus. Illinc aſſumenda, quæ ad hoc etiam progymnaſma pertinent. Eſt autem, vt Iſidorus ſcribit, turbo volubilitas venti, quæ aridum terræ puluerem in orbem circumagit. Species quædam venti eſt turbo, de qua Rhodigin.lib.20.cap.19. ad cuius ſimilitudinem (parua enim magnis interdum licet componere) iſtud puerile ludicrum eodem nomine vocauerunt.* ASPICITE SVLTIS) *Quemadmodum ſis particulam, pro, ſi vis, addebant imperandi modo ſingulari numero, ad eundem leniendum, ſic ſultis, pro, ſi vultis eidem, numero multitudinis ob eandem cauſſam. Eſt ergo vox compoſita, ſicut equidem, ſodes, ſcilicet. Plautus prologo Aſin. Hoc agite ſpectatores ſultis nunc iam. Et aliâs ſæpe. Cato pro L. Cæſetio. Audite ſultis milites, ſi qui veſtrûm in bello ſuperfuerit, &c. plura Feſtus.* ERIT CVM ETIAM HIC DISPLICEBIT) *Eſt ne quiſquam adeo puerilis naturæ neſcius, cui mutabilitas & inconſtantia eiuſdem notiſſima non ſit? Placet huic ætati maximè varietas in rebus omnibus. Delectat enim varietas: at pueri delectatione magis quàm iudicio & ratione ducuntur.* MAGNOS SPIRITVS) *Transfertur hæc vox aliquando ad ſignificandam animi elationem, audaciam, inflationem, faſtum atque ſuperbiam. Aſcon. Plus valet, inquit, quàm ſi animoſitas conten-*

contentiõue diceretur. Hinc illa loquendi genera, ſpiritus ſumere, ſpiritus tollere, ſpiritus afferre. Et, ſpiritus deponere, comprimere. Sic φρόνημα Græcis non pro animo ſimpliciter, ſed pro animo elato, & magnis cogitationibus pleno.

VARIA OFFICIA.

PROGYMNASMA SEPTVAGESIMVMQVARTVM.

Obiurgatio fraterna, iniuriæq́ condonatio.

HERMANNVS, EVDOXIVS.

HERMANNVS. Quid tam malè de te vnquam merui, aut in quo tandem apud te adeo grauiter offendi, mi Eudoxi, vt hac me tam indigna & acerba iniuria onerares, atque ad iſtam me infamiam traduceres? E. Quid feci? quid peccaui? H. Quid feceris? quod homo à probitate remotiſsimus. E. Quin tu actutum ediſſeris, quidquid eſt criminis (ſeu criminationis aut contumeliæ potius) ac me miſſum facis? Si ſciſſem hoc futurum, hodie huc neutiquam tetu-

liſſem pedem. H. Scripſiſtíne literas ad patrem meum? E. Fateor, ante dies, opinor, quindecim. H. Cur innocenti mihi dedecus & maculam inurere voluiſti? E. Quis homo iſtuc? H. Eudoxius. E. Ego maculam? H. Tu. E. Quam maculam? H. Turpiſsimam. E. Nihil de te ſiniſtri locutus ſum. H. Non mentitur parens meus, tu à mendacio nõ temperas. E. Valeant, qui inter nos diſsidium volunt. Prorſus à me opinionem hanc tuam eſſe amotam cupio, & rogo abſolue me, quid eſt? H. Certiorem feciſti bonũm virũm de ſocordia & luxuria mea; à quibus ego flagitiis tantũm abſum abfuiq; ſemper, quantum qui longiſsimè. E. Cur te accuſarem falsò? H. Idipſum miror vehementer cur auſus ſis. Teſtem vis omni exceptione maiorem producam? E. Si potes. H. Hem tibi literas. Ecquid hoc ſignũm patris mei, ecquid etiam patris tui, qui ſunt germani fratres? E. Signũm agnoſco. H. Paululũm da mihi operæ dum lego tũum animaduertendum facinus. *Scribit ad me patruelis tuus Eudoxius, te ad inertiam & voluptatem corporis peſſundatum, fugere ludum vt carcerem, commeſſationibus & ſcortis eſſe deditũ, chariora tibi eſſe omnia quàm pudorem & ſobrietatem. O cœlum, ô terra; quid incœptas tu adoleſcẽs corruptiſſime? quo te tranſuerſum agit improbitas? itáne obſtinato animo te ibis perditum? an putas me theſauros colligere, quos tu helluationibus tuis intemperãtiſſimis prodigas? me dies noctesq; angi, ac tua tuorumq; fratrum cauſſa ſollicitum eſſe; te græcari, & diem mero frangere? redi in viam puer om-*

nium

nium profligatiſsime. Ni faxis, exhæredabo te, & quoad vixero, in conſpectum te meum nõ admittam. Quid nunc? vicíne argumentis? en Eudoxi, quid malorum mihi abs te ortum ſit, en quid egeris, quàm Chriſtianè aç fraternè me habueris, quantum mihi ſollicitudinum perturbationumq́ confeceris. Hoccine officium patruelis? me tua iſta maleuolentiſsima obtrectatione in ignominiam conieciſti, patrem mihi infeſtiſsimum reddidiſti, Deum ſcelere tuo non leuiter offendiſti. E. Peccaui, inuidia me ſtimulauit, inuidia mihi bonam mentem eripuit. Quod ego per hanc te dexteram oro, ignoſce mi Hermanne. H. Quomodo veneno tam malo imbutus eſt tibi animus? quomodo in morbum tam fœdum incidiſti? E. Incidi, ah me miſerum. Oro te iterum, ignoſce, pœnitet facti, vtinam infectum poſſet fieri. Horror mihi membra percipit dictis tuis, totus perij. H. Vt initium ſanitatis eſt ſenſus morbi, ita initium ſalutis notitia & agnitio peccati. Non enim corrigi vult, qui peccare ſe neſcit. De venia porrò quam petis dubitare noli. Etiamſi atrociora in me deſignaſſes, tamen iſta flebilis oratio tua ad miſericordiam me humanitatemq́ inflecteret, quando ego quoque veniam ab alio peto, cui pecco quotidie, & Chriſtianum eſſe memini. Proinde ne te cruciaueris, faceſſant lachrymę. E. Reddidiſti animum. Quaſi ex turbido die ſerena & tranquilla lux mihi affulſit. H. Hoc tantum moneo, ne in poſterum quidquam de hoc genere, neq́ contra me, neq́ contra alium; omnes enim fratres ſumus, & debemus diligere mutuùm, prodeſſe conari om-

nibus, lædere neminem. E. Deus tibi optata ferat omnia. Nullum mortalium poſthac tui ſtudioſiorem me vno ſenties, viciſsimq́ue partem aliquam mutuæ voluntatis abs te mihi tributum iri confido. H. Et mihi eris quàm fuiſti longè charior.

ANNOTATIONES.

De obiurgatione apud Cic. 1. Off. hæc ſunt. Obiurgationes etiam nonnunquam incidunt neceſſariæ, in quibus vtendum eſt fortaſſe & vocis contentione maiore, & verborum grauitate acriore. Id agendum etiam eſt, vt ea ne facere videamur irati, & quæ ſequuntur, locum indicaui. ABSOLVE ME) *Rem paucis expedi. Quod vis paucis age, vt hinc mihi quamprimum liceat abire. Plaut. Amphit. Quæſo abſoluito me hinc extemplo, quando ſatis deluſeris. Curcul. Sequere, hac te abſoluam, qua aduenisti gratia. Aliud ergo eſt rem, aliud hominem abſoluere.* ECQVID HOC SIGNVM) *Antiqui in obſignando vtebantur vel ſuis ipſorum imaginibus. Plaut. Pſeud.*

Ea cauſſa miles hic reliquit ſymbolum,
Expreſſam in cera ex annulo ſuam imaginem.

Vel maiorum ſuorum. Cic. 3. Catil. Tum oſtendi tabellas Lentulo, & quæſiui, cognoſcerétne ſignum, annuit. Eſt verò, inquam, ſignum quidem notum, imago aui tui clariſsimi viri, qui amauit vnicè patriam. Vel imaginibus, quas arbitrio ſuo ſumebant. Sueton. de Auguſto cap.

50. In

50. *In diplomatibus libelliſq́; , & epiſtolis ſignandis initio ſphinge vſus eſt: mox imagine Magni Alexandri; nouiſſimè ſua, Dioſcoridis manu ſculpta: qua ſignare inſecuti quoq; Principes perſeuerarunt. Ad epiſtolas omnes horarum quoq; momenta, nec diei modo, ſed & noctis, quibus datæ ſignificarentur, addebat. Sic Amphitruo apud Plaut. Sole cum quadrigis exoriente pro ſigno vtebatur. Mæcenas rana. Muret. in 3. Catil. Lamb. in Amphit.* TE GRÆCARI) *Qui res Græcorum deguſtarunt, ſciunt illam nationem ſplendidarum epularum magnorumq́; poculorum ſemper fuiſſe ſtudioſam; ac proinde quæ ſit horum vocabulorum vis, græcari, pergræcari ſatis tenent. Feſtus. Pergræcari eſt epulis & potationibus inſeruire. Titinius. Hominem improbum, nunc ruri pergræcatur.* DIEM MERO FRANGERE) *Horat. Ode 7. lib. 2.*

Pompei meorum prime ſodalium,
Cum quo morantem ſæpe diem mero
Fregi coronatus nitentes
Malobathro Syrio capillos.

Diem non totum ſiccus traduxi, vt Lamb. explanat, ſed diuiſi, partemq́; in vino & poculis poſui. Idem eſt, partem demere ſolido de die Ode 1. lib. 1. quod frangere diem. Nempe opere & labore vſitato & quaſi legitimo intermiſſo atq; interrupto corpus cibo ac potione curare, genioq́; indulgere. DE VENIA PORRO) *Qui obiurgant, imitari debent medicos. Hi cum ſecant, partem afflictam in cruciatu non deſtituunt, ſed placidè rigant*

ac leniunt. Sic iſti colloquiis lenioribus & comitate verborum debent mollire acriter obiurgatos. Item fabri lapidarij vulnus ac cicatricem quam ictu celtis inflixerunt in ſtatuis, rurſum poliendo leuigant, ac nitidam reddunt. Hæc Plutarch. in extremo libro quo diſcrimen adulat. & amici eſt perſecutus.

PROGYMNASMA SEPTVAGESIMVMQVINTVM.

Ægrotos viſitare, in funus prodire.

PHILOTHEVS, ONESIMVS.

PHILOTHEVS. Hem Oneſime, per tempus aduenisti, te volo. Vnde nam cum his comitibus? O. Amicos duos ægrotantes inuiſimus. P. Probiſsimè inquam factum; Chriſtianæ pietatis eſt hoc officium. Sed quibus illi morbis affliguntur? O. Vnus æſtu febriq́; iactatur iam menſem quartũ: alter eſt hydropicus; ambo ciues noſtri, & viri cum primis honeſti atque catholici. Illum priorem confidimus breui ſe refecturum; paroxyſmi enim rariores iam ſunt, & medicus probatiſsimus, eſt ſimul diligẽtiſsimus: poſterioris vitam in deſperatis numeramus; ſiquidem aquæ intercutis vix eſt vlla curatio. Ego quidem hydropem ab aliquo medicamentis depulſum

pulſum necdum audiui. P. Tibi aſſentior, eſt verò ita. Patientes ne ſunt dolorum? O. Patientiſſimi, cũ magna religione, ſicut Iobus & Thobias. Cum eis conſolationem adhibere, & virtutem conſtantiamq́ʒ ipſorum animis addere inſtitueremus, ipſi nos magis ſunt conſolati, erudieruntq́ʒ ſermonibus pietate refertiſsimis. Quin etiã Deo gratias agebant, quod ſe eius mandata indies violantes paterna hac animaduerſione puniuiſſet. Circundabant lectulum hydropici vxor mœſtiſſima, & pleni lacrymarum parui liberi. Hos blandè demulcebamus; mulierem autem pudicam ſanè, viriq́ʒ amantiſsimam, quibus poteramus verbis à luctu & triſtitia reuocabamus, docebamusq́ʒ hanc calamitatem æquo perferendam animo, & in diuina prouidentia conquieſcendum eſſe; id quod egiſſent complures Chriſtianæ mulieres, quæ non tam doluiſſent, quod maritos morborum diritate excruciatos atque confectos amiſiſſent, quam gauiſæ eſſent, quod ſibi à Deo tam clementi natura, tantaq́ʒ virtute præditi mariti tot annis contigiſſent: in quo ordine ipſum illum ægrotum reponendum affirmabamus, cuius mitiſsimum ingenium, & ſummam animi lenitatem norunt omnes. At tu vnde ades cum tuis? P. Elatus eſt cum funère ſenator quidam Marcus Lumnius: nos exequiarum pompam vſqʒ ad tumulum proſecuti ſumus, atqʒ inter eundum defuncti animam Deo precibus ritè commendauimus; memores conditionis humanæ, qua ſtat ſua cuiqʒ dies, &, (vt poëta alius neſcio quis canit) lõgius aut propius mors ſua quemq́ʒ manet. Beati

tamen illi mortui, qui in domino moriuntur; quo maximè modo hunc ſenatorem exiſſe de vita credimus, qui virtutibus Chriſtianis omnibus excelluit. O. Quo loco humatus eſt? P. In templo monachorum, qui à ſancto Dominico nomen gerunt: ibi hæreditarium ipſi ſepulchrum. Habita ibidem concio de laudibus mortui, & huius vitæ miſeriis, cum magno audientium ſenſu, vt apparebat. O. Vtiliter à vobis collocatum eſt hoc tempus; meliusq; ad domum luctus itur, quàm conuiuij: nam ibi cunctorum finis admonemur. P. Mane, mane. O. Quid vis? P. Pectus tuum implere lætitia volo. Frater tuus ex Hiſpania rediit. O. Quî ſcis? P. Scio. O. Vidiſti? P. Iſtis oculis. O. Meus frater? P. Tuus frater. O. Elpidius venit? P. Vtiq;. O. ô mihi nuncij beati. Vbi eſt? P. Domi tuæ. O. Properemus domum comites, properemus. Cras apud me eris. P. Condico.

ANNOTATIONES.

IN FVNVS PRODIRE) *Funus propria notione pompa exſequiarum eſt: à funalibus quæ noctu cadaueri præferebantur. Noctu enim propter diurnam ſacrorum celebrationem mortui ſepeliebantur. Curare funus, & funeri operam dare, & venire in funus idem ſunt cum illo, In funus prodire. Funus facere aliud eſt. Exſequiarum autem nomen inde natum eſt, quod multi cadauer eius qui efferebatur, ſequebantur. Turneb. lib. 9. cap.*

cap. 18. PAROXYSMI ENIM) *Vtuntur hoc vocabulo medici. Celſus latinè acceßionem, alij exacerbationem dixerunt, & ita definierunt. Particularis motus morbi à remißione ad deterius. Cum enim remiſſa iam priori acceßione corpus quietem agit, ſi eam oborta perturbatio interrumpit, morbus* παροξύνεσθαι, *id eſt acerbari, & in deteriorem ſtatum facta eſſe commutatio meritò dicitur.* EGO QVIDEM HYDROPEM) *Formidatas aquas Ouidius, aquoſum languorem vocat Horat: Ode 2. lib. 1.*

Creſcit indulgens ſibi dirus hydrops:
Nec ſitim pellit, niſi cauſſa morbi
Fugerit venis, & aquoſus albo
Corpore languor.

CONCIO DE LAVDIBVS MORTVI) *Poſt mortem clari viri pro concione laudabantur Romæ. Primus omnium Iunius Brutus Cos. patriæ liberator à Valerio Poplicola collega laudatus eſt. Liuius lib. 2. Camilli temporibus, ſenatuſconſultum eſt factum, vt etiam matronæ ac nobiles fœminæ laudarentur propter aurum collatum. Auctor Plutarchus. Primus matrem ſuam Popiliam laudauit Catulus. Cic. 2. de Orat. Apud Sueton. Cæſar Quæſtor Iuliam amitam, vxoremq́ Corneliam defunctas è more pro roſtris laudaſſe dicitur cap. 6. Auguſtus etiam 12. ætatis annum agens, auiam Iuliam pro concione celebrauit cap. 8. De funebribus iſtis laudationibus plura volumine tertio, vbi res funereas tractabimus.*

PRO-

PROGYMNASMA
SEPTVAGESIMVMSEXTVM.
Pacificatio.

THEOTIMVS, VITALIANVS, ASTERIVS.

THEOTIMVS. Vt me veſtrûm amborum iam diu pudet,qui propter rem nihili integram prope horam litigando ,& inuicem oblatrando perdidiſtis, quam in ſtudia impendere cum fructu , & animi tranquillitate poteratis. Quæ mala mens in iſtuc iurgium vos præcipites agit? Si non ceſſatis , quia ſic digladiari verbis , & ſeſe alternis conuîciis laceſſere Chriſtianis moribus indignũ eſt,at ſaltem ideo ceſſate , quia prorſus illiberale atq; barbarum eſt rixari , & maledictis ſe appetere. V. Iam pridem paratus fui deſiſtere , ſi hic homo foribus peſſulum obdere noſſet. Cum autem in me effrænatius inuadit, reſiſtendum eſt. A. Idem ego dico , paratus fui : ſed tua lingua nimium eſt impotens , & indomita. T. An putatis hîc vincere glorioſum eſſe ? non eſt. Quamuis probroſa res,ſuperiorem atq; victorem velle videri clamoribus, iurgiis, iracundia, arrogantia. Glorioſum eſt magis vinci: id enim eſt cedere , dare locum iræ,vt Apoſtolus iubet, amare concordiam,diligere pacem, humilitatem,manſuetudinem, patientiam. V. Me pacatum reddas perfacilè,ſi Aſterium perdomare queas.A.Redde

tres

tres cruciferos,audaciæ columen, quos de rationibus debes adhuc. Adeon' tibi videor idoneus, in quo ſic illudas? V. Solui quantum debui, ne ſis moleſtus. A. At ego non inuenio quantum tibi commodaui. V. Non diligẽter numeraſti forſitan. A. Quid enim? an numerandum eſt millies? da mihi pecuniam meam, pecuniam meam volo, da pecuniam. V. Pecuniam, pecuniam. Nec obulum feres amplius. A. At ego te cogã vt des. T. Ah mi Aſteri, quid ita auariter flagitas tres cruciferos? A. Quod non ſum Midas: non mihi omnia, quæ tango in aurum conuertuntur. Si daleros & coronatos haberem, facillimè negligerem cruciferos. T. Audiſti centies negantem Vitalianum, & tamen vrges importuniſsimè, & in furnum frigidum panes immittis. Puto ego Helenã à Græcis non fuiſſe tâm contentiosè repetitam, cum legatos Troiam mitterẽt. An ſua cuiq; Deus ſit dira cupido? V. Quamuis ſciam pro certo, me quantum ſatis eſt dediſſe, nihilominus, vt furibundus iſte flagitator cõticeſceret adhuc darem; verùm vacua eſt crumena, nec vnum nummum poſsidet. T. Aquam igitur è pumice poſtulat Aſterius. V. Dabo. A. Cras credo, hodie nihil. V. Neq; diuini neq; humani poſthac quidquam mihi credas, ſi huius rei mendacem me inueneris. A. Dabis ergo quamprimum nanciſcêris? V. Quid ſi intra biennium nihil nanciſcerer? A. Quid ſi ego te pugnis ſaturarem; donaremq; ob id pecuniam mihi debitam? V. Satur ſum, nam paullò ante cœnaui; proinde tu tibi pugnos tuos retine, aut eſurientibus in cœnam largire. T. O nuga-

tores, vt mihi bilem conciunt veſtri tumultus? tacete aliquando, ſi ſapitis. A. Pone tibi hanc afferri ab iſto fallaciam. T. Crede mihi, Aſteri, nūquam te hortarer ad hanc remittēdam iniuriam, (ſi modo eſt iniuria) niſi ego me ad idem faciēdum ſentirem eſſe promptiſsimum. Non ſoleo ſuadere aliis, quæ ipſemet non præſto. Neq; imitor malos medicos, qui alienos morbos ſe curaturos profitentur, ſuos curare neſciunt. Et quia difficillimū videtur abs te impetrare iſtam condonationem tātillæ pecuniæ, eam ego abs te pretio emam, ſoluam de meo, quod debetur tibi. A. De tuo? T. De meo. En ſacculum, quamuis inanem. Tamen, Deo volente, tres cruciferos reperiam intus. Immò, Deo ſit gratia, amplius decem inuenio. A. Nolo, tu mihi nihil debes, non te appello, ne reſpondeas igitur. V. Quid refert, inepte, modo tu habeas tuum bolum quem deuores. A. Tu redde. V. Accipe, quid moraris? quæſo Aſteri, accipe. A. Nolo profectò. T. Ferre neutiquam poſſum haſce lites & diſcordias, in quibus non ſine magna mercede ſtultitiæ verſamini. V. Quin aufers tam diu deſideratos exoptatosq; nummulos? A. Si tu dederis, accipiam. T. Theotime, da mihi in manum, vt dem illi: nam de manu mea affirmat ſe accepturum. A. Non hoc volo: ſi tu dederis de tuo, tum accipiam. Iámne intelligis, ſtupide? T. A me ſoluit, quod debet; tolle quod debet, tolle quod petis. A. Contra naturam mihi videtur, ſumere abs te, cui nihil dedi mutuum, nec vnum pilum. Veruntamen quoniā tanta eſt beneuolentia tua, & tam Chriſtiana mens, vt pro alio ſoluas, &

quia

quia pacis cupidiſsimus es, in tuam gratiam remittam hoc qualecunq; debitum Vitaliano. T. Iam gaudeo. Sed oro manus date, dextras iungite, fidemq; futuræ in perpetuum amicitiæ ſancite. Sint amantium iræ amoris redintegratio. A. Do manum, & amplexum. V. Et ego. A. Mi Vitaliane, ignoſce immodeſtiæ meæ. V. Et tu audaciæ ac libertati meæ da veniam. T. Sermo ſermonũ optimus. Deus vos in iſta ſententia confirmet.

ANNOTATIONES.

FORIBVS PESSVLVM OBDERE) *In Eunucho, obdere peſſulum oſtio, eſt claudere oſtium, vt foris aperiri non poſſit. Peſſulus quippe quaſi paruus pes, inſtrumentum ligneum quod obiicitur oſtio. Hîc locutio ſilentij ſignificationem habet. Eſt enim ianua quædam animi os noſtrum, quam obſerat, qui tempeſtiuè ſilet. Plutarch. de lib. educand. Tempeſtiuum ſilentium res ſapiens, & quauis oratione potior.* AVDACIÆ COLVMEN) *Homo audaciſſime, audacium princeps. Columen quippe ea re cuius eſt columen firmius atq; validius. Sic columen Reipub. columen familiæ apud Cic. Apud Horat. Præſidium, dulce decus meum: &, rerum tutela mearum.* QVID ENIM?) *Horat. Sat. 1. lib. 1.*

Contra mercator nauim iactantibus Auſtris,
Militia eſt potior. Quid enim? concurritur: horæ
Momento aut cita mors venit, aut victoria læta.

Vbi Lamb. hac interrogatione vtuntur Latini cum ſignificare volunt ſe rectè ſentire, vel verum dicere, neque eum qui cum loquantur, contradicere quidquam poſſe. Adducit locos Ciceronis ad probandum. QVOD NON SVM MIDAS) *Midas Phrygum Rex cum Silenum Baccho reſtituiſſet, optauit, vt eiuſdem beneficio quidquid tangeret in aurum mutaretur, oblitus ſe panem quoque veſcendi cauſſa, & potum eſſe tacturum, atque ita inter epulas & pocula fame ſitiq́ moriturum. Fabula narratur Metamorph. 11. De hoc Mida Cic. 1. de Diuinat. Midæ illi Phrygio, cum puer eſſet, dormienti formicæ in os tritici grana congeſſerunt. Ditiſſimum fore prædictum eſt. Atq́ hinc fortaſſe fabula, quia ditiſſimus.* HELENAM A GRÆCIS) *Legendus Dictys Cretenſis, adagium, ſerò ſapiunt Phryges. Fauerunt huic legationi Æneas & Antenor. Liuius lib. 1. Iam primum omnium ſatis conſtat Troia capta in cæteros ſæuitum eſſe Troianos, duobus, Ænea Antenoreq́ & vetuſti iure hoſpitij, & quia pacis reddendæq́ Helenæ ſemper auctores fuerant, omne ius belli Achiuos abſtinuiſſe.* CVIQVE DEVS FIT DIRA CVPIDO?) *Ad intelligendum hoc dictum Maronis ſciendum in Græcorum commentariis Dei nomen quinq́ ferè modis vſurpatum reperiri. Modo ſapientes homines, modo reges ac potentes, modo elementa, modo fatum, modo facultates animi, ipſasq́ illius cogitationes vocabant deos. Cum enim animum ipſum aut Deum, aut partem quandam Dei putarent eſſe, quidquid in Deo eſſet, Deum eſſe credebant.*

debant. Neque verò quod quaſdam cupiditates malas & exitioſas videbant, idcirco de ſententia dimouebantur: nam deos quoque alios bonos faciebant, alios malos. Ex hac opinione amor in deos relatus eſt. Ex hac ſpei, timori, impudentiæ conſecrata ſunt templa. Ex hac Euripid. εὐλάβειαν *vtiliſſimam deam,* φιλοτιμίαν *verò, id eſt, ambitionem deam pernicioſam, &* φθόνον, *id eſt, inuidentiam Deum iniuſtiſſimum nominauit. Plura Muret. in Catilinariam 1.* CRAS CREDO, HODIE NIHIL) *Inſcriptio eſt cuiuſdam Satyræ Varronianæ, & ſimul prouerbium, quo tunc vti poterimus, cum fidem alicui nos minimè habere declarabimus. Vt ſi inſtitor non niſi præſenti pecunia merces velit diſtrahere, rectè vſurpabit, Cras credo, hodie nihil. Hæc pluribus Titius lib. 2. cap. 24.* SINT AMANTIVM IRÆ) *In libro qui* ἐρωτικὸς *inſcribitur, feſtiuo quodam ſimili declarat Plutarchus quo pacto hoc fiat. Quemadmodum enim cum è nubibus exiit ſol, ac poſt caliginem denique feruentior eſt atque acrior: ita amor, cum interceſſit ira, aut ſuſpicio, pace facta: reconciliatiſq; animis iucundior eſt atque acrior. Similis Terentianæ ſententiæ eſt apud Plautum Amphit. Victor. lib. 4. cap. 14.*

PROGYMNASMA SEPTVAGESIMVM SEPTIMVM.

Mæcenates.

EVPHRASIVS, CARPOPHORVS.

EVPHRASIVS. Sæculum iſtuc noſtrũ Carpophore, ab illo antiquo vereq́ aureo in quamplurimis iisq́ honeſtiſsimis pulcherrimisq́ rebus diſceſsiſſe ac degeneraſſe comperio, dum hiſtoriarum monumenta euoluo. In hoc autem multò maximè, quod tantus amor, tantumq́ ſtudium in literas & literatos minimè cernitur, quãtum olim cernebatur, cum ipſi quoque reges & monarchæ in eruditis recenſeri gaudebant, & Muſarum filios honoribus ac præmiis ampliſsimis decorabant. Nunc ſi Princeps aliquis paullò latinius loquatur, datur ei vitio. Si verſus condat, orationes componat, in mathematicis, in iure ciuili ſi progreſſus habeat, ſi egregia quadam exercitatione ſit in dialecticis, omnes mirantur, vt rem inuſitatam, ac tantæ nobilitatis faſtigio indignam. O tempora, ô mores. C. Iuſta eſt querela tua: malunt nobiles atque opulenti quidam homines alere equos, quàm pauperes ſtudioſos, & vim ingentem pecuniarum potius in villis Lucullianis, & in conuiuiis intempeſtiuis ac ludis profundere, quam bonis ingeniis cum inopia conflictantibus præſidio & auxilio eſſe.

Nec

Nec intelligunt, vnde ſibi nominis æternitatem comparare poſſent minimo negotio. E. Prætexent nonnulli fortaſſe hanc cauſſam ſuæ vel auaritiæ, ſi dare nolunt; vel inſaniæ, ſi in res alias reipub. inutiles impendere magis volũt, iſtos egentes ſtudioſos ſæpe ſpem vt fruges in ſegetem deteriorem datas fallere, & neque ſcientia doctiores, neque moribus integriores euadere. C. Sed contra, multos vident, qui expectationem ſuſtinent, virtutisq́ & literarum copiis aucti, ex Academiis domum reuertuntur. Filij non omnes euadunt frugi, num idcirco vxor ducenda, & liberis danda opera non eſt? Quin viri fortes ac ſapientes, plerumque non fortes & inſipientes, ſibiq́ diſsimiles procreant: num ideo illi vitare debebunt coniugia? Longè plures, quibus patrimonium tenue, quiq́; aliena benignitate vixerunt, doctos, & in omni diſciplina claros, quam illuſtres ac diuites literatos inueniemus. Illi peccant, qui quoſuis inconſultò alendos ſuſcipiunt, ingenia & naturas non prius explorant. E. Duo mihi ſunt alumni, quibus 300. florenorum ſummam breui tempore expenſam tuli, vt in aduerſariis patet. C. Quibus doctrinis ſe dederunt? E. Minor Rhetoricæ, maior Theologiæ: ambos Eccleſiæ Catholicæ, cui eos alo præparoq́, vtiles fore confido. C. Meritò hoc facis, cum maiorum virtute, & Dei benignitate abundes opibus, careasq́ liberis. Adde verò ad hanc liberalitatem, concilia tibi nomen illuſtrius, ale tertium. E. Alam verò, ſi à te fuerit commendatus. C. Cras adducam ad te adoleſcentulum, forma exi-

mium,quem parentes quia propter rei familiaris naufragia alere vix poſſunt,mihi donauerunt; ſimul atq; aſpexeris, probabis; egregiam indolem præ ſe fert. E. Eſt ne ciuis, an peregrini filius? C. Ciuis,textoris. E. Quot annos eſt natus? C. Non plures quindecim, iamq; latinè loquitur & ſcribit mediocriter. Græcam grammaticam diſcere cœpit, verſiculos pangit: nam in ſingulis iſtis feci periculum quid profeciſſet. E. Cenſes ergo puerum valere induſtria & ingenio. C. Valet, ſi quid eſt in me iudicij. E. Cras igitur, vt dixiſti, adduces: tum quo illum ſtudiorum cauſſa mittam, & quãtum ei numerem in victũ annuum, communiter tranſigemus. Quid?quid aliud volui dicere? ante meridiem vt adſit. C. Aderit.

ANNOTATIONES.

REGES ET MONARCHÆ IN ERVDITIS) *Seriem longam eruditorum Principum, veterum atq; recentiorum inuenies Theat.vit.hum. Tom. 2.pag.1169.* HONORIBVS AC PRÆMIIS) *Poſſem cõgerere exempla innumera. Sed præſtare arbitror, vt tu ipſe ea per otium legas Theat.Tom.3. à pag. 3374. deinceps. Lege præterea Plin.lib.7.ca.29.& 37.* VT IN ADVERSARIIS PATET) *Quæ à M.Tullio pro Q.Roſcio aduerſaria dicuntur, fuerunt libelli & cõmentarioli eorum quæ homines aduertebant, et (vt ita dicã) memorialia erãt, ne res aliqua eis excideret. Eos enim cõmonefaciebant, et memoriæ ipſorũ ſubſidio erant. Demoſthe-*

nes

nes contra Aphobum videtur ὑπομνήματα *appellare. Sic Turneb. lib. 2. cap. 11. Budæus in Pand. Aduerſaria dicuntur tumultuariæ quædam tabulæ, quæ ante tabularum confectionem perſcribebantur, ne memoria rerum excideret, vt ex iis poſtea tabulæ iuſtæ & æternæ fierent. Verba Cic. hæc ſunt. Nimium citò ait me indagare de tabulis: non habere ſe hoc nomen in codice accepti & expenſi relatũ confitetur, ſed in aduerſariis patere contendit. Et rurſus. Quid eſt quod negligenter ſcribamus aduerſaria? quid eſt quod diligẽter conficiamus tabulas? qua de cauſſa? quia hæc ſunt menſtrua, illæ ſunt æternæ: hæc delentur ſtatim, illæ ſeruãtur ſanctè: hæc parui temporis memoriam, illæ perpetuæ exiſtimationis fidem & religionem amplectuntur: hæc ſunt coniecta, illæ in ordinem confectæ.*

PROGYMNASMA SEPTVAGESIMVMOCTAVVM.

Auxilium mutuum.

CONCORDIVS, EVPHEMIVS, METHODIVS.

CONCORDIVS. Quomodo captus oculis, & vtroq; pede claudus, qualem poetæ Vulcanum fingunt, poſtquam à Ioue de cœlo detruſus in Lemnum inſulam decidit, vnà iter

facere queunt? E. Si alter,quod ſibi deeſt,ab altero mutuetur;cæcus nempe à claudo oculos,claudus à cæco pedes. Si,inquam,cæcus claudum humeris ſublatum geſtet, & hic viam indicet, moneatq; in quam partem,& quà ſit eundum. M. De epigrammatis grȩcis hoc hauſiſti;de illo videlicet argutiarum, leporum, elegantiarum promptuario. E. Túne ſolum te illum librum omni laude ſuperiorem legiſſe putabas? M. Scio vtrunq; veſtrûm Græcis libris verſandis delectari. C. Ego ſum loripes, ambulare longum iter non poſſum meis pedibus.Eſt autem craſtino die accerſitu parentis in patriam mihi diſcedendum ad ſororis nuptias,quæ in diem ab hinc octauum conſtitutæ ſunt. Quare te rogo, mi Euphemi, tuum mihi equum commodare velis, cuius pedibus vtar; illum contra docebo,quo procedēdum ſit.Quamuis enim cȩcus non ſit,neſcit tamen viam iumentum tuum,meiſq; oculis indiget. E. Mitte orare: amicitia noſtra, quæ incœpta à paruis, cum ætate accreuit ſimul,hoc iubet. Libenter do vtendum, & eum mihi quæſtum in animum induxi vberrimum,tuis ſeruire commodis quā maximè. Tantum caue, ne calcaribus beſtiam plus æquo vrgeas,per ſe celeriter ambulat. C. Abſit timor,non vrgebo. M. Quando ad nos rediturus? C. Ante diem decimum quartum; niſi quid impedimenti interuenerit. E. Si aliquando tuo mihi opus auxilio fuerit,nonne præſtabis? C. De hoc ſi ambigis,iniuriam mihi facis. E. Tuis quibuſdam libris indigebo, quos ſæpius apud bibliopolam quæſitos non inueni, C. Amicorum communia

omnia,

omnia, vt Virgilius Maro dicere ſolebat, qui ſuam bibliothecam (quam ornatiſsimam, & refertiſsimam poſsidebat) doctorum nemini claudebat. Vtere, mi Euphemi, libris meis tanquã tuis, quoties vis. E. Amo te, Concordi, de tam liberali ingenio. M. Quia caballum tuum Concordio tam ſine vlla recuſatione ſtatim conceſsiſti, ne graueris, obſecro, mihi quoque commodare. E. Quid à me poſtulas? M. Adi mecum ad meum hoſpitem, tuamque ipſi fidem adſtringe, vt is mihi pecuniam det mutuam, quam illi in hoc quatriduo reponam: nam fideiuſſorem requirit. E. Hoc tam tutum non eſt, quàm equum dare mutuum. M. Immò tutum eſt. Noſti patrem meum ſat magna re, & virum bonum. E. Quantum tibi credi vis? M. Decem florenos. E. Spondebo pro te. M. Præſto ero viciſsim, quibuſcunque & quandocunque auxiliis meis opus habueris. E. In deſcribendis dictatis, quæ mihi deſunt, tua manu vterer, ſi tu velles. M. Cum voles ſignificato, deſcribam tibi omnia. E. Significabo, cum tibi aliquid vacui temporis relictum videro.

ANNOTATIONES.

VT POETÆ *VVLCANVM* FINGVNT) *Cauſſam, quare à Ioue de cœlo deiectus ſit, commemorat ipſe in extremo primo Iliados. Eius epitheton eſt,* ἀμφιγυήεις, *id eſt, vtroque pede claudus.* CÆCVS A CLAVDO OCVLOS) *Hac de re aliquot epigrammata extant lib. 1. Anthologiæ, quibus manum à manu*

lauari,

lauari, id eſt, homini hominis operam neceſſariam eſſe oſtenditur. Vide emblema Alciati CLX. *& in id* Claudium Minorem. A R G V T I A R V M, L E P O R V M) *Non puto quenquam librum græcum ad delectandum cum magna vtilitate lectorem magis inueniri appoſitum. De quo aliâs fortaſſe diſſeremus, quæ ad illum ſtudioſis vehementer commendandum facere iudicabimus. Vtinam aut Planudes, aut Aldus Manutius, aut poſtremo Henricus Stephanus ea epigrammata melius diſtribuiſſent; ſi confuſionem, inquam, ſuſtuliſſent, & ſingula ſuis ac propriis titulis ſubieciſſent.* E G O S V M L O R I P E S) *Dicuntur loripedes quorum obtorta ſunt crura, tanquam lorum, & idcirco tardius ambulant. Plaut.* Pœn.

Ne quicquā hos procos mihi elegi: loripedes tardiſſimos:
Qui ſi ituri eſtis hodie, ite, aut ite hinc in malam crucē.

Eoſdem ſupra appellârat homines ſpiſſigradiſſimos, & tardiores quàm corbitæ ſunt in tranquillo mari. V T V I R G I L I V S M A R O) *Euripid. in Oreſte,* κοινὰ γὰρ τὰ τῶν φίλων. *Dixit hoc primus Pythagoras. Meminit eiuſdem dicti in 2. Polit. Ariſtoteles, & Plato in 4. & 6. de Repub. Vide inſuper adagium; Amicorum omnia communia.*

PRO-

PROGYMNASMA SEPTVAGESIMVMNONVM.

Conſilium ad edomandam libidinem.

ADRIANVS, CLEOPHAS ſacerdos.

ADRIANVS. De pio quodam & docto homine memini me audire ſæpius, nullum vitium expugnatu adeo eſſe difficile, vt impuram libidinem, quam rerum ſacrarum ſcriptores carnis concupiſcentiam appellant. Eam in corpus noſtrum exercere aſsiduam quaſi tyrannidem, nec perfectè eius incendium niſi cum ipſa vita extingui. C. Nihil te putes aliquando verius audiſſe. Quomodo autem, quibúſue armis tu adoleſcens, tuoq́ iure viuens, contra hanc hydram decertas? quibus medicamentis, ſeu antidotis abs te virus prohibes? A. Erubeſco dicere, confiteorq́ meam in hoc genere pugnæ ignauiam. Quamobrem tu, R. P. mihi leges dignare tradere, quibus ſeruatis poſsim contūdere atq; interimere monſtrum illud. C. Iam primùm voluptati eſt mihi, quod doceri poſtulas. Docebo te, quæ ipſe vtilia ſenſi & ſentio. A. Non parum apud me profeceris: ſcito enim te diſcipulum docilem habiturum. C. Cum ſentimus nos feruore libidinis inflammari, atq; flammas illas per animū ſerpere, eumq́ depaſci, oportet tanquā ollam nimis efferueſcentem ac bullientem à foco remouere, ligna ſubtrahere,

here,frigidam infundere.A.Allegoria te quadam vſum video,quam te oro vt explanes. C. Animus noſter ab igne retrahitur,quando occaſiones,quę hunc ignem in membris noſtris ſuccendunt, euitantur. A. Quæ ſunt autem occaſiones iſtæ? C. Aſpectus curioſiores mulierum, earum præſertim, quæ ſunt forma præter cæteras honeſta ac liberali, atq; ætate integra. Colloquia cum iiſdem, auditiones, lectiones rerum obſcœnarum, viſa inhoneſta & otium.Otium inquam.Nam Diogenes rectè amorem otioſorum negotium dixit, & Theophraſtus πάθος ψυχῆς σχολαζούσης. Hæc & ſimilia flammam excitant. A. Vitabo has occaſiones diligentius,quam adhuc ſolitus ſum. Quæ vocas ligna? C. Cibum,potum,quibus ſi intemperantior fueris, admoues ligna huic foco, & alis ac nutris tibimet graue incendium. Nam ſi ſine Cerere & Baccho friget, nonne cum Cerere & Baccho calebit ardebitq; Venus? A. Non eſt dubium hoc. C. Quam verò putas eſſe aquam, qua infuſa iſti ardores frigeſcant? A. De hac velim tertio loco audire. Ne grauare hac quoq; doctrina me impertiri. C. Corporis afflictiones,& pœnas voluntarias,quas vocant pœnitentias. D. Benedictus in ſpinis,D.Franciſcus per niuem media hyeme ſe volutabat; vterq; vt ſæuientem in medullis Venerem reſtingueret.Tu ieiuna,humi cuba, feruenter dominum precare, vt te à peccato liberum conſeruet, & principiis obſta, turpesq; cogitationes & imagines ſimul vt ſenſeris repelle. Nam ſi conniueas, tanquam viſcum atque picem auellere difficulter poteris.Non mediocriter etiã

pro-

proderit, conſiderare id, quod in Venerea ſeu amatoria turpitudine delectat, temporaneum & exile admodum eſſe, ſi conferatur cum malis, quę eidem coniuncta ſunt. Sunt autem præcipuè quatuor: iactura temporis, qua quidem nulla eſt cenſenda maior; ipſius huius flagitij deformitas; infamia, & ſeruitus. Neq; verò bonis ingeniis quidquam eſt luxuria atque libidine magis mortiferum. A. Magnopere tua hac quantumuis breui inſtitutione adiutum me ad reſiſtendum intelligo. Inanis ad te veneram, plenus recedo. C. Deus tibi animos & robur addat, mi Adriane, tum in hoc, tum in aliis, quibus te expugnare nititur colluctator ille noſter, malorumq; omnium ſeminator diabolus.

ANNOTATIONES.

CONTRA HANC HYDRAM) *A palude Lerna dicta eſt hydra Lernæa, cui alij centum, alij octo capita tribuunt. Inter cæteros autē labores Herculis etiam hoc cum iſto monſtro certamen numeratur, cuius capite vno reciſo, plura ſtatim renaſcebātur. Hinc Cyneas orator, cum videret Romanos identidem poſt cladem copias inſtaurantes, dixit: Pyrrhum ſibi videri aduerſus Lernæam hydram bellum gerere.* D. FRANCISCVS PER NIVEM) *Ob eandem cauſſam alij ſe in gelidiſſimas aquas ſummo frigore nudos demerſerunt collo tenus, alij flagris atrociter ſeſe multarūt, alij longa ſe inedia confecerunt, alij demum alias, & ad ſenſum acerbas pœnas ſuſceperunt. Eſt autem memorabile quod de adoleſcēte quodam*

ſcripſit

ſcripſit in vita Pauli eremitæ D. Hieronymus. CVM MALIS QVÆ EIDEM CONIVNCTA) *Sunt ea quidem ſatis magna & multa quæ attulimus, cui cætera non ſufficient, ſi quis parum iis contentus erit. Tamen addamus illud, quod corpora ſeſe in cœno libidinis inſtar porcorum volutantium lue illa exeduntur, quam vulgus Gallicam appellat. Eorundem fœtorem ferre non poſſunt apiculæ, virgines vtique beſtiolæ, quæ ſine vlla coniunctione corporum propagant ſobolem. Quamobrem ſi quis de hoc genere ſordidiſsimorum hominum ad aluear aſtiterit, dicuntur eum aculeis ſuis euolantes depellere.*

PROGYMNASMA OCTOGESIMVM.

Innocentiæ patrocinium.

AGAPIVS, SEMPRONIVS.

AGAPIVS. Nec rarò, & plerunq; falsò, ſuſpicione duntaxat inani, leuiſsimisq; coniecturis adductus Erhardum accuſas, & odiſti eum immerentem. S. Tu verò nimis magno amore ac ſtudio es in adoleſcentem improbiſsimum. A. Mitte contumeliam. Cum improbis nullum mihi vnquam commercium nec fuit, nec erit. Quocirca pauliſper oculos aperi, atque conſidera, quibuſcum tu ſis aſsiduus, quoſq; diligas. S. Non poſſunt omnes in cœlo verſari, & tam inculpatam agere vitam vt tu. N. Nemini interdictum

ſtum puto ne ſit bonus: nec quiſquam cogitur eſſe malus. S. Ipſe Erhardus ſemet cogit in me ingratum, mea mihi commoda inuidentem, aliquid quotidie ſceleris contra me machinantem eſſe. Quid ego ſtolidus animum illius ex meo ſpectare volui? optimè promerenti hoccine pretij vt reddatur? A. Eho, quæ te peſtis tenet? tu Erhardum hæc facinora factitare ais? S. Tu negas? A. Multum indulges perturbationi, & das fræna libidini atque impotentiæ. Equidem certò ſcio, ſi quidquam eſt quod credam, aut certò ſciam, Erhardum eſſe alium, quàm tu per calumniam blateras, adoleſcentem virtutis cupidum ac ſtudioſum, & ab omni turpitudine abhorrentem: intus & in cute noui. Quamobrem te hortor maiorem in modum, vt amico & beneuolo in ipſum ſis animo, rancoremq́; iſtum tibimet excutias. A. Ægrè me tenere potero, quin ſi forte fortuna in ſolo loco in ſolum incidero, eum pugnis accipiam ſaltem, ſi ferro non vulnerem: quamuis capiundos mihi ſciam inimicos homines vniuerſos. A. Quid hoc verbi ex ore tuo profluxit? hæc ipſa tam peruerſa voluntas tua peccatum eſt, quamuis opus non ſequatur. Caueto: magno voles redemiſſe hanc audaciam & petulantiam tuam. Væ, ſi minimo digitulo attigeris. Si quidquam aliud credis, hoc crede, me ipſum abs te impunè violari non paſſurum. Charus mihi eſt Erhardus, quem quacunq; ratione aduerſus inſultus vimq́; tuam conabor defendere. Poſſum ego quoque pugnis te cooperire, Semproni, & imponere tibi vulnera æquè multa & luculenta, vt tu aut mihi, aut Erhardo.

hardo. Nec iſta ideo dico, quia velim: ſed vt ſcias, ſi aliter deterreri non poſsis, vimq́ nobis adferre omnino conſtitueris, nos vim vi repulſuros. S. Ohe, quantum patronum nactus eſt Erhardus? Non putâram tibi tam in viſceribus hærere illud flagitium hominis. A. Quid velitamur? curato res tuas, & innocentes ne perſequere. S. O innocentiam. A. In pertuſum dolium dicta ingeſsi, operam luſi.

ANNOTATIONES.

SI patrocinari ſceleribus graue eſt piaculum, defendere innocentiam erit eximia virtus. Hanc ergo excolamus. Sed prius conemur ipſi nos innocentes præſtare, omniq́ culpa vacuos. Haud enim præclarum eſt propugnare pro alio, ſi tu interim vulneribus ſis plenus. HOC VERBI EX ORE TVO PROFLVXIT?) *Cic. cum ſignificare vult aliquid dictum temerè potius, quàm cogitatò, dicit excidiſſe verbum ex ore alicuius. Græci* ἐκπεσεῖν, ἐκφυγεῖν. *Vide Victor. lib. 15. cap. 22.* VOLVNTAS TVA PECCATVM EST) *E ſacro Euangelio didicimus, qui viderit mulierem ad concupiſcendam, illum iam factum eſſe adulterum. Cogitationes igitur, & voluntates ſolæ aliquando flagitia & ſcelera ſunt. Bene D. Auguſtinus quodam loco. Voluiſti, feciſti. Et ſine voluntatis aſſenſu nullum eſt peccatum. Hinc illi apud Liuium lib. 1. Lucretiam animi ægram falsò conſolantes: mentem peccare, non corpus: & vnde conſilium abſuerit, culpam quoq́ abeſſe.*

PRO-

PROGYMNASMA OCTOGESIMVMPRIMVM.

Peregrinatio.

AMICVS, APODEMIVS.

AMICVS. Támne in rem tuam fore conſtituiſti, regiones exteras, & longinquas oras peruagari, ac procul ducere ſpiritũ à conſpectu patriæ, rebusq́ charisſimis? AP. Nec citò deſiſto, nec temerè incipio. Hanc ego mentem mihi diuinitus iniectam arbitror, non deponam. Dictus eſt dies itineri. AM. Hei vereor, ne quid iſta peregrinatio apportet mali. Quot annos fixum habes in hac peregrinatione tua conſumere? AP. Quot Vlyſſes, decẽ. AM. Quas terras potisſimùm quáſue ciuitates perambulabis? AP. Galliam, Italiam, Hiſpaniam, Britanniam, Belgicam, & tranſmarinas quoque prouincias, in iisq́ quidquid eſt oppidorum celebrium & inſignium. Cum primis autem cogito Bizantium, vbi Imperatoris Turcarum eſt domicilium. AM. Iſtam oro, ſi quis adhuc precibus locus, exue mentem, muta ſententiam. AP. Facilius æthiops pellem. AM. Semper in iſtos peregrinatores illud Horatianum conuenire duxi: Cœlum, non animum mutant, qui trans mare currunt. Hoc eſt, ęquè parum prũdentes, ſeu ęquè ſtulti affectibusq́ vitioſis impliciti in ſolum patrium reuertuntur, quàm diſceſſerant. AP. Fruſtra ergo poeta ſapiens Vlyſſem commendauit,

quod mores hominum multorum atq; vrbes luſtraſſet. Non fruſtra: ſic enim ſenſit, hoc ad comparandam prudentiam valere plurimum. AM. Vlyſſem ego naturà prudentem, & peracutum virum, antequam ad Troiam nauigaret fuiſſe exiſtimo. AP. Fuerit, tamen haud negabis, multa & varia videre; audire, cognoſcere, experiri addere incrementa prudentiæ. Atqui hæc domi inter cognatos, ſeruos & ancillas non adipiſcimur. AM. Nonne multi ſunt ſcripti, ſcribuntur, ſcribenturque libri, è quibus iſta quæ foris quæruntur, ac longè etiam plura cognoſcantur? Quidquid poſt hominum memoriam apud omnes gentes, omnibus ſæculis factum, dictum, cogitatum (ſi modo memoria dignum) hoc libri indicant, ad quos tu legendos non decem, ſed centum, immò mille potius annorum ſpatio indigebis. Minus, fateor, oculis & auribus, duobus ſenſibus curioſiſsimis ſatis fiet; animus quidem maiorem in modum recreabitur, & quaſi à multis Præceptoribus ad vnum ſcopum collimantibus vtiliſsimè inſtituetur. Nec prudentior modo, verùm etiam probior euadet, cum tot & tam illuſtria virtutum exempla intuebitur. Nihil admirabile ſecum iſti peregrinantes reportant. Regum palatia contemplati ſunt, ruinas vrbis Romæ, aut Ilij, cuiuſpiam magni Principis ſatellitium, alicuius Reginæ gynæceum, mulierum virorumq; varios veſtitus, monumenta lapidea, ſimilesq; nugas oculis tradiderunt. Interea ipſi fœdiſsimos morbos contraxerunt, patrimonia ſua profuderunt, ære alieno ſe obruerunt, bonum tempus malè amiſerunt, ſe-
metipſis

metipſis non quidem meliores, deteriores autem euaſerunt. Quid? labores quibus macerantur; quid? pericula quibus ſe iſti offerunt, quanta ſunt? quoties in fures, quoties in latrones, quoties in truculentas beſtias incidunt? quoties de via aberrant? quoties ſub dio pernoctant? quoties vbi nihil timendum, vehementer timent? Demum vbi diutiſsimè vagati ſunt, nec ſibi commodare poſſunt, nec patriæ. Affecta eſt enim ætas, & natura debitum repetit, morsq; adeſt in foribus. Vtinam verò ne patrię incommodarent potius, dum patrios mores cum barbaris & peregrinis permutant. Sapienter itaque Spartani legibus cauerunt, ne quis peregrinaretur, vt ne quid tale ciues ſui experirentur. Iſtuc eſt ſapere, inquit Terentius, non quod ante pedes modo eſt, ſed etiam illa, quę futura ſunt, proſpicere. Tu autem, cum non proſpicis, non ſapis. Ap. Semper foris inuenitur ac deprehenditur, quod domi inuentum deprehenſumq; non fuiſſet. Impendatur tempus, impendantur pecuniæ, maior eſt tamen qui inde prouenit quęſtus. Quam ſuſpiciuntur? quam in ore ſunt omni populo qui remotos locos, & alio ſole calentes terras tentauerunt? Am. Id populus curat, ſcilicet. Ap. Quàm permouetur & excitatur rerum varietate animus? quàm nonnunquam conſpectis rebus nouis inflammatur; vt ad ea nimirum agenda incumbat, quæ domi nunquam cogitarat? Iulius Cæſar cum Quæſtor in vlteriorem Hiſpaniam veniſſet, & mandato Prætoris iure dicundo conuentus circumiret, poſtquam Gades venit, animaduerſa apud Herculis templum Ale-

xandri Magni imagine ingemuit: & quaſi pertæſus ignauiam ſuam, quod nihildum à ſe memorabile actum eſſet in ætate, qua iam Alexander orbem terrarum ſubegiſſet, miſsionem continuò efflagitauit, ad captandas quamprimum maiorum rerum occaſiones. Tot res poſtea tantasq; geſsit, vt vel Alexandro par, vel ſecundus ſine controuerſia haberi queat. Age, reſponde mihi, ſi Iulius domi hæſiſſet, num ad immenſam iſtam fortium fœliciumq; factorum gloriam aſpiraſſet? Quid Plato? quid Apollonius? quid alij? nonne peregrinatione longinqua in Italiam, Indiam & Græciam inſtituta doctiores facti? Si domi præſtò erant illæ opes, cur eas foris quærebant? ſic ego etiam in literis magiſtrum aliquem excellentem fortaſſe reperiam, à quo erudiar breui tempore quam perfectiſsimè. Quis nomen aliquod geſsit inter doctos, qui nullam Academiam vnquam vidit? Peregrinandum, aut omnis vita concidat neceſſe eſt. Nulla enim eſt Reſpub. quæ omnia apud ſe habeat, & cui in omnem partem nihil deſit. Am. Talia perſtabat memorans, fixusq; manebat: audax nempe & inconſultus iuuenis ille Turnus, cui tu ſimilis. Sed me reprimo, ne durius ex me quidquam audias. Tui me pudet. Ap. Pudeat ſi ſceleſtos, non ſi probos & ſapientes ad immortalitatem mihi præeuntes ſequar.

ANNOTATIONES.

Mentem mihi divinitvs iniectam) *Quomodo Græci dicunt* ἐμποιεῖν

ἐμβα

ἐμβαλεῖν μοι, ita Latini dare, iniicere mentem, impellere in mentem, pro, excitare deſiderium in pectore alicuius, ſubitoq́; ad aliquid agendum impellere. Cic. 1. Catil. & pro Milone. Liuius lib. 6. Sed nunquam propter me de cœlo deſcendent, vobis dent mentem oportet, vt prohibeatis. Plura Victor. lib. 7. cap. 5. QVOT VLYSSES) De hac peregrinatione viri ſapientiſſimi tota eſt Odyſſea. Cuius imago & effigies quædam, parua tamen velut ex magna tabula depicta, à Virgilio nobis ſpectanda proponitur in 6. prioribus libris Æneidos, quemadmodum Iliados in 6. poſterioribus. COELVM NON ANIMVM) Diſputat vehementer aduerſus eos Seneca, qui peregrinationibus ſuis animo quærunt medicinam. Quid prodeſt, inquit, mare traiicere & vrbes mutare? Si vis iſta, quibus vrgeris, effugere, non alibi ſis oportet, ſed alius. Et infra, longè. Peregrinatio non facit medicum, non oratorem. Nulla ars loco diſcitur. Quid ergo? ſapientia res omnium maxima in itinere colligitur? Nullum, mihi crede, iter eſt, quod te extra cupiditates, extra iras, extra metus ſiſtat. Aut ſi quod eſſet, agmine facto, gens illuc humana pergeret. Epiſtola eſt CIIII. quam legiſſe totam proderit. ALEXANDRI MAGNI IMAGINE) Scribit hoc Sueton. in Iulio, cap. 7. M. Antonij Caſanouæ argutum epigramma fertur, quo hoſce duos inter ſe comparat.

Spectat Alexandri picta vt certamina Cæſar,
Aſt ego nondum aliquid geſſi: ait illacrymans.

Quid ſi & Alexander ſpectaſſet Caſaris acta?
Dixiſſet: Perſas vincere pigritia eſt.

Quis porrò ornatus eſſet olim eorum, qui ad iter longinquum ſe accingerent, è pluribus Plauti locis diligenter collegit, & literis mandauit noſter Victor. lib. 1. cap. 24.

PROGYMNASMA OCTOGESIMVMSECVNDVM.

Gratus animus.

ACATIVS, TERENTIANVS.

ACATIVS. Quid aggreſſus es componere in præſens? T. Orationem de grata animi voluntate. A. Eſtné comparata tibi materia, & ea quidem copioſa? nam niſi ſubeſt res ab oratore percepta & cognita, oratio ipſa, quæ ex rerum cognitione effloreſcere ac redundare debet, elocutionem habet inanem, ac pæne puerilem. Sic ſub Craſsi perſona oratorum princeps M. Tullius. T. Congeſsi quædam ac diſpoſui, quæ verbis ornarem ac dilatarem. Sed tu optatò adueniſti. A. Quare? T. Multæ lectionis es, & quoddam quaſi viuum cornucopiæ. Memora igitur mihi inſigne exemplum relatæ gratiæ, Imperatoris aut Regis alicuius. Item inſigne cuiuſpiam animantis; nam quæ ego conquiſiui, neſcio quomodo non ſatis luculenta mihi videntur. A. Non eſt ita

ita vulgatum illud Auguſti, de quo in eius vita Suetonius. T. Nondum dedi me ad euoluendum Suetonium. Quale autem eſt? A. Pulchrum eſt, & memorabile. Veteranus quidam miles cum in ius vocaretur, ad illum adiit in publico, rogauitq́ꝫ vt ſibi adeſſe vellet. Cæſar è comitatu ſuo virum magnum delegit, cui litigatorem illum commendauit. Hîc miles: at ego Cæſar, cũ tu bello Actiaco periclitarere, vicarium non quæſiui, ſed ipſe pro te pugnaui; ſimul cicatrices oſtentauit. Erubuit Auguſtus, & ne cùm ſuperbus, tùm ingratus putaretur, veterani patrocinium ſuſcepturus ad iudiciũ acceſsit. T. Quis huic ſummiſsioni ſummam laudem non tribuat? Ponam vtiqꝫ hoc factum in oratione mea. De animali iam quæro. A. Tu de vno quæris, ego de duobus narrabo. Eſt enim verè liberalis, cumulare altero tanto, quod gratis ſit daturus. T. Euge, volenti & cupienti, & memori dabis quidquid dederis. A. In oppido Seſto educauerat aquilam virgo. Quæ vt educatrici referret gratiam, aues captas ad ipſam comportabat. Vbi ſua fata virginem tulerunt, & in rogum eſt impoſita, deuolans in eundem rogum aquila ſimul cum virgine conflagrauit. T. Pulchrum, & reginæ auium conueniens facinus. Quod eſt alterum? A. De rege quadrupedum. T. De leone? A. De leone. Romæ olim inter beſtiarios in circum maximũ eſt introductus quidam Dacus, Androdo nomen fuit. Erant ibi tum feræ magnitudine & ſæuitia inſignes, ſed præter omnes leonum inſignis & admirabilis immanitas, præterq́ꝫ cæteros vnius, qui vaſtitate corporis, &

terrifico fremitu ſpectantium in ſe oculos aureſq́ conuerterat. Hic vbi Androdum vidit, procul, repente, quaſi admirans conſtitit; deinde ſenſim ad hominem perrexit, caudam more canum adulantium blandè mouit, crura & manus prope iam exanimati lambere cœpit. Auſus eſt paullatim inter talia blandimenta leonem intueri cum ſe collegiſſet Androdus, & illũ recognoſcere, à quo recognoſcebatur. Accerſitur à Cæſare, quæritur cauſſa, cur ipſi leo atrociſsimus pepercerit. Narrat quiddã inauditum. Cum, inquit, Africam dominus meus proconſulari imperio adminiſtraret, quotidianis verberibus coactus ſum ab eo profugere. Et quo tutior eſſem, in camporum & arenarum ſolitudinem me contuli. Meridie, cum ſol eſſet rapidiſsimus, ſpecum latebroſam ſubeo, ad quam paullò poſt hic leo venit, vno pede debili & cruento, gemitus edens, quibus dolorem ex vulnere prodebat, Primo aſpectu ſubito pauore pectus mihi percellitur. Sed cum intraſſet in latebram ſuam, meq́ ibi deliteſcentem offendiſſet, mitis ad me adiit, ſublatumq́ pedem oſtendit, & quaſi opis petendæ gratia porrexit. Ibi ego ſtipitem ingentem veſtigio pedis eius hærentem reuulſi, conceptamq́ ſaniem vulnere intimo expreſsi, & cruorem penitus deterſi. Mox ille hac medela mea curatus, pede in manibus meis repoſito requieuit. Inde triennium totum ego & leo in eodem antro, eodemq́ victu tranſegimus. Quas enim venabatur feras, membra opimiora ad me afferens ſuggerebat: quæ ego ignis copiam non habens, ſole meridiano torrebam. Poſtea huius

huius vitæ pertæſus, leone in venatum profecto, ſpecum reliqui, & tridui viam permenſus, à militibus captus, atque ad dominum ex Africa Romam deductus ſum. Is me rei capitalis damnandum, & beſtiis obiiciendum curauit. Intelligo autem hunc quoque leonem captum, nunc mihi gratiam pro beneficio referre. T. Tantáne humanitas in tam audaci bellua? A. Fuit deinde hic Androdus petēte populo Romano liber dimiſſus, & ipſi leo muneri datus; quem tenui loro reuinctum, per totam vrbem ſecum ducebat. Et donabatur quidem ære Androdus, leo autem floribus ſpargebatur, cum omnes propemodum qui fierent obuij dicerent: hic eſt leo hoſpes hominis: hic eſt homo medicus leonis. T. Ineſt lepos & admiratio magna in hoc miraculo, quod certùm ſcio auditorum auribus fore acceptiſsimum. A. Mirum eſt igitur homines non eſſe gratos, cum grati ſint aquilæ, leones, ciconiæ, canes, & aliæ animantes. Immò inanima; vt ipſa natura exprobrare nobis noſtrum vitium videatur. Nam arbor putata quam lætas emittit frondes? quam ſuaues, vt cultorem ſuum remuneretur, progignit fructus? Vinea quantam circum vites vndiquaque ad aſpectum iucundiſsimè pendentium vuarum copiam profert? agri denique opere ruſtico ſubacti, quāto cum fœnore iniecta ſibi ſemina refundunt? T. Etiam iſtis tum ad gratos laudandos, tum ad ingratos inſectandos vti fixum ſedet animo.

ANNO-

ANNOTATIONES.

EX RERVM COG. EFFLORESCERE AC RED.) *Hæc in proœmio lib. de Oratore: in quo idipſum his verbis paullò ante. Eſt enim ſcientia comprehendenda rerum plurimarum, ſine qua verborum volubilitas inanis, atq; irridenda eſt. Et Craſſus poſtea. Hæc autem oratio, ſi res non ſubſit ab oratore percepta et cognita, aut nulla ſit neceſſe eſt, aut omnium irriſione ludatur. Quid eſt enim tam furioſum, quàm verborum vel optimorum atq; ornatiſſimorum ſonitus inanis, nulla ſubiecta ſententia, nec ſcientia? Sunt autem hîc duæ nobis explicandæ metaphoræ, efflореſcere, & redundare. Prior ducta eſt à floribus foras erumpentibus: oratio enim oratoris tanquam flos exoritur et naſcitur. Sic de Partit. in extremo lib. Quæ quidem è media illa noſtra Academia effloruerunt. Poſterior à liquoribus & aquis ſumpta eſt, quæ ſuperfluunt, & præ copia vaſis ſuis contineri non poſſunt, quin aliquid effundatur. Sic oratio ex illa multiplici & multa rerum cognitione quodammodo effundi debet.* BELLO ACTIACO) *Actium Epiri promontorium eſt, vbi nauali prælio cum Antonio & Cleopatra conflixit eosq; ſuperauit Octauius, in ſerum diei dimicatione protracta, vt in naui victor pernoctauerit. Victi Alexandriam perfugerũt. Quo autem Actiacæ victoriæ memoria celebratior in poſterum eſſet, vrbem Nicopolim apud Actium condidit: ludosq; illic quinquennales conſtituit, &c. Sueton. cap. 16. 17.*

16.17.& 18. IN OPPIDO SESTO) *Narrat hoc Plin. lib. 10. cap. 5. additq́. Quam ob cauſſam incolæ, quod vocant Heroum, in eo loco fecere, appellatum Iouis & virginis, quoniam illi Deo ales adſcribitur. Cur autem adſcribatur, cauſſam affert cap. 3. Negant, inquit, vnquam ſolam hanc alitem fulmine exanimatam; ideo armigeram Iouis conſuetudo iudicauit.* DE REGE QVADRVPEDVM) *Nemorum dominum regemq́ vocat Martial. lib. 1. epigram. 61. Hanc autem hiſtoriam fuſius percenſuit Gellius lib. 5. cap. 14.*

PROGYMNASMA
OCTOGESIMVMTERTIVM.

Ignorantium inſtitutio.

PAEDEVTICVS, DOCIMASIVS.

PÆDEVTICVS. Si quib⁹ in beneficiis acceptis magna eſt gloria, ecquid in iiſdem datis multa laus erit? D. Multa, maiorq́ etiam: nõ enim virtutis opus eſt accipere, ſed dare. Quo fit, vt hoc quàm illud longè ſit iucundius: tametſi id non ſtatim apparet. P. Sic te reſponſurum diuinabam. Quod autem beneficium magis eximium poteſt accipi, quàm doctrina? D. Nullum profectò. P. Ergo nec dare quidquam maius poſſum, ſi nihil maius poteſt accipi. D. Non nego. P. Quid cauſſæ? D. Ignornatia malum maximum: ex

ex quo conſequitur, vt ſcientia ſit maximum bonum. Quin vt Cicero affirmat: ne in Deo quidem ſcientia eſt res vlla præſtantior. P. Haud abſurdè. Inprimis igitur decet alios erudire; id eſt, hoc aliis impertiri, quod & danti & accipienti ſit honeſtiſſimum. Num ita eſt? D. Pulcherrimum vtiq; munus docere indoctos, atq; etiam doctori vtiliſsimum. Nam vt vulgi verbũ eſt, qui alium docet, ſeipſum docet: multò ſiquidem accuratius perpenduntur & excutiuntur omnia, fiũtq; notiora, cum tradenda ſunt neſcientibus. Eſt quoq; bonitatis proprium, quibus ipſa abundat, ea ad alios trãsfundere, & alacriter cum ipſis diuidere: quod qui recuſat, hic malignus, inuidus, ac ſuperbus habeatur. Quocirca velut ab illo ſeruo, qui talentum ſuum ad vſuram dare noluerat; etiã id quod videtur tenere, auferetur. P. Ponendi ergo in vitio, quotquot Antiſthenem imitantur. D. In quo? P. Nemini ſe ille ad docendum dabat: atque etiam Diogenem baculum intentans repellebat. Quem tamen perſeuerantia ſua ille expugnauit. Subiecto enim capite aliquando: cæde, inquit, nõ enim ita durum baculum reperies, quo me abigere abs te poſsis, quamdiu aliquid dixeris. D. Quæ fuit iſta humanitas? immò quæ immanitas? docétne iſtuc philoſophia? P. Verùm vt hi reprehendendi, ſic vehementer commendandi, & amandi qui cupidiſsimè, ac nulla etiam propoſita mercede inſtituunt ignorantes; idq; vel grauiſsiſsimè dolent, ſi functionis huius nulla detur occaſio. D. Quod ad me quidem attinet, prædico & amo amore ſingulari homines huius generis, ac te in-

te inprimis,qui tot annos in ſacris profanisq; rebus in ſchola, & extra ſcholam explicandis iam conſumpſiſti. P. De me cogitare deſinito. Non ego quòd hanc tuam laudationem aucuparer, hunc ſermonem introduxi. Te potius ad eorum imitationem excitare volui, quos ipſe diligo & admiror. Facere autem nequeo, quin vnius cuiuſdam viri ſancti exemplum tibi ſtatuam ante oculos, Chriſtianis omnibus ſtudioſius imitandum. Id nuper cum Ioannis Damaſceni vitam euoluerẽ,cum voluptate legi, & alta mente repoſui. D. Quia tibi vſqueadeo delectationi fuit, nõ ſim homo,ſi mihi non valde placeat. P. Saraceni, qui Damaſcũ Syriæ vrbem incolebant, aliquando pro more piraticam facientes, Chriſtianos captiuos ſecum frequentes rapuerunt; eorum partim ſub corona deinde vęnierunt,partim iugulati ſunt. Fuit inter hos monachus Coſmas nomine,vir & moribus innocentiſsimus, & omni tum ſacrarum,tum profanarum literarum genere inſtructiſsimus. Hunc vbi Ioannis parens,Chriſtianus,& opibus pollens lacrymantem obſeruauit, admirans, cur fleret percunctatus eſt; nam ei aut ſeruitutem intolerabilem, aut mortem ipſam horribilem videri debere, qui huius vitæ commodis & voluptatibus nuntium remiſiſſet, totusq; iam in cœlis animo & cogitatione conſiſteret,non putabat. D. Reſponſionem ad iſtud interrogatum ſitibundus quodammodo exſpecto, & egregiam fore non dubito. P. Tum Coſmas. Non tyrannidem ſeruitutis, nõ huius lucis amiſſionem fleo. Hoc me excruciat, & in fletum vrget,

get, quod cum tot ingenuis diſciplinis, diuinæq́; & humanæ philoſophiæ tantum operæ dederim, multamq́; mihi, & ſplendidiſsimam ſupellectilem compararim, hactenus tamen eam opportunitatem non inuenerim, vt theſaurum meum in alios diſpertirem, perq́; philoſophicam inſtitutionem, quaſi quendam mihi ſimilem filium procrearem. Nam vt reliqui mortales ad perpetuandum genus & familiam miro liberorum ſuſcipiendorum deſiderio afficiuntur: ſic qui philoſophiam imbiberunt, amant ipſi quoq; alios informando, & ſapientiam ſuam cõmunicando filios progignere: nempe vt nobiliſsima illa philoſophorum ſapientumq́; ſucceſsio per infinitas ſæculorum ætates extendatur. Atq; huius partus auctores indelebile nomen ſequitur. Cupiebam itaq; id quod mihi ſapientiæ contigiſſet donare aliis: ea ſpe deiectus ſum. Nec talentum hoc meũ vnà cum fidelibus ſeruis dare nummulariis conceditur; nec filium mihi eruditionis meæ hæredem generare poſſum, & ex hac vita tanquam orbus, & ἄτεκνος abire cogor. His auditis, Damaſceni parens virum conſolatus, à Principe Saracenorum eum impetrat, ſuoq́; filio Ioanni adoleſcenti magiſtrũ adhibet, cuius ille præceptis eam ſcientiam eſt adeptus, quam in eius libris qui feruntur ſuſpicimus. D. O incredibilem, & inuſitatam huius Coſmæ humanitatem, ô præcellentem in homines charitatem, ô verè diuinum animum. P. Non ideo tantos in diſcendo labores exhauſerat, non ideo ſapientiæ compos factus erat, vt digito prætereuntium monſtraretur, verùm

rũm vt alios erudiret. Ac poterat ſanè illa Eccleſiaſtici de ſe non iniurià vſurpare. *Multam inueni in memetipſo ſapientiam, & multùm profeci in ea. Reſpicite, quoniam non mihi ſoli laboraui, ſed & omnibus exquirentibus diſciplinam. Appropiate ad me indocti. Quid adhuc tardatis? comparate vobis ſine argento ſapientiam, & collum veſtrum ſubiicite iugo eius, & ſuſcipiat anima veſtra diſciplinam.* Non hic deſiderabat quæ contempſerat. Vnum optabat; pietatis & doctrinę ſuæ hæredes relinquere. Et profectò vnum multorum inſtar reliquit. Eſt quippe inter Theologos, & Eccleſiæ Catholicæ proceres Ioannis Damaſceni auguſta memoria. Quo nihil habebat melius, quo nihil præſtantius ac ſalutarius iudicabat, id ardentiſsimè gratis impertiri cupiebat; angebaturq́ longè amplius, quod ſibi prodeſſe non liceret, quam ſcelerati dolent, quod ipſis nocere nõ licet. Deum parentem munificentiſsimum imitari pro ſuo modulo connitebatur, qui dat omnibus affluenter, & improperat nemini. D. Vtinam ea eſſet eruditio mea, vt ad diſcendum alios inuitare poſſem. Voluntas quidem huius tam præclari officij nunquam à me diſcedet. P. Etiam pueros audire oportet, quæ ſenes aliquando facti obſeruent. Tu adoleſcens iam optimis literis deditus, cum ad pileum vocatus fueris, cingulumq́ ſcholaſticæ militiæ depoſueris, Coſmam hunc pro virili ſtudebis exprimere. D. Haud ſurdo dictum.

ANNOTATIONES.

HOC QVAM ILLVD LONGE SIT IVCVNDIVS) Cic.pro M.Marcello. Ille quidem (Marcellus) fructum omnis anteactæ vitæ hodierno die maximũ cœpit, cum ſummo conſenſu ſenatus, tum præterea iudicio tuo grauiſſimo, & maximo: ex quo profectò intelligis, quãta in dato beneficio ſit laus, cum in accepto tanta ſit gloria. Argumentatio eſt à minore. Sed magis laudari εὖ ποιοῦντα quàm εὖ παθόντα, & glorioſius eſſe afficere, quam affici beneficio omnes fatebuntur. Delectari etiã vehementius illos quàm hos, non ita manifeſtum eſt. Et tamen ita eſt profectò, ſi modo putas conſtantem, & ſedatam, atq; à iudicio profectam lætitiam geſtienti quadam, & ſubita atq; effuſa lætitia maiorẽ eſſe poſſe. PVLCHERRIMVM VTIQVE MVNVS) Pulchrúm ne videtur tibi à multis liberis patrem, à plurimis nepotibus auũ nominari? Pulchrúm ne bonorum & nominis ſucceſſores cõplures relinquere? Atqui erudire alios quid eſt niſi eos iterum generare, facereq́; vt quod dicuntur, homines ſcilicet, id verè dicantur, & eoſdem non fluxi, ſed permanentis patrimonij hæredes inſtituere. ἡ γὰρ σοφία μόνη τῶν κτημάτων ἀθάνατον, inquit ad Demonicum Iſocrates. DOCETNE ISTVC PHILOSOPHIA) Si legamus quæ literis prodita ſunt de vita et moribus multorum philoſophorum, nõ eas magis philoſophicas, quàm philoſophorum vitas appellandas cenſebimus: non enim cum decretis philoſophiæ, ſanctiſſimisq́; præceptis conſentiunt:

tiunt: vt Phariſæorum quondam, de quibus Chriſtus; dicunt & non faciunt. Et rurſus: quæ dixerint vobis, ſeruate & facite, ſecundum verò eorum opera facere nolite. Conqueritur hac de re etiam Cic. Tuſcul. 2. Sed hæc eadem num cenſes apud eos ipſos valere, niſi admodum paucos, à quibus inuenta, diſputata, conſcripta ſunt? Quotus enim quiſq; philoſophorum inuenitur, qui ſit ita moratus, ita animo ac vita conſtitutus, vt ratio poſtulat? qui diſciplinam ſuam non oſtentationem ſcientiæ, ſed legem vitæ putet? qui obtemperet ipſe ſibi, & decretis ſuis pareat? EORVM PARTIM SVB CORONA VÆNIERVNT) *Non eſt quidquam cauſſæ cur hoc loquendi genus inuſitatum credatur, quo Ciceronem crebrò vti certum eſt. lib. 2. de diuinat. Quorum partim ficta apertè, partim effutita temerè nunquam ne mediocri quidem cuiquam, non modo prudenti probata ſunt. 2. de Orat. Sed eorum partim in pompa, partim in acie illuſtres fuerunt. Prætermitto reliqua teſtimonia. Gellius lib. 10. cap. 13. Partim hominum venerunt, plerunq; dicitur: quod ſignificat, pars hominum venit, id eſt, quidam homines. Nam partim hoc in loco aduerbium eſt, neq; in caſus inclinatur: ſicuti, cum partim hominum dici poteſt, id eſt, cum quibuſdam hominibus, & quaſi cum quadam parte hominum, & quæ deinceps ſequũtur. Cur autem ſerui pileati venderentur, & quid ſit vænire ſub corona, exponit idem Gellius lib. 7. cap. 4.*

PROGYMNASMA OCTOGESIMVMSEXTVM.

Amor, & amicitia.

SYMPHRASTVS, PASIPHILVS.

SYMPHRASTVS. De amore verba facturum te polliceris. De illóne, quo de Plautus. Qui in amorem præcipitauit, peius perit, quàm ſi ſaxo ſaliat? Et, Amor melle & felle eſt fœcundiſsimus. Amor mille modis ignorandus eſt. In quo Terentius ait ineſſe iniurias, ſuſpiciones, inimicitias, inducias, bellũ, pacem rurſum. De cuius cultoribus alius poëta;

Durius in terris nihil eſt quod viuat amante;
Nec, modo ſi ſapias, quod minus eſſe velis.

De hiſce perditis & flagitioſis amoribus ſcholam tu explicabis? P. Nequaquam de iſto amandi genere dicam, quod in auidè hauriẽdis libidinibus, & in impura quadam intemperantia cernitur, magisq; belluarum quàm hominum proprium, ac diuinis legibus interdictum eſt. A quo multi ad exitium corporis & animæ præcipitati ſunt, & adhuc alij præcipitantur. Neſcierunt amare, quia modum non tenuerunt; fines tranſierunt, quos vltra citraq; nihil rectum. Videndum, quem, cur, quantum amemus. S. Scio iam de quo amore auditurus ſim, audiamq; libentiſsimè. P. Non ſine cauſſa Empedocles litem & amicitiam cum rerum

rerum principiis induxit. Videbat enim quodam amoris fœdere vniuerſam naturam, atq; ipſa elementa contineri. Id ſi rumperetur, alias ex aliis rebus procreari, & eouſq; procreatas manere, dũ amor ille fœdusq́; ſtabile permaneret. Hic omnium artium fons & origo eſt. Quando enim homines texendi, ædificandi, medendi, fabricandi ſcientias excogitaſſent, ſi eas impenſius non amauiſſent? hic omnium animantium pater eſt; inde enim generantur. Idem tutor eorundem & conſeruator. Principio, inquit Tullius, generi animãtium omni eſt à natura attributum, vt ſe, vitam, corpusq́; tueatur, declinetq́; ea, quæ nocitura videantur, omniaq́; quæ ſint ad viuendum neceſſaria inquirat & paret: vt paſtum, vt latibula, & alia eiuſdem generis. Commune item animantium omnium eſt coniunctionis appetitus, procreandi cauſſa, & cura quædam eorũ quæ procreata ſunt. Quid hæc aliud ſunt, niſi, vt vno complectar verbo, amor? Atq; vt mundus eſſe ſine ſole nõ poteſt, ſic nec hominum vita ſine amore. S. Solem è mundo tollunt, qui amicitiam tollunt. P. Is enim maleuolentiam, rixas, iras, inuidiam, odia, ſimultates fugat, quæ ſunt vitæ peſtes. Contra, trãquillitatem mentis, concordiam, pacem, familiaritates, multorumq́; officiorum coniunctionem parit; quæ omnia non magis ab amore ſecerni & ſeparari queunt, quàm ab igne calor, à glacie rigor, à niue candor. Ab eo ductũ eſt nomen amicitiæ, quam Cicero appoſitè ad noſtram ſententiam vnde orſi ſumus, omnium diuinarũ humanarumq́; rerum cum beneuolẽtia & charitate

ſummam conſenſionem vocat. S. Sed ego te ab iſta generali amicitia amoreq́ communi naturarum ad hominum inter ſe conſociationem velim deſcendere,& illius pulchritudinem, vtilitatemq́ declarare. P. Deſcendam verò, nec tamen leges dabo,quod facit perbene Tullius. Ac illud primùm aio. Cum fideli amico nec aurum nec argentum, nec vllam rem pretioſam comparandam videri,eſſeq́ anteponendum quamuis Crœſi opulentiæ. Alexander interrogatus, vbi haberet theſauros ſuos, oſtenſis amicis, in his, inquit. Rectè item Darius,cum prægrande malum punicum aperuiſſet,& quidam ex eo quæreret, cuius rei tantum ſibi numerum optaret, quantus illic eſſet granorum. Zopyrorum reſpondit. Hic vt Babyloniam in regis poteſtatem redigeret, nares, aures, & labia ſibi præciderat. Et cum terra fruges efferat in anno ſemel, amicitia ſemper, hyeme, æſtate, vere & autumno fructuoſa eſt. Quot amicos pararis,tot oculos habes quibus videas quæ velis; tot aures, quibus quæ decet audias: tot conſilia quibus de vtilibus conſultes & proſpicias. Non enim aliter ſe habet plurium amicitia, quam ſi cui Deus vnum corpus habenti multas inderet animas, quæ omnes illi prouiderent & conſulerent. Sine amicorum beneuolentia neque in aduerſa, neque (quod mirabilius eſt) in ſecunda fortuna viuere quiſquam poteſt. Quin placidius tolerantur cum amicis calamitates acerbiſsimę, quàm ſine illis feruntur proſperitates maximæ. Ea autem eſt iucundiſsima amicitia, quam ſimilitudo morum bonorum coniugauit.

gauit. Nihil hac amabilius, nihil copulatius. Nec niſi inter bonos vera eſt perfectaq; amicitia. Quid enim malis cum virtute? amicitia virtus eſt. Hanc colamus. Et oderimus quidem tanquam amaturi, non tamen etiam amemus, vt aliquando oſuri: qua voce nullam inimiciorem amicitiæ reperiri potuiſſe affirmabat Scipio Africanus; nec id à Biante, qui vnus è ſeptem ſapientibus eſſet habitus, ſed ab impuro quodam & ambitioſo, & omnia ad ſuam potentiam reuocante dictum credebat.

ANNOTATIONES.

QVI IN AMOREM PRAECIPITAVIT) *Amantium miſerias, & amoris artes euentusq; infœliciſſimos creberrimè ponit ante oculos Plautus. Exempli gratia, Moſtellaria in perſona Philolachetis, & Trinummo in perſona Lyſitelis. In Ciſtellaria verò ſic ait adoleſcens Alceſimarchus, cui quæ paſſim in illis comœdiis inſeruntur perſimilia ſunt.*

Credo ego amorem primum apud homines carnificinam commentum,
Hanc ego de me coniecturam domi facio, ne foris quærã,
Qui omnes homines ſupero, atque antideo cruciabilitatibus animi,
Iactor, crucior, agitor, ſtimulor, verſor in amoris rota miſer,
Exanimor, feror, differor, diſtrahor, diripior, ita nullam mentem
Animi habeo: vbi ſum, ibi non ſum: vbi non ſum, ibi eſt animus.

& alia demum ibidem non pauca. ALIVS POETA) *Propertius eſt hic poëta, cuius præter hoc diſtichon etiam illæ voces ſunt, lib. 2.*

Scilicet inſano nemo in amore videt.
Nullus liber erit, ſi quis amare volet.

EMPEDOCLES LITEM ET AMICITIAM) *Empedocles Agrigentinus philoſophiam ſuam explicauit verſibus. Fuiſſe & orator, & diſcipulum erudiiſſe Gorgiam Leontinum dicitur. Vixit annos IX. ſupra centum. Deſiluit autem in crateras Ætnæ, dum perſuadere vult hominibus, ſe ad deos abiiſſe, deumq́ factum. Eſt tamen res patefacta, cum vna ex eius crepidis à flamma in altum ſubleuata & eiecta eſſet; æreis enim crepidis vti ſolebat. Sequitur hanc de eius morte ſententiam Horat. ad Piſon. Cum autem ſtatuiſſet ignem, aërem, aquam, terram rerum initia, addebat illis amicitiam, qua contraherentur, & litem qua diſsiparentur. Meminit Cic. in Lælio. Laudat eũ pluribus, & politiſsimis carminibus Lucretius in 1. quorum hoc eſt principium.*

Quorum Acragantinus cumprimis Empedocles eſt,
Inſula quem triquetris terrarum geſsit in oris.

Vide inſuper Plutarch. de placitis philoſophorũ li. 1. ca. 3. NEC TAMEN LEGES DABO) *Extat oratio Themiſtij Euphradæ philoſophi, diſertiſsima ſanè multóque pulcherrima de Amicitia. In qua præter alia hæc tria explicat. Quibus indiciis cognoſcamus, quis ad amicitiam noſtram ſit idoneus: ſeu, quænam in deligendo amico ſpectare debeamus. Quomodo deinde tanquam piſcis hamo capiendus nobiſque*

adiun-

adiungendus. Quomodo tandem ſeu quibus rationibus retinendus. Ad hoc tertium pertinet tota epiſtola Senecæ numero tertia, qua docet ſincerè aperteq́ cum amico agendum. NARES, AVRES, ET LABIA) *Hiſtoria eſt apud Herodotum lib.3. Plutarch. in apophtheg. Regum, & Imp. Iuſtinum lib.1.* TOT OCVLOS HABES) *Themiſtius. Beatus ille, qui priuatus cum ſit, huiuſce boni compos fieri potuit: Is verò longè beatior, qui plurimis vrbibus, & immenſæ alicui regioni præeſt. Cui enim multa opus eſt videre & audire, multa eodem tempore curare ac moderari, huic certè paucæ ſunt aures duæ, oculi duo, corpus vnum, & vna perpetuò inhærens anima. Quod ſi is amicorum copia abundet, ſæpiſſimè videbit ea, quæ propinqua non ſunt, audiet, longinqua & remota vatum more proſpiciet, eodemq́ temporis momento pluribus, Deo certè ſimilis, videbitur intereſſe. Eadem Dio Chryſoſtomus orat.2. de regno.*

PROGYMNASMA
OCTOGESIMVMQVINTVM.

Modeſta eruditio.

SOPHRONISCVS, MODESTINVS.

SOPHRONISCVS. Quales tu inter literatos iudicas eos, qui ab animi moderatione alieniſsimi ſuam eruditionem ipſi ſuſpiciunt, &

vſq; eo nemini ſe poſtponunt,vt etiam multis anteponant, ſe commendari cupidiſsimè audiunt, quod ipſi ſomniauerũt, id omnes credere,& tueri cupiunt: maluntq; ſurſum ac deorſum ferri, & perire omnia, quàm opinationes vel abſurdiſsimas deſerere, & aliquid ſe neſciſſe confiteri. Nec refellere, nec refelli ſine iracundia & maledictis poſſunt.Et quamuis ipſi honores impensè conſectentur,alienę tamen glorię obtrectant:quaſi hoc minus honorati futuri ſint, quod aliis quoq; honor tribuatur. Denique ſicut modeſti ingentem quendam, & commendatione inprimis dignum literarum amorem tantum præ ſe ferunt, eóque ſolo ſibi magnoperè placent,ſcientiam artificiosè diſsimulant ac tegunt: ita hi, modeſtiæ inimici, quod didicerunt, diſsimulare ác tegere nequeunt,ſéque impotenter iactant,& neſcire quædam malunt,quàm à quocunq; diſcere. Et cum ſibi ſemitã non ſapiant,aliis conantur monſtrare viam, polliceanturq; diuitias, à quibus ipſi drachmam petunt,vt ait apud Ciceronem Ennius. M. Quales obſecro iudicare poſsim,niſi arrogantiſsimos, nec rationibus coarguendos, ſed verberibus emendandos, vt deliros atq; inſanos? S. Solent ex his quidam clamitare,cum è vetuſtis Patribus locus aliquis eorum impuriſsimis ac peſtilentiſsimis dogmatibus aduerſarius profertur,ipſos homines fuiſſe,& erraſſe. Quando igitur aut in quo concilio, quibus comitiis ipſi dij renunciati ſunt? In philoſophia item hodie reperiuntur, qui plus & aliis, & ipſomet Ariſtotele & Platone ſe videre arbitrantur. Sunt qui plus Cicerone, Virgilio, &

aliis

aliis infinitis. O audaciam nō ferendam. M. Nulla virtus bene literato, ac potiſsimum Chriſtiano homini æque neceſſaria, nulla commodior, nulla pulchrior, & ad nominis celebritatem conciliandam accommodatior, quàm modeſtia, animuſq; ſummiſsè de ſe exiſtimans. S. Explica, & deſcribe mihi paullò vberius hoc ipſum, modeſtè de ſe exiſtimare. M. Sibi perpetuò diſplicere, per mediocres proceſſus effeciſſe agnoſcere, nulli ſe facilè anteponere, de ſuis laudibus prędicantes moleſtè coactumq; auſcultare, ſuum iudiciū ſententiamq; ad plurium, iiſdem in artibus exercitatorum iudicium & ſententiam adiungere animo æquo ac libenti; & ſine contumelia inconditisq; & inſulſis vociferationibus refellere alios, ſinéque ſtomacho refelli ab aliis paratum eſſe, neminem irridere, alienæ laudi tanquam ſuæ fauere, honores minimè ſitire, delatos difficulter ſuſcipere, quidquid diſcendo profecerit, munus ac donum eſſe Dei ſtatuere, à quo & animum, & ingenium, & vires, & ſanitatem, & eruditum Præceptorem acceperit, ſine quibus diſci profectò non poteſt. Demum nihil aliud, quàm ſciendi amorem deſideriumq; oſtendere, à quocunque autem percipere queat quod ignoret, ab eo diſcere, huic ſe in diſciplinam tradere, neque erubeſcere, & cūm Solone gloriari, ſe quotidie aliquid addiſcentem ſenem fieri. S. Perelegans dictum Ariſtotelis è quinto Nicomachiorum in diſputationibus de Iuſtitia tritum eſt, quam ille ingenioſiſsimus & doctiſsimus Magiſter virtutum omnium præclariſsimam ait; nec Luciferum ac Heſperum tam videri admirabiles.

Ego verò nec ſolem ipſum adeo fulgentem admirabilemq́ eſſe affirmo, vt eſt erudita modeſtia. M. Sapientem euaſiſſe, & nihilominus ſe neſcire ſapientem, hæc mihi ſemper rara, inuſitata, & eximia virtus viſa eſt, victoriaq́ omnium victoriarum clariſsima & præſtantiſsima: ſiquidem nihil laborioſius, quàm edomare ſuperbiam, attollentes ſe ſpiritus inflatumque ſui admiratione animum comprimere, & quaſi equum exultantem ac laſciuientem frenis ac vinculis compeſcere. Innumeros à reliquis vitiis, quibus ſeruire homines conſueuerunt, integros, vnus gloriæ appetitus immoderatior ſuperauit: qui quidem in præſtantibus ingeniis innaſcitur facillimè. S. Sic eſt, & confirmat Tullius 1. de Off. In maximis animis, ſplendidiſsimisq́ ingeniis plerunq́ exiſtunt honoris, imperij, potentiæ, gloriæ cupiditates. M. Etenim, quomodo gloriam facilè pro nihilo ducunt, qui ſe nihil gloria magnoperè dignum poſſidere ſentiunt; ſic ex aduerſo eius adipiſcendæ igniculis incenduntur, qui ſe ea digniſsimos nouerunt. Quoniam verò tendit in ardua virtus, & ante eam dij ſudorem poſuerunt, vt Aſcræus poeta canit, hoc præſtabilius quidque cenſendum eſt in rebus alioqui laudabilibus, quo maiore fuerit cum difficultate coniunctum. Itaq́ ſi parui negotij arbitrarer eſſe, ſummiſsionem animi cum eximia eruditione conſociare, nunquam adeo hanc conſociationem extollerem. Nihilominus ipſa rei dignitas, & incredibilis quædam pulchritudo hortari ac permouere nos omnino debet, vt modeſtiam adamemus, nihilq́ magnificum & ſin-

gulare

gulare de doctrina noſtra ſentiamus. S. Arbitror etiam nos ab intelligentiæ humanę infirmitate ac hebetudine, rerum plurimarum immenſa obſcuritate ignorantiáque ad modeſtiam compelli. M. Iuxta tecum arbitror. Quam diligenti, quam crebra mentis agitatione, quot annorum curriculo, quam varia & multa lectione, quot magiſtris opus eſt, donec ad quantulamcunque ſcientiam perueniamus? Quam multa item, tametſi aſsiduè commentemur, libros omnes euoluamus, inuenire atque percipere nequimus? Quoties hallucinamur, labimur, decipimur, & ab itinere veritatis quàm longiſsimè aberramus? S. Peropportunè ſubit mentem meam factum quoddam Socratis, quo ad retundendos eruditorum faſtus appoſitè vti quiſpiam poterit. Cum Alcibiadem ob diuitias & fundos ac villas velut vnum de beatis ſuperbientem aduerteret, in quendam vrbis locum ſeduxit hominem, in quo orbem depictum continens tabula dependebat. Iuſsit ergo Atticam requirere. Eam poſtquam inuenit: age nunc, viſe tua prędia. Quæ cum Alcibiades nuſquam ibi extare diceret: quid igitur, ſubiecit Socrates, ob eas res tantum tibi places, quæ nullam orbis partem conficiunt? M. Prorſus ad eundem modum de noſtra ſapientia loqui licet. Quæ quiſque ſcit, ea, quemadmodum Theophraſtus dixiſſe fertur, minima pars eorum ſunt, quæ neſcit. Et ſanè, quo diutius dediti ſtudiis ſumus, quo maioribus vigiliis doctrinas colimus, eo clarius deprehendimus, quam multa ignoremus; vt eruditiores fuiſſe videamur in initio quam poſt interuallũ temporis longiſsimum:

quodque

quodq; haud inſcitè à Menedemo de philoſophis prolatum refert Plutarch.lib.de profectu virtutis ſentiendo, id in omnes artiũ ſtudioſos quodammodo cadat. S. Quid illud? M. Dixit ille. Qui Athenas ſe contuliſſent, pleroſq; primùm ſapientes ſibi eſſe, deinde philoſophos, hoc eſt, ſapientiæ amatores fieri: quod primum videantur ſibi profeciſſe multum, & perfectam eruditionem conſecuti. Poſtea intelligunt quam præclarum & arduum ſit quod quærunt. Quare nõ ſe iam ſapientes, vt prius, cum adhuc cæci eſſent, ſed cupidos illius ſapientiæ videri poſſe cenſent, quàm ſe adeptos exiſtimabant. Tandem dicebat eos fieri oratores, & progreſſu temporis rudes ac plebeios. Quo enim magis ſe doctrinę præberent, eo magis faſtum eos arrogantiamq; deponere. Quia videlicet quo longius philoſophando proceſsiſſent, eo clarius viderent, ſe nihil ſcire: quæ fuit ingenua nimiumq; decantata Socratis confeſsio, qui tamen ſapientiſsimus eſt Apollinis oraculo iudicatus, vt inſipientiſsimos numerare oporteat, qui ſe omnia didiciſſe arrogantiſsimè iactitant. Magis nimirum ſapiunt, qui acutius & clarius cernunt, quàm parum ſapiant, id eſt, quam multa funditus neſciant, quamq; imperfectè ſciant, quæ didicerint. Quocirca ſi quis inſcitiæ ſuæ agnitionem, & ſciendorum notitiam, magnam quandam vult appellare ſapientiam, appellet ſanè; me certè, & compluribus fortaſſe approbantibus id faciet. Hinc tantum abeſt, vllum illorum, qui ſolidius docti ſunt, quidquam de ſe glorioſius effari, vt alio etiam ipſorum laudes prædicante ingenuo

pudore

pudore ſuffundantur valdéque erubeſcant. Qui verò remotius à doctrina diſtant, quam ſibi ſuperbiſsimè vendicant, hi plenas oſtentationum voces emittere ſolent, & ſunt intolerandum in modum arrogantes. S. Eſt omnino quemadmodum affirmaſti. Apud Sophoclem Minerua Vlyſſem, cum ipſi Aiacem Telamonium furentem, & de hoſtibus ab ſe iugulatis (ſic enim putabat, cùm pecudes occidiſſet) inſolenter gloriantem exhibuiſſet, grauiter admonet, ne ſe huius inſani exemplo aliquid eſſe opinetur, ne omnes deſpiciat, ſi pluſculum ſupra cæteros manu aut diuitiis poſſit. Hoc eruditus & modeſtus quilibet, velut ſibi ſigillatim dictum mandatumq́ arripiet à Minerua, hoc eſt, ab ipſa recta ratione, à conſilio cœleſtiq́ ſapientia, cuius illa vox nemini noſtrûm non ſæpe audita eſt: Quanto maior es, humilia te in omnibus. M. Hanc ob cauſſam plus laudis merentur Academici, quàm cæteri philoſophantium greges, qui multũ ſuis ingeniis freti, ſe ſcire multa affirmarunt, cum illi contra vbique hæſitantes, ſe potius opinari quàm ſcire dixerint. Non ego quidem eorum philoſophiam valde laudauero, ſed modeſtiores fuiſſe dico. S. Quam nos modeſtiam præ turgido faſtu diligamus.

ANNOTATIONES.

SINE IRACVNDIA ET MALEDICTIS) *Audire eſt operæ pretium quod ſcripſit Tullius 1. de finib. Diſſerentium inter ſe reprehenſiones non ſunt vituperandæ. Maledicta, contumeliæ, iracundiæ, contentiones,*

tiones, concertationesq́; in diſputando pertinaces indignæ mihi philoſophia videri ſolent. Ibidem. *Neque enim diſputari ſine reprehenſione, nec cum iracundia aut pertinacia rectè diſputari poteſt.* Fertur & ille ad rem hanc appoſitus ſenarius. *Nimium altercando veritas amittitur.* MVNVS AC DONVM ESSE) *Non eſſe paria & æqualia inter ſe hæc duo verba, donum & munus, in Iureconſultis &* Cic. *obſeruat Victorius lib.11. cap.22.* NIHIL LABORIOSIVS QVAM EDOMARE) *Qui vincit animum, hunc* Cic. *non cum ſummis viris comparat, ſed ſimilem* Deo *iudicat.* Plaut. Trinum. *Qui vincunt animum, quam quos animus, ſemper probiores cluent.* Ibidem. *Tu ſi animum viciſti potius quam animus te, eſt quod gaudeas. Frequens in nobiſmetipſis cum affectibus noſtris pugna, ſed rara, glorioſa tamen victoria.* VNVS GLORIÆ APPETITVS) *Huius generis duo exempla recitantur 1.Off.* Callicratidæ & Cleombroti *Lacedæmoniorum ducum, quorum temeritas & arrogantia bis populum Spartanum afflixit.* His Q. Fabius Maximus *cunctator opponitur, de quo magnificè* Ennius.

Vnus homo nobis cunctando reſtituit rem.
Non ponebat enim rumores ante ſalutem.
Ergo magisq́; magisq́; viri nunc gloria claret.

DECANTATA SOCRATIS CONFESSIO) *Academ.lib.1. Hic in omnibus ferè ſermonibus, qui ab iis qui illum audierunt, perſcripti variè & copioſè ſunt, ita diſputat, vt nihil affirmet ipſe, refellat alios: nihil ſe ſcire dicat,*

dicat, niſi idipſum: eóque præſtare cæteris, quod illi, quæ neſciant, ſcire ſe putent: ipſe ſe nihil ſcire; id vnum ſciat: ob eamq́ue rem ſe arbitrari ab Apolline omnium ſapientiſsimum eſſe dictum, quod hæc eſſet vna hominis ſapientia, non arbitrari ſeſe ſcire quod neſciat. Hæc Cicero. *Arceſilas tamen negabat idipſum ſciri, quod Socrates ſibi reliquerat.* MINERVA VLYSSEM) *In tragœdia videlicet, quæ Aiax* μαστιγοφόρος *inſcribitur.* Cum *oſtendiſſet Aiacem Vlyſsi Minerua, & is valetudine mentis aliena & ſtulta locutus eſſet, qui fuerat antea prudentiſsimus, dixiſſetq́ue Vlyſſes, ſe in illo ſuæ etiam conditionis admoneri, ſubiicit illa.*

τοιαῦτα τοίνυν εἰσορῶν, ὑπέκοπον
μηδὲν ποτ' εἴπῃς αὐτὸς εἰς θεοὺς ἔπος, &c.

Latinè.

Hæc intuetor nec ferocioribus
Vnquam laceſſe cælites dictis deos,
Nec inſolenter te geras ſi pluſculum
Quam cæteri dextra, vel auro polleas.
Mortalium res auget & premit dies,
Amant modeſtos, execrantur dij malos.

Dictam *porro Mineruam in 2. de nat. deorum refert* Cic. *quæ vel minueret, vel minaretur. Minueret videlicet neruos ac robur literis addictorum, vt quidam volunt; minaretur autem bello & armis; eadem enim* Pallas. *Vide* Feſtum. *Lege etiam Iſid. lib.19. cap.20.* VBIQVE HÆSITANTES) *Cum nihil percipi poſſe dicerent Academici, variis tamen de rebus diſputabant librosq́ue faciebant.* Hæc *autem non eſſe contraria docet in*

2.de Off.Cic.ſimulq́ paucis verbis ſectæ illius inſtitutum explanat. Vellem, inquit, ſatis cognita eſſet noſtra ſententia. Non enim ſumus ij, quorum vagetur animus errore, nec habeat vnquam, quod ſequatur. Quæ enim eſſet iſta mens, vel quæ vita potius, non modo diſputandi, ſed etiam viuendi ratione ſublata? Nos autem, vt cæteri, qui alia certa, alia incerta eſſe dicunt: ſic ab his diſſentientes, alia probabilia, alia contrà improbabilia eſſe dicimus.

PROGYMNASMA OCTOGESIMVMSEXTVM.

Solatium paupertatis ſtudioſorum.

PLVSIVS, ANARGYRVS.

PLVSIVS. Diuitiis, ſiue pecuniis vehementer opus eſſe confirmo iis, qui doctorum nomen conſequi concupiſcunt. Nemo enim ignorat, quomodo exerceat & delaſſet animum cura alendi tegendiq́ corporis: quod ſine cibo & potu, ſine indumentis & tegumentis viuere conſeruariſque non poteſt. Cum ergo hæc neceſſaria nobis ſint propter corpus, ipſumq́ corpus de ſe cogitare & ſollicitum eſſe nequeat, animus, qui eſt eius inquilinus & hoſpes, domicilij ſui procurationem ſuſcipere cogitur. Quo autem illud melius

melius affectum, quo ſanius ac robuſtius fuerit, eo ipſe etiam vegetior, & ad ſua munera obeunda alacrior fiet. Iam verò ſi ſola cogitatione res ad vitam neceſſarias adipiſci poſſemus, eſſet hoc ipſum non adeo moleſtum animo; impediret tamen eundem in rerum contemplatione. Nunc, qui opibus caret, is aut mendicando, aut opere aliquo illiberali & ruſtico ſeſe alere compellitur. Quæ dum agit, quis ſtudiis literarum relictus eſt locus? Contra, diuiti referta eſt penus, refertæ apothecæ, commodè ædificata domus, ſartores, ſutores ad nutum præſtò ſunt; famuli præterea & ancillæ qui culinam, qui menſam, qui focum ſedulò curent. Ipſe omni cura ſolutus tractat libros, excolitq; ſtudia ſua quam liberrimè. A. Si vſq; adeo neceſſariæ exiſtimãtur opes ad ſapientiam, quid ergo eſt, quod in prouerbij conſuetudinem venit: Paüpertas ſapientiam ſortita eſt? ipſa nimirum multas artes ſuſcitauit, laborandi doctrix, ſtudiiq; magiſtra, vt cecinit Theocritus; non opulentia, quæ ſegnis, imbellis & ignaüa eſt. Quid vult præterea, quod ab iis, qui ſecurè philoſophari inſtituerunt, aurum & diuitias tantoperè deſpectas legimus? Anaxagoras totum patrimonium ſuum in amicos diſpertiit. Crates immodicum auri pondus in mare abiecit. Xenocrates, cum legati ab Alexandro quinquaginta ei talenta attuliſſent, quæ erat pecunia temporibus illis, Athenis præſertim, maxima, remiſit. Ne tamen regiam liberalitatem aſpernari videretur, 30. minas accepit. Ariſtippus cum ſeruus eius in via argentum portaret, eoq; onere grauaretur;

abiice, inquit, quod vires tuas ſuperat, & quantum potes, portato. Quæ fuerunt opes Socratis, Diogenis? hic etiam dicere ſolitus eſt, paupertatem ad philoſophiam ſubſidium eſſe αὐτοδίδακτον: nam quæ philoſophia verbis perſuadere conaretur, ea paupertatem ipſis rebus cogere. Quot putamus à literarum meditatione per rerum affluentiam prohiberi? Diuites magnis occupationibus aſsiduò diſtinentur; neque ſolum augendi cura quod habent, ſed etiam amittendi metu cruciantur. Paupertas ad philoſophandum expedita, & parata eſt. Pauper ſui tantum curam gerit, diues etiam aliorum: & illi multò plus otij & quietis ad ſtudendum ſuppeditat quàm iſti. Quales fuerunt opes Demoſthenis? cultellos eius pater faciebat. Quales Euripidis? huius mater vendebat oluſcula. Quales Plauti? hic molebat in piſtrino. Zeno niſi naufragium paſſus eſſet, ad philoſophiam ſe nunquam contuliſſet. Quod ergo initiò afferebatur: pauperes in cura alendi tegendíque corporis totos eſſe, id verum eſt, ſi eos intelligamus, qui Græcis πτωχοὶ, latinis mendici dicuntur. At quos ipſi πένητες, nos pauperes & egentes vocamus, hi nihil quidem ſuperfluum, res tamen vitæ neceſſarias, labore & induſtria comparatas habent; vt cum nihil ſuperſit, nihil deſit tamen. Volumus autem has mediocres facultates, & hoc quaſi patrimoniolum à maioribus relictum eſſe, vt nihil cogatur ſtudioſus literarum quærere. Immò verò poterit etiam planè inops & cui nec ſeruus eſt, nec arca, nec cimex,

nec

nec araneus, vt Catullus ait, proficere in literis, quod declarant exempla nonnulla. Commemorabo vnicum. Cleanthes Athenas venit liberali ſanè viatico, 4. drachmis inſtructus. Ibi cum à Zenone erudiretur, cogente inopia, noctu in hortis hauriebat aquas, interdiu ſtudiis operam dabat. Coactam aliquando ſtipem in medium familiarium proiecit, plenus animi magnitudine, cum his verbis. Cleanthes quidem alium Cleanthem poſſet alere, ſi vellet. P. Homini præterea qui eruditionis amore flagrat, & altiſsima ſperat, neceſſe eſt mutare locum, & non in vno perpetuò affixum hærere. Videre & cognoſcere varias regiones, multas vrbes, diuerſos hominum mores, leges, inſtituta; qua quidem re mirum in modum augetur prudentia, eáque virum doctum deſtitui non decet. In vna aliqua Academia, non omnes docti Magiſtri reperiuntur: nec in vna omnes ingenuæ artes docentur; aut ſi docentur, non tam conſtanter & exquiſitè, vt in alia. Cum hæc ita ſint, quis diuerſas prouincias obire, & aliquot annis in diuerſis Academiis ſine ſumptu verſari poterit? A. Quod de variis regionibus & Academiis attuliſti, parum valet. Nam vt quidam eruditi hoc fecerint, non efficitur tamen, doctum eſſe non poſſe, qui id omittat: nec eſt neceſſe, vel in omnibus diſciplinis Pręceptorem audire: fœlicia quippe ingenia, tanquam generoſæ ſtirpes, per ſe enituntur, rigationes colonique curam non multùm deſiderant. Neque verò in multis Academiis verſari ſcientiæ & progreſſus, ſed magnæ tarditatis & hebetudinis aliquando eſt indicium. P. In qui-

buſdam locis magiſtro à diſcipulis ſalarium, & multum ſatis perſoluitur. Vnde pauperi pecuniæ? A. Salarium bonus & ingenuus Magiſter niſi fortè inopia prematur, ab ingenioſo & diligenti diſcipulo nullum exiget; aut certè aliqua opera ſibi ſatisfieri pro inſtitutione patietur. In Academiis item (de quibus ſcholis hîc loquimur) nulla merces penditur. P. Quis ſine multis codicibus, ſine locupletiſsima bibliotheca verè doctus, id eſt, multarum artium probè peritus fiat? Dicet aliquis, multitudo librorum neminem doctum reddit: quaſi ego id aſſererem: hoc dico, habere multos, & legere, & legendo conterere, hoc ſapientes reddit. Quomodo fecit philoſophus ille, qui omnes bibliothecæ ſuæ libros memoriter recitabat. Pauperes exſpectant, dum aliquis teſtamento ipſos 600. voluminum hæredes nominet, aut theſaurum humi defoſſum ſe reperturos ſperant. A. Qui ſtudioſus, ac literis vehementer deditus fuerit, facile inueniet, qui mutuum dare non grauentur librorum quamuis ingentem numerum. Nam ex hominibus omnibus literati ſunt humaniſsimi, & ſtudiorum ſuorum comites ac ſocios vehementer amant. Amicorum autem omnia communia. Sic Virgilius bibliothecam ſuam nemini claudebat. Hinc maximoperè laudandi Principes, & ciuitates opulentæ, quæ hoc ſtudioſorum incommodum minimè ignorantes, publicas & communes bibliothecas ad communem vſum comparauerunt. P. Quam multi quamuis excellentibus ingeniis præditi in tenebris & nocte iacuiſſent, ſi opes ad doctrinam cumulatiorē, & ad perfruen-

dam

dam gloriæ lucem ipſis adiumento non fuiſſent? Virgilius & Horatius Auguſti liberalitate diuites effecti, ad literas ſe totos tranſtulerunt, libros coemerunt, quorum lectione eruditionis adepti copias, poëmata immortalia condiderunt. Ariſtoteles quæ in hiſtoria animalium tot libris prodidit, ab agricolis didicit, quorum aliquot millia ingenti pretio conduxit Alexander. Quam nobilia ingenia propter egeſtatem in luto hærent, qui vel eximij poetæ, vel clari oratores, vel iureconſulti, vel philoſophi, vel Theologi eſſe potuiſſent? A. Quod rarò eòs emergere dicis, id potius ipſorum, quàm fortunæ culpa accidit. Si enim contenderent neruos ſuos, ſi ad lucernam noctu vigilarent aliquando, ſi non ſterterent vſque in meridiem, ſi antelucanas fabrorum operas ſurgendo è lecto cum Demoſthene præuenirent, aliquid ſine dubio proficerent.

ANNOTATIONES.

OPES SOCRATIS, DIOGENIS) *Frugalitatem Socratis diuitiarumq́ contemptum præter alia dicta eius & facta, hæc etiam probant. Sæpe cum eorum quæ publicè vendebantur multitudinem intueretur, ſecum iſta voluebat: quam multis ipſe non egeo? Ac ſemper habebat in ore iambos illos, quibus argentum, & purpura, & cætera id genus tragœdiis potius, quã vſui vitæ neceſſaria docentur. Hæc Laert. Cic. autem Tuſcul. 5. in hunc modum. Socrates, in pompa cum magna vis auri, argentiq́ ferretur, Quàm multa non deſidero, inquit.*

quit. Vide etiam Diogenem Laertij, in cuius paupertatē ex Græcis hæc duo epigrammata latina fecit Auſonius, quorum prius, vnum diſtichon, eſt in extremo lib.3. alterum octoſtichon lib.1. Anthologiæ, tit. εἰς αὐτάρκειαν *quo ſe cum Crœſo comparat, eumq́ irridet.*

Prius.

Pera, polenta, tribon, baculus, ſcyphus arcta ſupellex
Iſta fuit Cynici: ſed putat hanc nimiam.
Namq́ cauis manibus cernens potare bubulcum,
Cur, ſcyphe, te dixit, geſto ſuperuacuum?

Poſterius.

Effigiem Rex Crœſe tuam ditiſſime Regum
Vidit apud manes Diogenes Cynicus.
Conſtitit vtq́ procul, ſolito maiore cachinno
Concuſſus, dixit: quid tibi diuitiæ
Nunc proſunt, regum rex ô ditiſſime, cum ſis
Sicut ego ſolus, me quoq́ pauperior?
Nam quæcunq́ habui mecum fero: quum nihil ipſe
Ex tantis tecum Crœſe feras opibus.

ZENO NISI NAVFRAGIVM) *Laert. in principio Zenonis. Hic poſtquam ſe ex mercatore ſapientem euaſiſſe animaduertit, ſibimet gratulans dixiſſe fertur. Tunc ſecundis ventis nauigaui, cum naufragium feci. Ita ſæpe fortuna aduerſa hominibus ſecundam peperit; multíque ad fœlicitatem aſpirare nunquam potuiſſent, niſi improuiſis cladibus prius fuiſſent exerciti.* GRÆCE πτωχοὶ) *Qui latinis mendici, græcis* πτωχοὶ *dicuntur, de his non loquimur hoc dialogo. De iis autem, quos ipſi vocant* πένητας, *nos pauperes, ſeu egentes; qui labore & induſtria victum, & res vitæ neceſſarias quæritant,*

ritant, quibus admodum exiguæ ſunt facultates, nihilque omnino ſupereſt. Itaque Ariſtophanes Pluto *non* πτωχείαν, *ſed* πενίαν *finxit aduerſariam, & huius non illius, mendicitatis inquam plurimas vtilitates enumerauit. Atq; adeo cum paupertas à doctis laudatur,* πενίαν *laudari intelligendum eſt.* EXEMPLA NONNVLLA) *Frequens audiui, Adrianum VI. Pont. Max. qui fuit à ſtudiis liberalibus Carolo V. Imp. adeo à pecunia fuiſſe inopem, vt Louanij ad lucernam publicam noctu lectitaret; candelas enim, ſeu oleum in lampadem vnde ſibi emeret, non habebat. Et tamen primùm nobiliſſimi & maximi Principis Caroli V. Magiſter, deinde Epiſcopus Dertonenſis, poſtea Cardinalis, tandē Pont. ſupremus eſt factus.* FOELICIA QVIPPE INGENIA) *Sit multorum inſtar D. Auguſtinus, cuius ingenium totus admiratur orbis. Hic de ſeipſo Cōfeſſ. lib. 4. cap. 16. categorias Ariſtotelis ſeſe annos natum 20. legiſſe ſolum, & ſine interprete intellexiſſe. Quas cum contuliſſem cum iis, qui ſe dicebant vix eas magiſtris eruditiſſimis non loquētibus tantum, ſed multa in puluere depingentibus intellexiſſe, nihil inde aliud mihi dicere potuerunt, quàm ego ſolus apud meipſum legens cognoueram. Alio loco nullum ſe librum quamuis difficilem legiſſe ait, quem non intellexerit ſtatim.* MVLTOS LEGERE ET LEGENDO) *Vix tamen vtrumque fieri poteſt, quoniam vita breuis eſt. Quinctil. lib. 10. cap. 1. Multa magis quàm multorum lectione firmanda mens, & ducendus color. Seneca etiam*

vagam lectionem reprehendit, cuius ſententias primo volumine adduximus in medium. Attamen non multa ſolum, verùm etiã multos legit Plin. qui viginti millia rerum dignarum cura ex lectione voluminum circiter duûm millium, ex auctoribus exquiſitis centum libris ſuis de naturali hiſtoria incluſit. Multos Cicero, multos alij: cum delectu tamen, quem plerique nullum adhibent. FECIT PHILOSOPHVS ILLE) *Inter exempla memoriæ Plin. lib. 7. cap. 24. Charmidam Græcum hominem affert, qui quæ quis exegerat volumina in bibliothecis, legentis modo repræſentabat. Carmadas legit Turneb. lib. 10. cap. 16. & pro Carneade ſic legendum cenſet 1. Tuſcul. quoniam philoſophi Carneadis nomen clariſſimum offecerit Carmadæ luminibus, et eius famam obſcurauerit, laudemq́ in ſe tranſmouerit.* INGENTI PRECIO CONDVXIT) *Alexandro Magno rege inflammato cupidine animalium naturas noſcendi, delegataq́ hac commentatione Ariſtoteli, ſummo in omni doctrina viro, aliquot millia hominum in totius Aſiæ Græciæq́ tractu parere iuſſa, omnium quos venatus aucupia, piſcatusq́ alebant: quibusq́ viuaria, armenta, aluearia, piſcinæ, auiaria in cura erant: ne quid vſquam gentium ignoraretur ab eo: quos percontando quinquaginta ferme volumina illa præclara de animalibus condidit. Hæc Plin. lib. 8. cap. 16.*

PRO-

PROGYMNASMA OCTOGESIMVMSEPTIMVM.

Erga mendicos, calamitoſos, ſeruos.

PROCESSVS, CRISPINIANVS.

PRocessvs. Quod te crebrius factitare exiſtimo, id oculis meis tertiùm aut quartùm vidi. C. Quid vidiſti? P. Quod nec mihi, nec cuiquam bono viro, nedum bono Chriſtiano probabitur. C. Exſpecto quid velis. Quin tu vno verbo effare, quid eſt? P. Mendicos te irridentem in ſuis centonibus, ac ſeruum veſtrum familiarem contumelioſiſsimè obiurgatum pugnis cædentem aſpexi. Hæccine humanitas tua? C. Quis cohibere riſum in tanta particularum diuerſitate, quibus iſti pallia conſerunt, aſpicienda poſſet? Quod ad ſeruum attinet, ſeruus cum ſit ſeruus, habendus eſt in ſeruilem modum, vt beſtia quæ arationi deſtinata eſt. P. Deſipis, aliena loqueris. Nemini ſua eſt exprobranda calamitas: nemo in aduerſa fortuna vel irridendus, vel contemnendus. Quia ſors cōmunis eſt omnium, & futura ſunt incerta. Potes tu aliquando ad mēdicitatem redigi. Potes ſacco è ceruicibus ſuſpenſo perambulare oppida. Potes vēdi, & ſeruus fieri, quod facti ſunt Imperatores ac Principes, quorum

rum res tutiore loco videbantur ſitæ quàm tuæ. C. Non ſim homo, ſi negem. P. Cur illius Terentiani te cœpit obliuio? Omnes cum ſecundæ res ſunt maximè, tum maximè meditari ſecum oportet, quo pacto aduerſam ærumnam ferant. Egentes miſeratione proſequendi, quibus pro facultatibus noſtris benignè faciendum eſt; præſertim cum tantum ſit nobis ob hoc promiſſum præmium. Fœneratur Deo, qui miſeretur pauperis. Præterea ſerui magis ſunt, quibus libido, auaritia, inuidia, iracundia dominatur: non quorum animi à prauis cupiditatibus ſeſe inuictos præſtant. Seruierunt plures philoſophi, & tamen liberi fuerunt. Imperemus igitur ſeruis, tanquam conditione ſubiectis, natura paribus, id eſt, æquè homines, deoq́ charos illos eſſe meminerimus. C. Tua caſtigatio paucis verbis alium me reddidit: alius ad te veneram.

ANNOTATIONES.

IN SVIS CENTONIBVS) κέντρων *latinè cento, veſtis eſt ruſticana & vilis, ex pannis verſicoloribus multis ac velut centum conſuta. Eius mentio apud ruſticæ et militaris rei ſcriptores crebra. Appellatur* μεταφορικῶς *hoc nomine genus poëmatis, cum alicuius poëtæ verſus integri, aut dimidiati, ſine mutatione aliqua verborum ad alios ſenſus ſententiasq́ exprimendas accommodantur. Sic ex Virgilio rerum ſacrarum vtriuſq́ teſtamenti hiſtoriam contexuit Proba Falconia Romana mu-*

na mulier, & eam imitata Eudocia Imperatrix, Theodoſij Iunioris vxor, ex Homero. Extat vtriuſq; cento. Putatur à Chriſtianis inuentus. SERVVS CVM SIT SERVVS) *Hoc verum ſit fortaßè Chriſtianæ religionis expertibus, de quo diſputat 1. de Repub. Ariſtoteles. Nobis certè, cum iis quorum opera vtimur, ſiue naturà, ſiue cõditione ſerui ſint, agendum eſt humanius: nempe vt de ſe confitetur Soſiæ Simo in Andria.*

Ego poſtquam te emi à paruulo, vt ſemper tibi
Apud me iuſta, & clemens fuerit ſeruitus
Scis. feci è ſeruo vt eſſes libertus mihi,
Propterea quod ſeruiebas liberaliter.

Vbi Donat. Iuſta, in qua nihil iniquum iubetur: clemens, in qua etiam de iuſto multum remittitur. Sed hæc ita demum præſtanda illis, ſi, vt Soſia, ſeruiant liberaliter. Cic. 1. Off. Meminerimus autem etiam aduerſus infimos iuſtitiam eſſe ſeruandam. Eſt autem infima conditio & fortuna ſeruorum, quibus non malè præcipiunt, qui ita iubent vti, vt mercenariis, ad operam exigendam, & iuſta præbenda. QVOD FACTI SVNT IMP.) *Valerianus Imp. Rom. à Rege Perſarum bello captus, aſcendenti equum pro ſcabello fuit, quamuis eſſet ſeptuagenarius. Henricus III. Imp. Germanus eo neceßitatis ac miſeriæ venit, vt ab Epiſcopo Spirenſi victum ſibi dari apud Spiram in æde Dei genitricis à ſe conſtructa peteret, cum diceret; ſe haud inutilem clericum fore, quod & literas calleret, & choro inſeruire egregiè poſſet. Neque id impetrauit. Sigon. de regno Italiæ, lib. 9.* SER-

VIE-

VIERVNT ETIAM PHILOSOPHI) *Plato videlicet, Diogenes, qui Xeniadæ emptori ſuo dicebat: ipſum ſibi, (quamuis eſſet ſeruus) obtemperare oportere. Nam & medicus & gubernator, etſi ſeruus, vtique ipſi paretur.*

PROGYMNASMA
OCTOGESIMVMOCTAVVM.
Formulæ bene precandi.

DIDASCALVS, BERNARDINVS, CAECILIVS, FVSCVLVS.

DIDASCALVS. Formulas illas, quibus alicui, aut aliquibus latinè, moreq́ Chriſtiano bene precari poſſumus, mihi recitate. Bernardine. B. Hem Præceptor. D. Quibus verbis peregrè abeunti, ſeu in viam ſe danti optares proſpera? B. Iſtis. Hoc iter fœlix fauſtumq́ tibi ſit. D. Aliter. B. Faxit Deus, vti ſaluus & incolumis reuertare. Bene proſpereq́ iſtuc tibi itineris eueniat. Angelus Domini te per hanc viam comitetur. D. Quibus peregrè redeunti? B. Optatus mihi & charus accidit tuus iſte reditus. Reditione tua multùm me exhilaratum ſentio. Quod ſanus reuerteris, gaudeo. Deo ſit laus, qui te firmum valentemq́ nobis reſtituit. Tua reuerſione etiam atq́ etiam lætor. D. Prandentibus & cœnantibus bene precare Cæcili. C. Eſcam potumq́ veſtrum

veſtrum Deus benedicat. Sit vobis hoc prandiũ, ſeu cœna ſalutaris. Vtinam iſtæ epulæ conducant veſtris corporibus. D. Ad te mox redibo Bernardine, ſi Fuſculum interrogauero. Age Fuſcule, quid dices ægrotanti, quod audiat quàm libentiſſimè? F. Deus Opt. Max. tui miſertus, valetudinem tibi redintegret. D. Dic reliqua, nam plures formas recordor me dictaſſe vobis. F. Ab hac febri, ab iſta colica, ab iſto morbo liberet te Chriſtus, qui ſanauit omnem languorem. Chriſtus Ieſus Dei filius, te famulum ſuum ſanare dignetur. Cœleſtis ille medicus te curare prò ſua miſericordia bonitateq́ velit. Auctor & largitor vitæ tibi vitam producat. Ex iſta ægrotatione dominus noſter Ieſus Chriſtus te clementer eripiat. Medicinam malo tuo faciat miſericors dominus. Leuare dolores tuos, & depellere morbum iſtum dignabitur omnipotens pater. D. Sat multas. Quid ſternutanti? Bernardine. B. Deus te ſeruet, ſit ſaluti. D. Nihil aliud? B. Nihil, quod ſciam, aliud dixiſti in hoc genere. D. Propinanti ſeu bibenti? B. Sit ſaluti, proſit, proficiat, conducat, quę vulgi ſunt. Sit fœlix hauſtus; ſit ſalubris potio; bibe ſalutem. Accipio perlibenter. D. Diem & noctem? B. Hic tibi dies candidus illuxerit; fœlix procedat tibi hic dies. Hæc nox tibi commoda tranſigatur; proſperam, placidam tibi iſtam noctem precor: ſomnus tibi placatus contingat. D. Si quis vxorem ducturus ſit domum, qua ratione homini precabimur bona Cæcili? C. Matrimonium tibi Deus ſuperiq́ omnes fortunent. Nuptias iſtas Deus ſanctificet. Quod tibi ſempi-

ternũ

ternùm ſalutare ſit procreandis liberis. Quod Raguel Tobiæ iuniori & Saræ filiæ coniugio copulandis, idem ego tibi tuæq́ precor. Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob vobiſcum ſit, & ipſe coniungat vos, impleatq́ benedictionem ſuam in vobis. D. Optato aliquid boni honorem adipiſcentibus, Fuſcule. F. Hic honor tibi perpetuus ſit. Deus hanc gloriam, iſtud decus tibi perpetuum faciat. Hunc honorem Deus tibi cõſeruet atq́ augeat. Gratulor tibi honore iſto; Deus faxit vt eo dignus maneas. D. Opus quodpiam aggredienti? F. Quod bene vertat. Quod fauſtè fœliciterq́ cadat, eueniat. Tuis cœptis adſit Deus. Cœpto aſpiret Ieſus. Deus incœpta tua ad exitum fœlicem perducat. Deus hũc laborem tuum fortunet. D. Nouo anno ineunte, quæ bona verba dicemus? F. Hic annus tibi fauſtus procedat. Viue hunc annum ſanus & incolumis. D. Nihil eſt præteritum. Amo vos multum de memoria & diligentia.

ANNOTATIONES.

NON me fugit à quibuſdam ex Eraſmo collectas eſſe variarum huiuſcemodi precationum formulas complures. Ego tamen ne puerorum memoriam obruerem, plures adducendas non putaui. Deinde exemplo harum, & exercitatione quadam latinè loquendi ſimiles multas excogitari poſſe à ſtudioſis exiſtimaui. Quod ſi in talibus etiam per veſtigia piorum ſanctorumq́ hominum

minum minus tamen ornatè loquẽtium incedere alumni noſtri voluerint, rem gratam & iucundam, vt arbitror, viris religioſis facturi ſunt, quorum aliquando voluntas & iudicium ſequendum eſt, quando res capitis non eſt.

PROGYMNASMA OCTOGESIMVMNONVM.

Alloquium, ſeu conſolatio ſuper exceſſu matris.

SOPHRONIVS, AMELIVS.

SOPHRONIVS. Saluere iubeo Amelium. A. Tu ſaluus eſto, mi Sophroni, mecum nulla iam eſt ſalus, occidi. S. Venit ad me heri conticinio Adrianus noſter, &, quid tu hîc ſedes? quid ni, inquam, ſederem? modo aliquid agam; & tu libris me nunc intentum aſpicis. Sedeo igitur, & tamen non ſedeo. Quin tu Amelium conſolatum properas? conſolatum? Ita, inquit. Quare? Quia literæ ei venerunt triſtiſsimæ, ſuper obitu matris videlicet, quarum clauſulam antequam legiſſet, abiecit, ſparſitq; rorantibus ora lacrymis. Ego me tibi renuntiaturum dixi. Vade igitur, & in quem es fide & animo ſingulari, ei mœrorem leua cõſolando, fletumq; abſterge. Hæc ille. Quod niſi diei extremum fuiſſet, me illico ad te contu-

liſſem. Ergo in iſtuc mane rem diſtuli mihiq; deeſſe nolui, quin officium præſtarem tibi. Ah mi Ameli, quomodo tã dulci, & amabili ſolatio priuatus es? grauiter moleſteq; fero caſum tuum, vereorq; vt tibi id nauare poſsim, cuius gratia ad te approperandũ putaui: quãdoquidem pari tecum ęgritudine afficior. Amor hoc facit, quo te iã inde à prima adoleſcentia complexus ſum, & vſque ad tumulum proſequar, vt nihil acerbum tibi aduerſumq; poſsit contingere, quin ego mox ſentiam: ne dum tanta calamitas, quantam ex interitu ſuauiſsimæ tuæ atque optimæ matris, fœminæq; totius ciuitatis præſtantiſsimæ accepiſti. A. Heu, heu mater mea, quo abiiſti? quis te mihi rapuit? cur me vnicum tuum deſeruiſti? patrem amiſi annis abhinc tredecim, puer admodum, reſtabas tu ſolamen meum, perfugium meum. At iã importuna mors, quæ omnia deuorat, te quoq; à me ante ſenectutem abſtraxit. Illa aliquando te viduam, me pupillum, nunc quid aliud me reddidit, niſi mortalem infœliciſsimum? In me ſolum redũdauit hoc malum, me peſſundedit hic caſus, me afflixit hæc fortuna, me perdidit hæc infœlicitas. Doleo, quantum in vita nunquam, augeſcitq; dolor prope in horas, nec eius magnitudinem ſuſtinere, nec finem tamen reperire potero. Omnibus modis miſerrimus ſum, nec quid agam ſcio. S. Non mediocrem ex hoc matris tuæ interitu, & caſu tuo tam funeſto dolorem indipiſcor. Veruntamen quoniam hic dolor meus non æquè cum acerbo luctu coniunctus eſt vt tuus, familiaritatis noſtræ, meęq; in te beneuolentię ratio

tio poſtulat cõſolationem tibi adhibere, quę mœrorem tuum diminuat, ſi minus (quod nolim) vniuerſum tibi poſsit eximere. Ergo age, Ameli chariſsime, nitere in aduerſum, fac modum queſtubus iſtis, & quod dies longa ſine dubio allatura eſt, quæ dolores maximos vetuſtate tollit, hoc prudentia præripiat. Cur te is perditum lamentis iſtis atque lacrymis? A. Si me dolere ac flere non ſinas, non tu mihi cruciatum minuas, ſed exaggeres. Sinito quæſo lugere, & iſtam conſolationem tuam prætermittito. Vbiuis facilius paſſus ſim, quàm iſtac vna in re leuationem mihi afferri. In aliam ego partem ac tu mente atque animo trahor. S. Siccine ais Ameli? ſi mulier, non vir eſſes, haud mirarer te iſtuc agere, propter naturæ molliciem, & imbecillitatem animi. Nunc tecum reputa, quam deforme ſit imitari mulieres. A. Durum eſt matrem non deflere, & talem matrem, cui paucas arbitror extitiſſe ſimiles. Quàm vereor, ne tu quoque facias intelligendo vt nihil intelligas? S. Flere non prohibeo, ſed moderatè vt fleas cupio, non in annos integros, vt facturus videris; & iam ſatis ploraſti, tempus eſt vt ad animi tranquillitatem lætitiamq́ꝫ te conferas. Conſidera pro ingenio tuo quanta neceſsitatis vis ſit. Statutũ eſt omnibus ſemel mori; nec fuit, aut erit quiſquam, cui hoc fatale debitum à maioribus contractum non ſit perſoluendum. Quid ergo doleamus aut à nobis, aut ab aliis noſtri ſimilibus exigi, quod neceſſariò dandum eſt? quod retinere non licet. Cur admiremur, ſi ſciſſum eſt, quod erat natura

ſciſsile,aut liquatum quod liquabile, aut crematum quod vſtile? ſi periit quod erat ita natum vt interire poſſet? Cur indignemur, ſi fiat aliquãdo, quod fit quotidie? quando enim vacamus à morte? In dies morimur, quotidie enim aliqua vitæ pars demitur: & tunc quoque cum creſcimus, vita decreſcit. Infantiam amiſimus, deinde adoleſcentiam. Vſque ad heſternum quod tranſiit temporis, periit. Hunc ipſum quem agimus diem cum morte diuidimus. Non emigraſſet modò ex hac luce mater tua, aliquando tamen emigraſſet, & fortaſſe poſt annos paucos; mors enim ita impendet ſenibus, vt nec iunioribus parcat. Miſta ſenum ac iuuenũm denſantur funera, nullum ſæua caput Proſerpina fugit. Inquilini ſumus, & natura nobis commorandi diuerſorium, non habitandi dedit. Minus ergo grauatim & exire nos, & alios exiiſſe iam ferre debemus. Quod ſi etiam citius quàm voluiſſemus, (vt mater tua, annis nondum ſenilibus) cogitemus: vt fœliciores ſunt quos ventus acrior citò in portum pertulit, quàm quos venti ſegnes, & longa trãquillitas lentiſsimo tædio delaſſarunt: ita fortunatiores eſſe eos, quos celerior mors à vitæ huius ærumnis calamitatibusq́ abduxit.

Vita data eſt vtenda, data eſt ſine fœnore nobis
Mutua, nec certa perſoluënda die.

Quid præterea iſti luctus tibi proderunt? proderunt autem? immò oberunt quam maximè. Non tu eam à mortuis reuocabis quamuis trecen-

tis

tis ſæculis plores. A. Haud me iſtuc fugit: vis doloris tamen hæc & alia cogitare me non permittit.

Non ego firmus in hoc, non hæc patientia noſtro
Ingenio, frangit fortia corda dolor.

S. Adhibenda eſt vis contra vim, & reprimendus fugandusq́ dolor. Quod ſi vnum aliquod remedium nihil proficit (multa autem ſunt) ad aliud currendum eſt. A. Quæ ſunt alia? S. Quod nobis quoque perinde ac tibi matres charæ fuerunt, & huius vſuram lucis reddiderunt. Morientur adhuc aliorum matres, quos tamen macerare ſeſe luctu, & in ſqualore iacere tu nolles. Ergo quod nolles committi ab iis, ſeu, quod ſuadere non auderes, cur tu ipſe agis? Et cur præcipuè in eo dolendum tibi putas, quod tam multi ſenſerunt, & adhuc ſentient? aut quare præcipuam ſingularemq́ fortunam tu tibi poſtulas, communem recuſas? hoccine ſapientis? A. Heu mater, tu mihi fideliſsima fuiſti ſemper, & amaſti me ardentiſsimè. S. Hanc cantilenam plures cantauerunt. Etiam illud ante oculos pone: Deo ſciente hoc factum, & ipſo eodem intuente fieri omnia. Si voluiſſet, an non auertere ſpiculum mortis à matre tua poterat, neque ad tempus tantum, ſed in perpetuum? A. Poterat vtique. S. Quanto igitur ſatius eſt eius patrocinio ſe committere, qui eſt orphanorum pater? Ille paſſerem curat, non te negliget. Inſuper quæ innumera pæne legiſti ſapientum dicta de contemnenda morte, de breuitate huius vitæ ac mi-

ſeriis, in mentem reuoca. Si tibi non credis, illis fidem habe. Mea quidem ſententia gauiſa eſt mater tua, quod ante te ſibi de vita exire daretur, cui mors tua nimium flebilis & luctuoſa cecidiſſet, æternum ipſi ſub pectore vulnus dediſſet: nam in terris te vno charius nihil habuit. A. Facilè in tuam opinionem concedo. S. Exiſtimo etiam, qua pietate ac virtute fuit, in beatorum domicilium receptam, gaudiis omnibus affluere & circumfluere: cui tu quodammodo fœlicitatem inuides, ſi cupis illam viuere vitam iſtam ærumnoſiſsimam: id eſt enim & carere gaudiis cœleſtibus, & inuolui malis innumerabilibus. Nec poſſunt ei placere lacrymæ tuæ, & mœrores iſti. Deſine, mi Ameli, & quæ mutari non queunt, tolera leniter. Animus æquus optimum ærumnæ condimentum. A. Iſtis abs te auditis aliquantulum acquieſco, & in iſta ſermonis tui ſuauitate luctum pæne omnem etſi non depono, tamen ſepono. In metu porrò ſum non mediocri, ne mœrorem nihil præter tempus ipſum mihi demat è pectore. Ne, inquam, ſola dies hunc mihi dolorem exhauriat. S. Optimum eſt prudentia occurrere, & temporis longinquitatem non exſpectare. A. Vt potero ita reſiſtam, & te rogo, vt imbecillitati meæ des veniam; homo ſum, nec mea è ſilice conſtant præcordia. S. Homo tu es, homo ego ſum: videndum tamen, ne quid nimis, & cum nihil acquiramns, non tamen nihil perdamus; tempus quidem certè, & valetudinem, qua tu alioqui tenuiſsima es. In morbum te ex ægritudine diuturniore ne coniicias

tias caue. Vide ne maceſcas, conſeneſcas ac tabeſcas, tantumq́ oſſa & pellis fias. Quod enim vermis ligno, hoc triſtitia cordi, quæ oſſa quoque exſiccat. A. Vna curatio tantum malum tollere nequit: ſæpe me, vt medicus diligens, curatum venias oportet. S. Nullum amantiſsimi hominis erga te officium prætermiſero, nec vllum laborem, ſi ſpes ſanitatis ſit (nam deſperatis medicinam adhibere vetant ſapientes) recuſaro. A. Immò ſpes eſt: tanta ſunt verborum tuorum pondera. S. Valebis in craſtinum. A. Et tu, mi Semproni, vale.

ANNOTATIONES.

HABEMVS *conſolationem ad Apollonium de morte filij à Plutarcho, ad Polybium de morte fratris, ad Marciam de morte filij à Seneca: ex quibus virorum doctiſsimorum, ſapientiſsimorumq́ libris aſſumere poterunt ſtudioſi, quæ deeſſe nobis putauerint. Noſtrum enim inſtitutum eſt non librum, ſed dialogum, eumq́ nō ita longum conſcribere. Vtinam extaret quoque M. Tullij Conſolatio: non paucæ nobis ex illa ſententiæ ſuppeditaſſent. Quod attinet ad officium conſolantium in hoc genere, ſatis diſertè illud explanat Cic. ipſe 4. Tuſcul. ab illo loco. Hæc igitur officia ſunt conſolantium. Manut. in argumento epiſt. 5. lib. 4. quo Seruius Sulpitius Ciceronem de Tulliolæ filiæ obitu ſua-*

uiſſimè conſolatur. Et argumento ep.16. lib. 5. qua Titium filij interitu mœrentem conatur à dolore auocare. Collegit etiam nonnulla in Oden 28. lib. 1. Lamb. Eodem pertinet Ode 24. eiuſdem lib. Qui ad mortem æquo animo ſubeundam, & ad metum eius depellendum quempiam cohortari voluerit, ei magnoperè plurimis in locis ſuarum diſputationum prodeſſe poterit Seneca. CONSOLATVM PROPERAS) *De verbis feſtinare & properare quid ex Catone & Verrio Flacco afferat Gellius, vide eius lib. 16. cap. 14.* RORANTIBVS ORA LACRYMIS) *De lacrymis in morte charorũ, cognatorumq́ apud Senecam epiſtola XC IX. hæc ſunt, quæ nobis præcepti loco erunt. Stultius nihil eſt, quàm famam captare triſtitiæ, & lacrymas approbare: quas iudico ſapienti viro alias permiſſas cadere, alias vi ſua latas. Dicam quid interſit. Cum primum nos nuncius acerbi funeris perculit, cum tenemus corpus è complexu noſtro in ignem tranſiturum, lacrymas naturalis neceſſitas exprimit: & ſpiritus ictu doloris impulſus, quemadmodum totum corpus quatit, ita oculos, quibus adiacentem humorem premit et expellit. Hæ lacrymæ per eliſionem cadunt, nolentibus nobis. Aliæ ſunt quibus exitum damus, cum memoria eorum, quos amiſimus, tractatur: & ineſt quiddam dulce triſtitiæ: cum occurrunt ſermones eorum iucundi, conuerſatio hilaris, officioſa pietas, tunc oculi velut in gaudio relaxantur. His indulgemus, illis vincimur.*

Non

Non eſt itaq; quod lacrymas propter circumſtantes aſſidentesq́; aut contineas, aut exprimas. Nec ceſſant, nec fluunt vnquam tam turpiter, quam finguntur. Eunt ſua ſponte. Ire autem poſſunt placidis atq; compoſitis. Sæpe ſalua ſapientis auctoritate fluxerunt, tanto temperamento, vt illis nec humanitas, nec dignitas deeſſet. Licet nonnunquam naturæ obſequi grauitate ſeruata. ALIQVANDO TAMEN EMIGRASSET) *Lege initium epiſtolæ 70. apud Senecam, in qua vita humana nauigationi pulcherrimè comparatur. Quemadmodum in mari, ſic in hoc curſu rapidiſſimi temporis primum pueritiam abſcondimus, deinde adoleſcentiam, deinde quidquid eſt illud inter iuuenem & ſenem medium, & quæ ſequuntur.* DE CONTEMNENDA MORTE) *Sit in manibus noſtris aſſidue 1. Tuſcul. qua docemur nõ tam metuere, quàm optare mortem, certè contemnere. De breuitate vitæ ſcripſit ad Paulinum Seneca. De miſeriis vitæ humanæ præclara Plin. proœmio lib. 7. & alij nonnulli in ſuis libris multa inſeruerunt, cum data eſt occaſio deflendæ huius vitæ noſtræ.*

PROGYMNASMA
NONAGESIMVM.

Virtutis laus.

THAVMASIVS, DOXOLOGVS.

THAVMASIVS. Quî fit, vt cum vel auditione accipimus, vel ipſimet legimus Alexandri magni, Themiſtoclis, Scipionum fortitudinem militarem, Curionis & Fabricij diuitiarum contemptũ, M. Attilij Reguli inuictum animi robur, & de noſtris hominibus Hieronymi in vaſta ſolitudine aſsiduum periculoſumq; cum dæmonibus certamen, Cæciliæ, Catharinæ, Henrici & Cunegundæ coniugum atq; Imperatorum caſtitatem, alia demum à Græcis, Romanis, Chriſtianis, aliisq; vbicunque terrarum populis piè, continenter, iuſtè, humaniter, beneficè, fortiter, clementer, temperanter, toleranter, moderatè, ſapienter, pudicè, fideliter geſta, inculpateq; ab aliquo exactam in terris vitam; quî fit, inquam, vt eos homines tantoperè diligamus, admiremur, animo ſuſpiciamus, collaudemus, eorumq; nos ſimiles fieri ardenter optemus? cum tamen ipſos aliquando nec viderimus, nec vt videremus, ſperare potuerimus: quippe quorum plerique ante nos mille, aut duobus annorum millibus & nati ſint, & occiderint. D. Hæc vis & natura virtutis eſt: qua quidem nihil prouocat æquè homines ad ſe diligendum. Diliguntur, vt noſti, pecuniæ, magis tamen diligitur virtus. Honores amantur, amplius amatur virtus. Amabilis pulchritudo, amabilior virtus. Chari ſunt affines, cognati, parentes, charior virtus: quando nihil ea ditius, nihil honoratius, nihil formoſius, nihil naturæ noſtræ vicinius atq; coniunctius. Dati ſunt nobis paruuli eius igniculi ſtatim atque homines eſſe cœpimus, ſunt ingeniis noſtris ſemina innata virtutum; ſed plu-

plůrimi prauis cupidinibus capti,peruerſisq́; opinionibꝰ corrupti & excæcati, celeriter eos reſtinguunt, nec ſinunt beatam à diuina ſemente prouenire ſegetem. Meritò itaque nihil etiam eadem dulcius, venerabilius, laudabilius, admirabilius; cui quidquid ſub terra & ſupra terram eſt gemmarum & theſaurorum non poteſt comparari. Quin ſi opes mundi, & bona omnia in libræ altera lance ponerentur, tamen terram & mare virtutis lanx deprimeret. T. Perſimile quiddam vel in Tuſculanis, vel in neſcio quoto libro de Finibus legiſſe memini,àPeripatetico philoſopho,aut Stoico dictum.Egregia ſanè laus illius etiam hæc; quod cum homine non interit,immortalis atque æterna eſt. Improborum autem vitam mortemq́; iuxta æſtimamus, quoniam de vtráque ſiletur,ait Criſpus Salluſtius. Viuunt clari viri,claræq́; mulieres etiam poſtquam diem ſuum extremum viderunt,& viuunt in memoria atque in animis viuentium, quæ eſt vita ſcilicet mortuorum. Nec vlla ſequens ętas de illorum poteſt laudibus conticeſcere; virtutis quippe lumen & maieſtatem obſtupeſcunt barbari quoq;,& hoſtes in hoſte diligunt. D. Quam multa ſunt laude digna? attamen ſine virtute nihil vſpiam laudabile: quæ per ſeipſa eſt laudabilis,quamq́; gloria tanquam vmbra corpus neceſſariò comitatur. T. Vt mihi ſuaue dat ſolatium illud in quadam Verrinarum M. Tullij? Maior eſt virtutis iucunditas, quàm voluptas quæ percipitur ex libidine & cupiditate. In crucem cum ſua gula Apicij. Veniat, & nos amplectatur, nobiſcumq́; dignetur habitare frugalitas.

tas. Diſcedat procul ebrioſitas, in eiúsque locum ſufficiatur ſobrietas. Cedat ſuperbia modeſtiæ, auaritia liberalitati, libido caſtimoniæ, ira manſuetudini, atrocitas clementiæ. Nulla, nulla eſt in ſcelere pura & liquida lætitia: multa potius amarities, perpetui aculei, quibus animi noſtri dies atque noctes cruentantur, & confodiuntur. Non eſt oblectamentum (aiunt ſacræ literæ) ſuper gaudium cordis. Atqui huius gaudij effectrix eſt & parens virtus: quæ vt ſol oriens totam cœli amplitudinem radiis ſuis illuminat, ſic ipſa mentem humanam poſtquam eſt ingreſſa, totam reddit lucidiſsimam. D. Ea item honeſtiſsimarum voluntatum, æquiſsimarum ſententiarum, probatiſsimarum actionum mater eſt, & conciliatrix bonorum omnium. Nam rectè Plautus: omnia aſſunt bona ei, quem penes eſt virtus. Hic ſolus dicendus diues, quando nulla inuenitur neque ſplendidior, neq; auguſtior, neq; permanentior, neq; immobilior, neq; amplior, neq; vtilior, neque delectabilior poſſeſsio. Qui eius hæreditatem adierunt, nihil ſibi deeſſe arbitrantur, nulla re indigent, nihil appetunt, nihil requirunt. Iterum dicam: habet omnia, qui virtutem adeptus eſt. Nec parum diu vixit, qui perfectæ virtutis perfecto functus eſt munere. Qui autem habet vitium, ne ſeipſum quidem habet. Non enim in ſua ipſorum poteſtate verſantur dediti effrænatæ licentiæ, & indomitis cupiditatibus. Et quamuis imperitent aliis, ipſi nihilominus vt mancipia turpiſsimis dominis obſequuntur ac ſeruiunt. T. Quod de immobilitate conſtantiáq; virtutis aiſti, id verbis Tullia-

Tullianis ita explicabimus. Nec eripi,nec ſurripi, nec naufragio,nec incendio,nec temporum permutatione amitti aut permutari poteſt. In ſæua tempeſtate quieta eſt,in tenebris lucet, pulſa loco manet, nulla vi labefactatur, ſplendet per ſe ſemper, nec alienis ſordibus vnquam obſoleſcit. D. Addamus hoc. Non vt ferrum & marmor, ſic etiam virtus vſu conteritur & abſumitur. Immò verò quò vtimur ea frequentius, eo creſcit magis, magisq́; perficitur. Quid verò nos mare exhaurire contendimus? T. Quî dum? D.Cum nullum poſsit genus orationis reperiri, quod vnius alicuius virtutis dignitatem conſequatur, quod erit tantum ingenij flumen, quæ tanta dicendi exercitatio, quæ omnium virtutum ſimul decus & excellentiam vel adumbret? quanquam igitur multa de virtutis laudibus diximus, nihil tamen illius nobilitate ſatis dignum diximus. T. Haud quidquam ſecus eſt. In hoc apertiſsimè diuina ſe benignitas oſtendit,cum animi noſtri ita componuntur & conformantur, vt compreſsis perturbationibus, & ſedatis motibus turbidis vitam tranquilliſsimam, & cœleſtium vitæ ſimilem in terris degamus. Quin eiuſdem beneficio in cœlum recipiamur: ſiquidem nihil hominem Deo tam charum efficit vt virtus. Hinc in ſanctis libris toties legimus ipſum iis, in quibus magna virtus inerat,obtemperaſſe quodammodo, & ad eorum ſeſe arbitrium voluntatemq́; inflexiſſe. D. Deſinamus plura, cogitemusq́;, quamuis eiuſmodi ſit, tamen longam & arduam ad ipſam eſſe viam: quæ quidem ſit aſpera primùm, deinde

plana,

plana, mollis & iucunda. Cæterùm ne deterreamur, atq; ad ipſam virtutem virtutē duce, id eſt, cum labore perſeuerantiáq; tendamus.

ANNOTATIONES.

ATTILII REGVLI) *Quam crudeli ſupplicio à Carthaginēſibus fuerit interemptus Regulus, narrat Gellius lib. 6. cap. 4. De eius facto diſputat in 3. de Off. & in 2. Paradox. eiuſdem inuicti animi conſtantiam collaudat M. Tullius.* NIHIL FORMOSIVS) *Nihil eſt enim, mihi crede, virtute formoſius, nihil pulchrius, nihil amabilius. Cic. epiſt. 14. lib. 14. In quem locum ita Manut. ex forma & pulchritudine oritur amor: ideò amabilius tertio loco poſuit. Apparet autem, cum dicat; nihil formoſius, nihil pulchrius, quiddam eſſe, quo differant forma & pulchritudo: idq;, niſi fallor, tale eſt. Forma mouet, & ad venerationem quandam animum adducit, decora ſpecie, & apta partium omniū compoſitione. Pulchritudo allicit, & fruendi cupiditatem gignit. Ex hac diſtinctione poteſt aliquid eſſe formoſum, nec tamen pulchrum: & aliquid pulchrum, nec tamen formoſum. Itaq; formoſus ſenex, propriè dicetur: pulcher non item: & contra pulchra oratio, veſtis, domus, non formoſa. Confundit interdum Cicero, vt nihil à pulchritudine differre forma videatur.* QVIDQVID SVB TERRA) *Platoni tribuit hanc ſententiam Plutarch. lib. de vtilitate ex inimicis capienda. Vniuerſum aurum quod vel ſuper terram eſt, vel ſub terra, non eſt*

æqui-

æquiparabile virtuti. Similia ſunt quæ habet in 3. de finib. Cicero. Vt obſcuratur & offunditur luce ſolis lumen lucernæ, & vt interit magnitudine maris Ægæi ſtilla muriæ, &c. ſic aliæ res bonæ ſplendore & magnitudine virtutis obruuntur. HOSTES IN HOSTE DILIGVNT) *Vt Porſena in Mutio. Liuius lib. 2. & Annibal in Marcello. Quem cum inſidiis circumuentum interfectumq́; cognouiſſet, corpus eius eximiè ornatum & cultum honorificè cremauit. Reliquias in argenteam conditas vrnam iniecta corona aurea remiſit ad filium. Plutarch. in Marcello.* CVM SVA GVLA) *Voraces, ventriq́; addictos enumerat Ælian. lib. 1. cap. 27. Vide etiam cap. 3. lib. 1. apud Athen. de claris gulonibus. Appellati ſunt hi diuerſis vocabulis. Mandones, comedones, edones, phagones. Vide Victor. lib. 16. cap. 9.* OBTEMPERASSE QVODAMMODO) *Voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet, eſt in ſacris literis. Exemplo autem ſunt Moyſes, Dauid, Elias, Daniel & poſt legem à Chriſto datam hominibus quam plurimi.*

FIDES,

FIDES, ET PIETAS CATHOLICORVM.

PROGYMNASMA NONAGESIMVMPRIMVM.

Catechiſmus.

HIPPOLYTVS, VITALIS.

HIPPOLYTVS. Lætus ſum. V. Quamobrem? H. Quia didici. V. Quid didiciſti? H. Catechiſmum. V. Totúmne,& ad verbum? H. Totum, ad verbum. V. Quî tam breui ſpatio libellum paginarum adeo non paucarum? H. Diligentia quid non vincit? eam mihi ſubſidio comparaui. V. Atqui nec ego ſegniter ad hoc ipſum incubui, tamen vix dimidiatum comprehendi: itaq; animi valde diſcrucior. H. Fortaſsis memoria non perinde vales. V. Hæc cauſſa eſt, vti coniicio. Quando reddemus ex memoria? H. Perendie ante meridiem, ita iuſsit Præceptor nobis renuntiari. V. Interea diſcam plurima. H. Non me ſuperabis. V. Quid ita vero? H. Quia poſt finem quo ego perueni, reſtat nihil. V. Intelligíſne totum? H. Immò etiam. V. Reliquum eſt, ſi & memoria tenes,& probè intelligis, vti ſecundum eius doctrinã viuas. H. Viuam Deo iuuante.

Et

Et tu, quamuis non teneas, nihilominus decem prȩcepta cuſtodire debes,& alia quȩ ibi mandantur, quæ ad duo capita rediguntur: declinare à malo, & facere bonum. V. Scio nobis Catholicis temperandum à vitiis & criminibus, ſtudendumq́ꝫ virtutibus, & fidẽ ſine operibus eſſe mortuam. H. Incitauit me quoque permultùm genitor, qui, ſi ſcirem perfectè, non vile præmium mihi ſe daturum appromiſit. V. Quod? H. Pallium nouum panni optimi. V. Satis honeſtum magnumq́ꝫ præmium. H. Quid tu exſpectas? V. Præter laudatiunculam à Præceptore nihil, ſi ſciuero; præter verbera ſimiliter nihil, ſi ignorauero. H. Vtraqꝫ merces ſua mercede condigna eſt. Sed vis te audiam prius, quàm in gymnaſio recites? V. Admodum. H. Vbi? V. Domi meæ. H. Quo tempore? V. Cras poſt meridiem, cùm ſcilicet à ſtudiis erit otium. H. Accedam igitur ad te? V. Accede.

ANNOTATIONES.

QVemadmodum nec in philoſophia, nec in Rhetorica, nec in mathematicis artibus, nec in iuriſprudentia parui ducuntur inſtitutiones, & elementa ipſa, & progymnaſmata doctrinæ: ſic neqꝫ Chriſtianæ eruditionis & diſciplinæ principia parui ſunt facienda: quinimo tanto magis amplectenda, quanta eorum ſcientia eſt fructuoſior. Illa enim ad gloriam, aut ad quæſtum, aut ad finem aliquem humanum, iſta ad diuinum cœleſtemq́ꝫ conferuntur. Et quoniam aduerſarij iuratiq́ꝫ hoſtes noſtri hæretici adeo ſunt vigilantes & aßidui in ex-

colenda dogmatis pernicioſiſsimis pueritia, cur nos ſaluti puerorum filiorumq́ nostrorũ indormiendum putemus?

PROGYMNASMA
NONAGESIMVMSECVNDVM.
Sacræ conciones.

ARSENIVS, REMIGIVS.

ARSENIVS. Vndénam de improuisò ſeſe offert Remigius, & quò greſſum dirigit? R. Ex æde rectà venio, domum ire propero. A. Quid prohibet, quin eam tecum? R. Si libitum eſt, ito, vt prandeamus vnà: iam enim habita concione, confectisq́ ſacris, prandium haud longè abeſt, & ſtomachus exinanitus turbas dare incipit. A. Audiſtíne igitur concionem? R. Verò. A. Vſq; ad finem? R. Satin' ſanus es, qui me id rogites? Nunquam mihi mos fuit, vt quibuſdam, ſub extremum, aut medium aduenire: à principio adſum, & vbi poſtrema verba Eccleſiaſtes effatus eſt: QVOD NOBIS CONCEDAT DEVS PATER, noſti cætera, non me repente domum capeſſo, exſpecto aliquantum, poſitis in terra genibus, dum vſitatam precationem, generalemq́, vt appellant, confeſsionem recitauerit. A. Benè tu quidem & piè, ſine controuerſia. At interdum neſcit modum tenere, nimium dicendo prouehitur: interdum, vt adulta hyeme, vel nolentem me aſperitas frigoris è templo expellit. R. Frigus animi vel me-

dia

dia æſtate multos exire ante finem cogit,& quantumuis breues conciones facit videri quàm longiſsimas. Meo iudicio, vt bona oratio, ſeu bonus liber hoc melior,quo longior,ſic bona concio. A. An tu ſingulis concionibus intereſſe morem habes? R. Singulis,niſi me aliqua commotiuncula, opúſue neceſſarium impediat. A. Quid ais? R. Sic eſt res. Atque hoc ſi tu minus,equidem miror. A. Ad hoc diligentię non proceſsi. Tamen domi ſpiritualem quempiam libellum, aut Chryſoſtomi, Auguſtini, aliorúmue Patrũ homilias lego per id tempus. R. Non æquè lectis,vt auditis afficimur. Ipſa vox,vultus,geſtus, & totius corporis venuſta moderatio rebus momentum & pondus addunt, atque ad motus animorum miſcendos proficere ſolent maximoperè. A. De concionatore noſtro quid dicis? R. Quid ego dicam? Eſſe virum probum, huic officio peridoneum, populo pergratũ & ſalutarem. A. De probitate quod narras,tibi libens aſſentior: conſtāti enim fama vulgatum eſt, ipſum extra culpam viuere,nec verbis ſolum,ſed etiam exemplo docere, qui eſt modus docēdi, ita viuam,optimus. Cætera velim demonſtres: nam ex tuo ſermone me commodorum quippiam excepturum ſpero. R. Primùm in ipſa perſona hominis quanta dignitas? vultus grauis, nō tetricus, capillus promiſſus & albus, corporis ſtatura infra proceritatem,neq; tamen breuis,vt pumilionum. Num hæc auditorem conciliant? A. Credo. R. Vox canora,grauis,& firma; ſermo purus,dilucidus,limatus,feſtiuus,copioſus; actio varia,& ſententiis reſpondens, plena animi, plena ſpiritus.

Ardet ipſe, vt alios incendat; opus Euangeliſtę facit, partesq́ doctoris Eccleſiaſtici cumulatè implet, ſi quis alius. A. Quas tu concionatoris partes arbitrare? R. Diuina myſteria populo interpretari, fidem Catholicam declarare, peſtiferos magiſtros refutare, ſuperſtitiones, & vitioſas morum conſuetudines radicitus extirpare, ad vitæ integritatem & ſanctimoniam audientes inſtituere. Hæc autem omnia fient, quo regnum Dei amplificetur, diaboli imperium diſsipetur, funditusq́ euertatur. A. Vnam mihi dubitationem euelle, ſi potes. R. Propone. A. Quo pacto ſe ponere poteſt in gratiam apud populum, vt tu confirmas, cum toties mala facinora tam acerbè inſectetur? ebrietatem, ludos infames, res Veneris, commeſſationes, & alia, in quibus volutari innumeros, & à quibus ægrè abſtineri palàm eſt, ille nunquam non accuſat: ieiunia, precationes, virginitatem, iniuriarum patientiam, quæ naturæ humanæ ingrata, odioſa & iniucunda ſunt, ſemper crepat. R. Inter malos, Arſeni, ferme aliqui reperiuntur non mali, aut non æquè mali, qui omnino, aut ſaltem aliquouſque Deo placere enituntur. Deinde, quoniam ſacris Chriſtianis imbuti ſumus, etiam quæ facere nolumus, nihilominus & vera eſſe credimus, & libenter audimus. Quæ autem peccata, præſertim ex animi quadam effœminata mollitie conſciſcimus, ea ipſa nequaquam in laudandis numeramus. Video meliora proboq́; deteriora ſequor, ait Medea apud Ouidium. A. Rectiſsimè. R. Huc accedit, quod Eccleſiaſtes noſter non cum ſupercilio, & vt Phariſæus aliquis, cæteros

ros hominum deſpiciens, ſed manſuetè, cum ſignificatione amoris, & obſecrando magis quàm increpando à ſceleribus nos auocare, & ad veræ ſanctitatis cultum atq; ſtudium allicere conatur. Quare crebrius audiui gemitus, vidi tundentes pectora, aſpexi lacrymas concionis, quæ ſunt pręclari concionatoris certa teſtimonia: & tales illi, non alij plauſus acclamationesq́; optandæ ſunt. Tum enim profectò, BELLISSIME, tum; NON POTVIT MELIVS, & ſimilia (quę oratoribus Romanis à corona Quiritum claris vocib⁹ acclamabantur) dicere apud ſe quemq; fas eſt. A. Iam dudum exoritur mihi opinio, te concionatorẽ fieri deſtinaſſe, quando tam diſertè perſonã eius noſti deſcribere. R. Scopum feris, deſtinaui. Etenim, ſi honorificum putamus in oratorum cooptari ordinem, & ciuilis eloquentiæ laudes tam ſunt eximiæ, tam copioſæ, cur non æquè, cur non magis etiam honorificum ducimus concionatorem, id eſt, Chriſtianum ac cœleſtem quendam oratorem fieri, conſectariq́; diuinã quandam eloquentiam, cuius magiſter non tam M. Tullius, quàm Spiritus ſanct⁹ meritò ſtatuatur? A. Quod fœlix fauſtumq́; ſit, Diui te omnes adiuuent. R. Atq; ideo Rhetoricæ me dedo vehementius: quando non mediocres eam afferre commoditates (vt etiam alia non ſacra ſtudia ſacris literis mirabiliter proſunt) ex aliis didici, & ipſemet experiundo cognoſco. A. In poſterum frequentius auſcultatum ibo, auſcultaboq́; diligentius, & ſtudebo fidelius retinere, quæ diſſeruerit. Iuuabit eodem, quod diſtinctè & ordinatè dicit. Repetam quoq; capita concionis vel

tecum, vel cum alio, in quem amicum incidero. Memini intra paternos lares cum degerem, quomodo me parentes antequam accumberē facere cōpellebant. R. Quid illud? A. Si nihil retinuiſſem, aliquid de cibo detrahebant. Si multa, præmiolis diligentiam remunerabātur. Hoc ſi parentes ſibi hodie imitandum ſumerent, liberos ſuos tam indulgenter ac diſſolutè non haberent. R. Prô nefas, nec ipſi auditum eunt, nec quantum illi in diſciplina Chriſtiana progrediantur, vlla ſollicitudine curáue tanguntur. A. Agam vt pollicitus, & meipſo meliorem me reddam, Deo propitio: id quod vnum concionator à nobis efflagitat. Nam quod nonnulli apud cerdones, fullones, & ignobile ac rude vulgus philoſophantur, demiror, cur templum in gymnaſium conuertant. R. Mos vituperatione dignus. Nonne irridendos exiſtimas, qui crebris prouerbiis, & fabellis, verborumq́; lenociniis, & dicteriis plebem demulcent, ac ſæpius Ciceronem, Horatium, Platonē adducunt, quàm Iſaiam, Matthæum, Paulum, & huius notæ alios? A. Oſtentatores videntur mihi, & logodędali. Videntur inquam mihi fumum venditantes aucupari rumuſculos, & inanem captare gloriolam, πρὸς χάριν λέγοντες; eorum nempe oratorum perſimiles, de quibus Demoſthenes tam ſępe conqueritur. R. Prorſus ita res eſt, vt dixiſti.

ANNOTATIONES.

FRIGVS ANIMI VEL MEDIA) *Quod Seneca ſcribit de quibuſdam philoſophiæ auditoribus ep. CVIII.*

CVIII. *hoc transferamus licet ad multos, qui concionatores audiunt. Non nouimus quoſdam, qui multis apud philoſophum annis perſederint, & ne colorem quidem duxerint? Quid ni nouerim? Pertinaciſſimos quidem, & aſſiduos: quos ego non diſcipulos philoſophorum, ſed inquilinos voco. Quidam veniunt vt audiant, non vt diſcant: ſicut in theatrum voluptatis cauſſa ad delectandas aures, oratione, vel voce, vel fabulis ducuntur. Magnam hanc auditorum partem videbis, cui philoſophi ſchola otij diuerſorium ſit. Non id agunt, vt aliqua illic vitia deponant, vt aliquam legem vitæ accipiant, ad quam mores ſuos eligant, ſed vt oblectamẽto aurium perfruantur.* VT PVMILIONVM) *Pumiliones latinè, græcè nanos dici vult Gell. lib. 19. ca. 13. quẽ lege.* SEMPER CREPAT) *Crepare per tranſlationem eſt aſſidue de re aliqua loqui, ſemperq́ eam in ore habere. Horat. epiſt. 2. lib. 1. ſulcos & vineta crepat mera. ad Piſon. Aut immunda crepent ignominioſáque dicta.* CREBRIVS AVDIVI GEMITVS) *Superior annotatio ſcripta eſt in auditores rerum diuinarum curioſos & otioſos: hæc in ipſos concionatores ſcribetur, qui exemplo cuiuſdam Serapionis apud Senecam epiſtola 40. pro oratione grauitatis, auctoritatis, maieſtatis ac ſanctimoniæ plena, comptam, calamiſtratam, papauere & ſeſamo ſparſam, & ex mellitis verborum globulis contextam afferunt: ita vt ad eos non tanquam ad vitæ magiſtros, ſed tanquam comœdos, aut hiſtriones eatur. Stant illic, & cum frontem bis térue confricuerunt, barbamq́ permulſe-*

mulſerunt, hiante, & mirificum aliquid ac θεσπέσιον exſpectante plebe, laxant habenas linguæ, & ſimiliter cadentia, &c. Lege cætera apud Muretum in notis ad eandem epiſtolam: quibus illud columen Humanitatis, virq́; optimus ſuum animum Chriſtianæ pietatis pleniſſimum ſatis ſuperq́; aperuit.

PROGYMNASMA NONAGESIMVMTERTIVM.

Miſſæ ſacrificium, item ſacerdotalia, atque ad aram pertinentia.

MACARIVS, SEBASTIANVS, VICTORINVS.

MACARIVS. *Cum tua peruideas oculis malè lippus inunctis,*
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutùm,
Quam aut aquila, aut ſerpens Epidaurius?

S. Eho, in me iſtos verſus, de ſatyra (ſi ritè recordor) an in Victorinum? M. In te. S. In me? M. Dixi. S. Haud equidem auſpicatò huc me attuli. Quid hic ſibi vult? M. Quid vult? Te admonere, vt antè trabem de oculo tuo, quàm feſtucam de alieno. S. Videlicet hoc inſinuas. Quoniam paullò

paullò antè culpas tibi quaſdam exprobrauerim; quod ad rem diuinam tardius nonnunquam accederes; quod ſacris aliquando nondum abſolutis furtim te proriperes, quod ſuſurrationibus vicinos impleres, haud prudenter, nec humaniter me egiſſe, vtpote qui plura offenderim. M. Bene augurare, & teſtem laudo Victorinum, quàm tu interea dum ſacra fiunt, egregius ſis, & ſpectatu dignus. V. Teſtimonium mihi Macarius denuntiat, vt audis, teſtimonium in te dicam. S. Res de compacto geritur, & in caput meum inſidiæ componuntur, in me iſthæc faba cuditur. Hoccine placet? M. Tu vt te inſontem culpaq; vacuum haberi poſtules? S. Remotior ſum ab erratis, quàm vterque veſtrûm. V. Tun' iſtuc tanta confidentia? S. Verum eſt, veritas liberè proloquenda eſt. S. Commemorabimus igitur honoris tui cauſſa, quas virtutes tuas, morumq; elegantias tempore ſacrorum obſeruauerimus. S. Vos, quod & quantum libuerit commemorate, nihil interdico: ego deinde credam quæ voluero. M. Centum teſtibus te coarguam, ſi negaueris. S. Titiuillitium, ſcarabæi vmbræ. Me ſolere in templis aut ſacellis adeſſe ad ſacrificium feſtis ac non feſtis diebus pro certo noui. V. Id non damus vitio, laudi potius. S. Hoc etiam certo certius eſt, me adeſſe corpore ad omnem modeſtiam religionemq; compoſito, nec, vt vos, circumſpicere. M. Hoc ſecus eſt, habes caput verſatile, & curiosè oculos huc illuc iactas. S. Semel, ſi forte, in hebdomade. V. Semel? in vna miſſa vicies. S. Prô ſuperi, quid eſt mentiri, ſi hoc non eſt? M.

Amabo, num hoc quoque inficiabere, te incubare ſedilibus, & vnum duntaxat genu flectere; quales Iudæi Chriſtum per ludibrium adorantes pinguntur? hoc vtique refugeres, ſi tot Angelorum myriadas præſentes aſtare facienti cogitares. S. Si quando in durum & frigidum lapidem incido, cum puluillo & chirothecis, quas ſubiiciam more veſtro, caream, tum cogor mutare genua; præſertim vbi ſacrum eſt longum. V. Quid longum? Poſt recitatum Euangelium flectuntur primùm genua. S. At manemus nixi genibus, donec ſacerdos ad populum conuerſus, ſublata manu figuram crucis expreſſerit, beneq; precatus eum dimiſerit. M. Eſt vnius horæ quarta pars totum illud interuallum. S. Quando canitur muſicè, eſt vnius horæ propemodum. M. Cur non pudet? fœminæ hoc factitant. S. Viri tamen, quos me imitari honeſtius eſt, hoc non factitant. Fœminarum mores nihil moror. V. Vt inuitus in genua procumbit iſte? M. Quæ ſunt tuæ preces? S. Roſarium, quas tu nuperrimè, neſcio quo auctore fretus, ſphærulas precatorias appellabas; tam bellam latinitatem ſtupeſcente Nizolio. M. Tu, ſi diſplicet, ne vtare: interim exhibe roſarium. S. Nolo. V. Nullum habet; quid tu caluum vellis? S. Mecum non tuli, domi reliqui. An ego tanquam monachus de cingulo ſuſpenſum circumferrem? V. Non hoc iubeo, ſed vt alij, in ſacculo ſub tunica geſtares. S. E libello quoque precationibus operam dare conceditur, aut meditari quippiam de Paſsione Domini. M. Nunc aliquid dicis. Eia, de Paſsione.

ne. Veruntamen inſolenter ac rarò in manibus tuis libellum animaduerto. Virgilium quidem ab hinc triduum verſabas, ac fortaſsis cum poëta Muſam, aut Æolum cum Iunone orabas. V. Aſpexi cum Æſopi fabellas legeret. S. Hoc demum eſt aſpectu vagari, & foris oculatum, domi cæcum eſſe, ad alium cogere medicos, ipſum ſcatere vlceribus. M. Caſu fit, vt quis interdum circumſpiciat, aliorumq́ꝫ ineptias intueatur. S. Num aliud eſt, quo me accuſes? V. Eſt. S. Quid ergo eſt? V. Cum nomen Ieſu aut Mariæ pronuntiatur, non inclinas genu, niſi rariſsimè. M. Hoc verè ruſticanum, non vrbanum eſt. S. Falſum eſt. V. Non falſum eſt, ſed ruſticanum eſt. S. At ego dico illum & te falſum eloqui. An verò credis nihil notaſſe me, quod tibi iuſtè exprobrem? V. Mihin'? S. Ita. V. Mihi ne? S. Tibi ergo. V. Profer ſi audes. S. Per dies proximè elapſos quis ſacerdoti ſacris operanti miniſtrauit? V. Ego. S. Tenes artem? V. Melius quàm tu & Macarius. M. Caue ſis, ne cum dixeris malè, peius audias. V. Quod res eſt, affirmo. Nam tu neſcis nolam, ſeu tintinabulum pulſare, cum hoſtia ſalutaris ſublimè tollitur; & ille cereos non didicit emungere. S. Sed heus, quando tu heſterno die in ſimpulo, ſeu ampulla aquam pro vino porrexiſti, lectaq́ꝫ epiſtola AMEN reſpondiſti, quis lapſus fuit? linguæ an memoriæ? V. Non recordor huius ſolœciſmi. M. Tam citò oblitus? at illud puto, non effluxit, quod cum ſacroſanctam hoſtiam ſupra verticem attollere ſacerdos pararet, tu facem non accenderis. Aſpergillum præterea, ſeu luſtricum

cum aſperſorium incommodè præbes, aquiminium cum luſtrali aqua malè ſuſtines. Creabimus te æditũum, ſi vis: magis enim idoneus eſſe nemo poteſt, claret hoc. V. Irritaui crabrones. Quo in ludo eruditi eſtis vos? M. Magiſter nos aptè inſtituendos curauit: quid quæris? V. Si quod pretium dediſtis, facite vt reſtituatur, ſiquidem imperitè videmini inſtituti. S. Mittamus hanc litem, & pro ſe quiſque det operam ſacra peragentibus ſcitè, ciuilemq; in modum inſeruire; quæque in audienda miſſa obſeruanda ſunt, obſeruet in poſterum diligentius. Potés ne nobis enumerare, Victorine, quæ ſacerdoti ad liturgiam opus ſunt? V. Facillimè. M. Arrigimus aures. V. Vos fortaſsè aliquid à me vultis diſcere. S. Non, ſed te docere, vbi hæſitaueris: nos quippe iſta pridem ſcimus. V. Vt vt ſit, non me pigebit documentum dare ſedulitatis meæ: tamen ea conditione, vt quæ petiuero, vos etiam reddatis mihi memoriter. M. Habebis id. V. Hoc inſuper oro, vt Ciceronem, Liuium, & alios latinitatis architectos ab iſtis liminibus tanquam profanos arceatis: hoc eſt, ne me cogatis ex eorum arculis omnia ſumere. Nam vbi res aliqua non fuit, quo pacto eius nomen extare potuit? Similitudo quædam rerum veterum ac nouarum & in hoc, & in aliis permultis generibus efficit, vt nón pauca latinis vocibus afficere poſsimus. S. Quin dic modo. V. Epomidem lineam appello, quod ſuper humerale vulgus Clericorum. Sequitur alba, & ſubauditur veſtis. Hæc eſt illa lintea, & prælõga ac lacinioſa tunica, manicis laxiſsimis, quam ſacri-

ſacrificaturus induit, illiusq́ veſtis gerit imaginem, qua Chriſtum Herodes contumelioſè, vt fatuum operuit. Cingulum flagella ſignificat. Manipulus, id eſt, faſcia illa in ſiniſtro brachio, funes, quibus ad columnam eſt alligatus. Stola laqueos collo eius iniectos, cum ab vno iudice ad alium raptaretur. Caſula, purpuram, quam milites eidem in prætorio circumdederunt: quod veſtimentum cruce à tergo ferè inſignitur. Ea quid moneat, nimis eſt manifeſtum. S. Cogitandum ſubiicit ſanctam illam ligneamq́ crucem, in qua tribus clauis affixa mundi ſalus pependit. Tu hęc myſteria in commentario aliquo legiſti. V. Et legi, & explicationes iſtas audiui à Magiſtro puerulus, cum rudimenta fidei nobis interpretaretur. Locus vbi ſe veſtiunt ſacerdotes, & ſacra ſupellex reponitur, à quibuſdam veſtiarium, communiore voce ſacrarium nominatur. Etiam dici poterunt templi penetralia, & adyta. Sacriſtiam qui nominat, nulla neceſsitate loquitur barbarè. M. Procede ad reliqua. V. Opus eſt item calice, opus patena (ſic enim maluerunt, cum tamen ſit patina, & rectè, quia ipſa hoſtia ſanctiſsima cibus eſt, & cibus dicitur: Caro mea verè eſt cibus) Calici quadratum, ſed duratum, & linteum tegumen imponitur, pallam vocant. Ad eum præterea & os extergendum adeſt quaſi ſudariolum, quod purificatorium dicunt. Operitur calix velo ſerico byſsino, aut alioqui non abiecto. Expanditur item ſuper aram corporale, linteum filo ſubtiliſsimo; quo admonemur illius mundæ ſindonis, quo corpus Domini exanime inuolutum

ſcribi-

ſcribitur. Id in theca reponitur. Longus ſim nimium, ſi ſingula declarem quid velint. S. Non requirimus. V. Ad huc opus eſt hoſtia, è ſimilagine ſeu triticea farina, opus eſt aqua, vino, libro miſſarum, cui miſſale nomen fecerunt. Ille, quoſque Pontificalia, & Agendas vocant, Romano vocabulo rituales libri nominabuntur, vt omnes ſacræ cærimoniæ, ritus. Vaſculum, vnde populo Euchariſtia promitur, ciborium, à genere poculi capaciſsimo, cui ſimile eſt. Id aurea plerumque, ſeu bombycina pallula, ſiue chlamydula cõtegitur. Quid amplius à me deſideratis? S. Præſtitiſti quod voluimus, & placuiſti. V. Dic tu Sebaſtiane ex pactis & conuentis de ara, ſeu altari. S. In altari, cui palla prætenditur, artificio quodam plerunque elaborata, ſunt candelabra ſtannea, lignea, alabaſtrina, ænea, argentea, inaurata, quibus inſiguntur cerei flaui, candidi. Item imagines, ſigna, ſtatuæ, icones, ſigillaria, ſimulacra (quanquam hoc verbi, vt ſculptile, ſacræ Scripturæ, & Eccleſiaſtici doctores ad gentium idola ſemper transferunt: vti etiam fanum & delubrum potius de Ethnicis, quàm de Chriſtianis templis vt vſurpentur, mos vetus obtinuit) Eſt autem à ſimulãdo ductum, quod ſimulet, & imitetur veritatem corporum. M. Quid volunt ſigillaria? S. Imagunculæ, ſtatuæq; cubitales aut palmares ſunt, fuſili opere ex metallo, ſeu tomento & ſerico compoſitæ. Suppedaneum quod ſtatuarum pedibus ſubiectum eſt, & baſis ipſa. Tegitur item ara velis tribus. Qui autem pannus lineus in medio, vnius cubiti & ſemis latus, duorum

rum longus,interdum extenditur,ſubſtratorium à ſubſternendo dicitur. Ad hæc in altaribus Sanctorum oſſa,cineres, quæq; nomine reliquiarum intelliguntur, in thecis & vaſculis proponi ſolent. Flores etiam in ampullis teſtaceis, cupreis, & argenteis,ad ornatum. Nihil me arbitror prætermiſiſſe. M. Quid à me? V. Cætera quæ ad ſacerdotem pertinent. M. Liber ſacerdotis,vnde preces horarias facit, appellatur breuiarium: ducta voce à iureconſultis, apud quos breuiariæ rationes dicuntur, in breuiarium, hoc eſt in epitomen & compendium contractæ; ac proinde breuiarium eſt epitome. Et quid hic aliud eſt, niſi ſacrorum bibliorum quædam epitome? Vtitur hac voce Suetonius in Auguſto, pro ſummario, ſiue compendio. Fecit & breuiarium, inquit,totius imperij, quantum militum ſub ſignis vbique eſſet, quantum pecuniæ in ærario & fiſcis,& vectigalium reſiduis. Item Plin.lib. 18. Verùm vt pariter omnis culturæ breuiarium peragatur. Linteus ille amictus & candidus,ſeu amiculum album; rugoſum ſiue ſtriatum, ineptè ſuperpelliceum appellatur;nullæ ſunt ibi pelles. Sacerdotes eo indutos quidam candidatos, albatos & linteatos nuncupauerunt. Deinde ſacerdotes quidam ſunt Curiones (barbaris Curati) ſiue Parochi; templum & cœtus hominum ipſorum auctoritati ſubiectus parochia, ſeu parœcia. Ordines Clericorum, per quos ad ſacerdotium aſcenditur ſunt Oſtiariarum, Exorciſtarum, Lectorum, Acoluthorum, Hypodiaconorum, Diaconorum. Sacerdotis eſt ſacra facere, thus adolere.

lere. Arcula in qua thura ſeruantur acerra; vas vnde fit odorata ſuffitio, thuribulum nomen habet. Eſt item officij eius Euchariſtiam diſtribuere, confeſsiones excipere, moribundos ſacro oleo perungere, baptiſmo ſeu ſacro fonte infantes aſpergere, matrimonio nubentes coniungere. Initiatio, ſeu ſacrorũ ordinum collatio, chriſmatis vnctio Epiſcopi ac Suffraganei eſt, quem initiatorem licebit appelletis. Nihil reſtat. S. Omnes doctè.

ANNOTATIONES.

MISSÆ SACRIFICIVM) *Facere, legere, & celebrare Miſſam, celebrare abſolutè, vt cum dicunt quidam: ego nondum celebraui; quis celebrauit? tanquam illuuies quædam ſermonis fugienda ſunt ſtudioſis Romani candoris. Dicemus igitur (vt vnum in locum coaceruentur omnia, quorum nonnulla per hoc progymnaſma ſparſimus) rem ſacram, rem diuinam peragere, facere. Liuius dixit, ſacra perpetrare, ſacrificium, ſacra facere, ſacrificare, ſacris, diuinæ rei dare operam, ſacris operari, & operari ſimpliciter ſine caſu. Item facere, ſine caſu: huius enim verbi ea vis eſt, vt tam ſeparatum, quàm iunctum ſæpius ad ſacra pertineat. Cic. pro Muræna. Iuno Soſpita, cui omnes Coſſ. facere neceſſe eſt. Ad Brutum ep. 15. Qui hunc honorem mulieri Larentiæ tribuerunt, cuius vos Pontifices ad aram in Velabro facere ſoletis. Ad Att. lib. 1. Cum pro populo fieret.*

ret. Virgil. eclog. 3. Cum faciam vitula pro frugibus, ipſe venito. Adiunxit ablatiuum. Græci δρᾶν, & ῥέζειν eodem modo. TITIVILLITIVM, SCARABÆI VMBRÆ) Veteres hanc vocem, tanquam interiectionem ad ſummum quendam contemptum indicandum adhibebant, perinde vt Græci, ϖιπιλό. Ad rem præterea nullius momēti ſignificandam. Scarabæo autem quid deſpicabilius? quamobrem quis vmbram eius magnifaciat? Eandem planè vim habent hæc duo cum illis, pili non facio, nauci non facio, flocci non facio, huius non facio. FACITE VT RESTITVATVR) Sic Cic. 2. Philipp. Iam inuideo magiſtro tuo, qui te tanta mercede, quantam iam proferam, nihil ſapere docuit. Parum eſt non docere ſapere, præ vt eſt docere nihil ſapere. Quamobrem quis diſcipulus à tali magiſtro non dupliciure mercedem repetat? VT CICERONEM, LIVIVM) Ex Tertulliano quoque, Arnobio, Hieronymo, Auguſtino, Ambroſio, Apuleio, Caſſiodoro, Martiano, Sidonio multa ſe reperturum putat Muretus lib. 15. cap. 1. quibus ſuo loco poſitis oratio vberior fiat, & ornatior. Nec eorum eſſe imitandam ſtultitiam, qui vſque eo antiquitatis ſtudioſi ſunt, vt voces quoque Chriſtianæ religionis proprias refugiant, & in earum locum alias ſubſtituant, quarum nonnullæ etiam impietatem olent: qui non fidem, ſed perſuaſionem: non Sacramentum corporis Dominici, ſed ſanctificum cruſtulum, non excommunicare, ſed diris deuouere: non angelos, ſed ge-

nios:non baptiZare, ſed abluere dicunt. Hæc viri optimi & eruditiſsimi reprehenſio in eos valet, qui Chriſtianas voces omnes & ſemper repudiant: quaſi piaculum commiſſuri, ſi eas aliquando in oratione ponant. Nam quin interdum venuſtè, ſacro fonte abluere, pro illo græco, baptizare; & pro corpore Dominico, cœleſtes epulæ; & pro excommunicare, anathemate percellere, ferire, iugulare, piorum communione interdicere aliiſuè modis religioſi doctiq́ & eloquentes viri dixerint, & nos eorum exemplo dicere poſsimus, nunquam neq́ negauerit, neq́ vetuerit Muretus, aut non ſit Muretus. SACRARIVM NOMINATVR) *Seruius in illud Virgil. 12. Æneid. duri ſacraria Ditis, & Iſidorus volunt ſacrarium eſſe nõ ipſum locum ſacrum: ſed in quo res ſacræ deponuntur. Suetonius autem in Aug. cap. 5. pro ſacello videtur cœpiſſe, vt aliquoties Cicero. Pro Milone. Ante ipſum ſacrarium Bonæ Deæ. Et 1. Catil. Aquilam illam argenteam, cui ſacrarium ſcelerum tuorum domi tuæ conſtitutum eſt.* SACROSANCTA EVCHARISTIA) *Quid propriè ſit ſanctum, & ſacroſanctum, diſertè explicat Bud. in Pandect. Nos propter egeſtatem linguæ et rerum nouitatem ſæpe cogimur verba mutua ſumere, & minus priſcè loqui.* CIBORIVM A GENERE POCVLI) *Vſus eſt Horatius pro capaci poculo lib. 2. Ode. 7. Vnde autem ad pocula tranſlata ſit hæc vox, Iunius lib. 1. cap. 10.* IMAGINES, SIMVLACRA) *Simulacrum & imago ſunt idem, ab effigie quiddam differunt. Idẽ eſſe indi-*

Indicat id quod ſequitur infra: qui neq; pictam, neq; fictam imaginem ſuam paſſus eſt eſſe. Nam ſimulacra iam vocauerat Cicero, pictam ab Apelle, fictam à Lyſippo imaginem Alexandri. Sunt igitur ſimulacra & imagines, quæ pinguntur, & quæ finguntur: effigies autem, contra Vallæ ſententiam, eſt, quæ fingitur, non quæ pingitur: quod ipſum nomẽ arguit. Plura Manut. in ep. quã ipſe Cicero ep. 6. lib. 4. ad Att. valde bellam vocauit, duodecimam nempe lib. 5. Coram me tecum.

PROGYMNASMA NONAGESIMVMQVARTVM.

Piacularis confeſſio.

SYMMACHVS, VALERIVS.

SYMMACHVS. Præter ſolitum iam per dies aliquot in attentiſsima quadam cura defixum te, ac neſcio quid tanquã ſuper Ariſtotelis entelechia, aut Platonicis numeris meditantem, interdum altos gemitus cientem, & pectus pugno bis terq; continenter plangentem obſeruo: nec quæ cauſſa ſit diſpicere queo. Si quid mala tibi obiectum eſt manu, ſi quis te caſus afflixit, quod vereor, μὴ κεῦθε νόῳ, ἵνα εἴδομεν ἄμφω. Perinde id ego dolenter feram atq; tu. Nihil enim poteſt mihi abs te ſeiunctũ eſſe, à quo omnia ſumma in te ſtudia, officiaq; exſpectare debes. Ami-

cus ſum;amicis ſecunda & aduerſa ſunt communia. V. Agnoſco & recognoſco quantam adhuc in me voluntatem contuleris. Cæterùm nulla in me fortuna grauior incurſauit; quamobrem nihil eſt cur ſollicitere. S. Quid ergo eſt? V. Nihil eſt. S. Quî hoc nihil eſt? Per amicitiam & per amorem obſecro, ne occultum habeas; non effluet,ne iſtuc time. V. Fiat,geratur mos tibi.Totius anteactæ vitæ noxas, ab vltima pueritia ducto initio in memoriam mihimet redigo, eas in libellum confero,vt ſacerdoti exponam: qui me deinde arctiſsimis vinculis, in quæ meopte nutu, heu miſer,me indui, leuatum dimittat. S. Nunc demum clarè intelligo, quid ſuſpiria, quid perpetuum pæne ſilentium ſibi voluerint. Nam quod tu opus efficiendum ſuſcepiſti, mente omni alia cogitatione ſoluta, & cum ſilentio efficiendum eſt. Præterea religioſus animus ſine acri doloris morſu ſua piacula nunquam recolit. V. Probè,& ex tribus pœnitentiæ partibus prima & potiſsima eſt,quæ contritio apud Theologos. O ſi commiſſa me cruciarent impenſius, ita exploratior veniæ ſpes naſceretur. S. Quem ordinem, quam viam in delictis tuis recognoſcendis ſequeris? V. Perdifficile eſt, cum tam multa, tam diuerſa,tam longo repetita principio recordari velis, id commodè præſtare, niſi aliquem indicem inſpicias,qui te moneat,in quo conſcientiam excutere, & vbi in temetipſum debeas inquirere. Eſt igitur mihi liber percommodus, quo peccata in certos ordines diſpertiuntur,doceturq́ quibus

bus modis & rationibus in Deum, quibus in ſeipſum, quibus in alium committi poſsit; idq́ dictis, cogitatis, & factis. Eum vbi videris, probabis: exhiberem ſi eſſet ſub manu. S. Emam continuò, quantumlibet carum, ſi in taberna libraria inuenero. V. Ecquid tu aliquando iſtam generalem exomologeſin obiiſti? S. Et quidem cum admirabili fructu animi placatiſsimi: poſtquam videlicet domum meam vna opera totam perpurgaui, omnesq́ inde ſordes abraſi atq; abſtuli. V. Quis tibi confitenti aures dedit? S. Preſbyter ſenectute reuerenda, egregiè pius, & vt ferebatur doctiſsimus iuxta ac prudentiſsimus; is me ignorantem erudiebat, ſuaui conſolatione mœſtum permulcebat, & quo pacto à vitiis flagitiisq́ cauerem edocebat. V. Egit medicum, morbum ſanauit, & antidota præſcripſit. S. Sic agere par eſt eos, qui animarum noſtrarum medici nominantur. V. Aliâs quoties per annum expiaris? S. Quinquies. V. Nimirum. S. Ad Paſcha, hebdomade ſcilicet maiore (quo tempore Catholici omnes Eccleſiæ iuſſu id faciũt) ad Pentecoſten; ad diem quo aſſumptæ in cœlum Mariæ virginis anniuerſaria gratulatio celebratur; ad Kalend. Nouembres, qui dies omnibus cœlitibus dicatus eſt. Poſtremò ad ferias natales Ieſu Chriſti Seruatoris noſtri. Veruntamen cogito poſthac in ſingulos menſes accuſare me apud presbyterum: quod vt poſsim plenius ac ſincerius, ſub noctem quotidie cogitationes, ſermones & actiones meas quàm diligentiſsimè diſcutio. Quæ er-

rata reperio, in palimpſeſtum inſcribo. Mirum dictu, quàm ſalubris medicina ſit contra peccandi aſsiduitatem crebra accurataq́ confeſsio. V. Oſtende. S. Quî fieri poteſt, vt aliquem ſæpius iiſdem ſe commaculare piaculis delectet, quæ frequenter, ac proinde etiam maiore cum rubore pudoreq́ apud virum grauem, ſuæ conſcientiæ iudicem ac moderatorem enuntiat? Item, quoniam deteſtamur & odimus peccata, cum ea confeſſuri ſumus (alioqui confeſsio inanis ac nulla ſit) qui crebrò ea ſacerdoti aperit, eorum execrandorum conſuetudinem adipiſcitur. Quæ autem execrari ſolemus, ea vix aliquando perpetrare audemus. Ipſa inſuper Dei gratia (munus inprimis optabile & amplectendum, quo ille hominem per ſacramentorum vſurpationem dignatur) vires miniſtrat ad contemnendas repellendasq́ omnium ſcelerum labes: ſtabiliorq́ & placidior ſemper animi pax & ſpes in Deo collocata abſterret nos à prauis actibus, quos moleſtiſſimæ perturbationes, ſtimuli & ægritudines comitantur, quibus mens diu noctuq́ compungitur, dilaceratur & exeditur, vndeq́ amplius timetur Deus vt truculentiſsimus iudex, quàm diligitur vt mitiſsimus pater. Nec verò qui rariſsimè confitentur, & ægrè ſemel toto anno, tam videntur expetere cœli gaudia, quàm fugere inferorum tormenta: quod illiberale parumq́ Chriſtianum eſt. V. Te auſpicem ſequar, & ob has aliasq́ cauſſas, quas me audire & legere memini, ſarcinulas meas apud confeſſarium ſæpius deponam.

nam. Nam vacuum per iter ingredi quàm cum onere, multò eſt commodius, multoq́ iucundius. S. Cenſeo.

ANNOTATIONES.

SVPER *A*RISTOTELIS ENTELECHIA) ἐντελέχειαν *Cic. 1. Tuſcul. continuatam motionem & perennem interpretatus eſt, & ſic Ariſtotelem appellaſſe ipſum animum dixit. In quo reprehenſus eſt primùm ab Argyropylo, deinde à Budæo & aliis. Defenſus autem à Politiano lib. Miſcell. cap. 1.* MALA OBIECTVM MANV) *Illi mali quippiam màla manu obiicitur, cuius mentem veneficus excantat. Siquidem in veneficiis non tantum eſt carmini locus, ſed etiam manui, id eſt iis, quæ fiunt manus opera: vt cum adhibentur herbæ, medicamenta, mala venena, etiam quædam interdum vincula. Virgil. 7. Æneid. Spargere qui ſomnos cantuq́ manuq́ ſolebat. Turneb. lib. 4. cap. 15.* ACRI DOLORIS MORSV) *Triſtes animi morſus vocat Martial. lib. 12. quos vulgus conſcientiæ ſtimulos. Tibull. lib. 3. Nec cor ſollicitant facta nefanda meũ. Cic. 1. de finib. ſtulti malorum memoria torquentur: ſapientes bona præterita grata recordatione renouata delectant. Surda verbera vocat Iuuenalis. Notanda ſententia Iſocratis ad Demonicum.* μηδέποτε μηδὲν αἰσχρὸν ποιήσας, ἔλπιζε λήσειν. καὶ γὰρ, ἂν τοὺς

ἄλλους λάθῃς, σαυτῷ γε συνειδήσεις. Si quid vnquam turpe admiſeris: ne ſperato fore clam. Nam vt alios id celes, at tibi ipſe eris cõſcius. Hinc & Auſonius. Turpe quid auſurus, te ſine teſte time. Et illud tritum: Conſcientia mille teſtes. IN PALIMPSESTVM) *Græca vox, latinè charta ſeu membrana deletitia, in qua videlicet deleta priore ſcriptura reponitur alia noua. Vtitur Cic. ad Trebat. lib. 7. ep. 18. & Catull. epig. 19. ad Varum.*

PROGYMNASMA NONAGESIMVMQVINTVM.

Sacratiſſima Euchariſtia.

CANDIDVS, PATRICIVS.

CANDIDVS. Quandoquidem hac luce à cœleſti conuiuatore cœleſtibus atque immortalibus epulis inter alios complures, viros, fœminas, adoleſcentes, pueros, pauperes, diuites, ad aram honorificentiſsimè accepti ſumus, agedum, de hoc tam nobili conuiuio ſermonem inſtituamus: hoc quippe maiori nobis emolumento futurum eſt, quam viciſsim ludicras hiſtorias, & aniles fabulas memorare. P. Decentiſsimè hoc abs te argumenti ad colloquendum proponitur. Nam ſicut qui functi epulis recedunt, ipſum inprimis epuli dominum ab huma-

humanitate, liberalitate, magnificentiaq́ commendant, & ciborum delicatiſsimorum, vinorumq́ varietatem ac præſtantiam dilaudant: ita nos conuenit hunc generoſiſsimum potum, hanc diuinam eſcam immenſis prædicare laudibus; quam non homo aliquis, non Princeps, non Rex, non Imperator pretio ingenti conquiſitum appoſuit; ſed Deus ille omnium opifex; nec vti quondam in deſertis locis populo Iſraëlitico manna, ſed ſemetipſum quantus quantus eſt, corpus & ſanguinem, animam ac diuinitatem ſuam veſcēdam cœlitus largitus eſt. C. Quo ſtudio, quibus laboribus, quo impendio hoc ferculum, has cupedias quærere debuerunt, qui in medio mari linguas pſittacorum eſitabant? P. O effuſionem, ô luxum; haud enim dixero, ô voluptatem, qui exiſtimem vitulorum aut agnorum, aut ſaltem perdicum linguas ad guſtatum perinde ſuaues eſſe, vt illius peregrinæ volucris. C. Ignorabant fatui legitimum pecuniarum vſum. Ideo ſæpè illas in res parui, aut nullius momēti vel ſuperbia tumefacti, vel libidine exagitati, ſine cauſſa, ſine modo luxurioſiſsimè profundebant. O ter & amplius fœlices Chriſtianos, quos ipſorum ſolus verusq́ Deus in tam excelſum honoris & àmplitudinis culmen extulit. Si tot mundos ædificaſſet, & vnumquemque noſtrûm vnius mundi rectorem poſſeſſoremq́ conſtituiſſet, quid hoc fuiſſet comparatione eiuſdem ſacratiſsimi numinis? Aut quot millenis mundorum myriadibus ille non eſt excellentior? Attamen beatiores illi, qui men-

 te pu-

te pura,& caſto corpore has epulas ineunt,& non aliter, quàm principem potentiſsimum hoſpitio accepturi, domicilium ſuum exornant, parietes aulæis,id eſt, virtutibus conueſtiunt. P. An non illos quoque beatos numeras, qui non rarò huic diuinæ menſæ accumbunt? C. Beatiſsimos: fieri ſiquidem nulla ratione poteſt, quò tam admirabilis hoſpes, tantúſque Rex ſæpe diuertit, quin ibidem plurima & expreſſa dulcedinis ac beneficentiæ ſuæ veſtigia relinquat. P. Cur ergo tam multi à frequentanda ſynaxi refugiunt? C. Nonnulli id ex magna quadam animi ſummiſsione modeſtiaq́ꝫ & ſupremæ illius maieſtatis reuerentia faciunt, ſéque tam inexplicabili beneficio indigniſsimos ex animo arbitrantur, neque ſecus de ſe, quàm de pannoſis & eſurientibus mendiculis cogitant, quibus ſatis benignè fit, ſi fruſtulum cibarij panis ante fores exſpectantibus ac rogitantibus detur, cænitare cum Regibus, etiam inuitati (quando autem inuitarentur?) nequaquam volent. Atque hi quidem laudandi amandíque ſunt, cum ſemetipſos eousq́ꝫ deſpiciunt ac deprimunt. Verùm propoſito ingenti Euchariſtię fructu & vtilitate, ad crebriorem eius vſum adducendi atqꝫ excitandi eſſent. Quidam ob timorem hac frequẽtatione abſtinent, vide obſecro qualẽ: ne ſalutem dicere ſuis cupiditatibus, ne ad mores vitamq́ꝫ continentem ſe dare cogantur. Hoccine Chriſtianum? hoccine Catholicum? P. Nec hominis quidem, vt homo eſt, nolle ſcilicet probiorem fieri; ſed ad voluptates inhoneſtas tanquam ad Sirenum ſcopulos adhæreſcere, ac lutum reputare

putare roſas. C. Ipſa magnitudo multitudóque commodorum,quæ cum hiſce dapibus tribuuntùr,excitare torpentes animos ad crebriorem earundem vſum deberet. Hinc enim ceu leones quidam contra diabolum fortes ac robùſti efficimur. Cum aduerſis fortunæ flatibus iactamur, hinc ſolatium: cum rebus turbidis quocunque in genere vexamur fatigamùrq́; , hinc tolerantiam acquirimus, ne infracti abiectíque concidamus. Quis verò explicet illam intelligentiæ lucem, illud fidei, ſpei, charitatis virtutumq́; omnium incrementum, illum fœlicisſimum animi ſtatum, quem iteratus identidem iſte paſtus nobis conciliat? Quod ſi indignè manducanti graue ſupplicium eſt conſtitutum, æquum eſt viciſsim, dignè manducanti ſingulare præmium eſſe decretum, vitam in cœlo perennem. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam: & ego reſuſcitabo eum in nouiſsimo die. Non te latet, cuius ex ore hæc profecta ſit oratio. P. O incomprehenſam bonitatem, ô nimis effuſum amorem domini mei erga me ſeruulum ſuum longè viliſsimum. Quis paſtorum aliquando ouibus ſanguinem ſuum bibendum dare cogitauit? etiam multę matres cū pepererunt, proles ſuas non ipſæ de fontibus lactis ſui, quibus ad nutrimenta naſcentis turgentibus mammis fœcundum pectus exuberat, vt Lactantius ait, alere atq; educare dignantur, ſed aliis mulieribus eas nutriendas committūt. Aſt Dei filius, ſuo ipſius corpore, ſuo pretioſo ſanguine omnes nos, & vnumquemq;

dem, quàm Romanum aliquem Cęſaris aut Pompeij. Eſt verò mihi in more carmina in S. Euchariſtiam condere in annos ſingulos. Seruo collecta in ſcrinio, vt cum perpoliuero, publicum accipiant, quod me amici hortantur. P. Idem ego te hortor; quæſo ne premas diutius: nam tua vena, quod comperi, probatur multis. Dic porrò, cum toties ſcribas, vnúmne ſemper argumentum perſequeris? C. Minimè. P. Quæ igitur? C. Aliquando egi de præſentia Chriſti; aliâs de præparatione ad ſumendam ſynaxin; aliâs de dignitate huius Sacramenti; aliquando de fructibus ſacræ communionis. Etiam ad eandem quàm crebérrimè repetendam cohortatus ſum. Exaggeraui item Dei munificentiam, & precatiunculas quaſdam ſapphicis iambicisq́ dimetris contexui. Recens PANGE LINGVA hymnum paraphraſticῶs explicaui hexametris. Quid multis moror? pelagus eſt, tantum ſuppeditat materię. P. Et quia pelagus, maturè littus legamus, ne in altum longius prouecti, redire in portum non queamus. Crede autem mihi, mi Candide, ex tua oratione haud vulgarem voluptatem me percepiſſe. C. Et ego ex tua nihilo minorem, mi Patrici: id tibi perſuadeas velim.

ANNOTATIONES.

SACRATISSIMA EVCHARISTIA) *In ſcriptis antiquorum Patrum videbis Euchariſtiam*

panem

panem Dei, panem cœleſtem, myſterium, corpus Chriſti appellatam. Et quoniam Saluator apud Ioannem dixit: Panis quem ego dabo caro mea eſt, pro ſæculi vita, Punici Chriſtiani ſacramentum corporis Chriſti nihil aliud quàm vitam vocabant. Teſtis Auguſtinus contra Pelag. LINGVAS PSITTACORVM) *Heliogabali hic luxus fuit, de quo Lampridius, & Crinit. lib. 23. cap. 2. Nunquam minus centum ſeſtertiis cœnauit, hoc eſt, triginta argenti libris. Nonnunquam tribus millibus cœnatus eſt, ſexcentorum ſtruthionum capita multis in cœnis exhibuit, vt conuiuæ cerebellis illorum veſcerentur. Plura Iouian. Pontan. lib. de Conniuentia, ſtatim à principio.* PERDICVM LINGVAS) *De perdice multi hoc literis prodiderunt: eam alterius perdicis oua ſolere furari, eáq; excludere. Pullos autem veram matrem poſtea conſectari, mentitā deſerere. Tales ſunt, qui metunt quod non ſeminauerunt: tollunt quod non poſuerunt.* LVXVRIOSISSIME PROFVNDEBANT) *Vis exempla? en accipe. Septuagies quinquies centenis millibus dalerorum funerauit Hephæſtionem Alexander. Plutarch. in Alexandro. Septuaginta millibus dalerorum Medeam & Aiacem Timomachi emit Cæſar. Plin. lib. 7. cap. 38. Idem centum octoginta ſeptem millibus dalerorum, & quingentis Seruiliæ margaritam mercatus eſt. Quingenties quinquagies centena aureorum millia prodiga Neronis donatione effuſum eſt. Tacitus lib. 17.* NAM TVA VENA) *Ingenium faciendo carmini*

mini idoneum, ingenium poëticum, vim ingenÿ natiuam ad verſus condendos ſic ſæpe appellamus, à metallis aut fontibus ducta metaphora, quorum aliæ venæ latiores, aliæ anguſtiores ſunt. Hinc arida, pauper, diues, beata, fœlix, benigna vena. Horat. ode 18. lib. 2. & epiſt. ad Piſones.

PROGYMNASMA NONAGESIMVMSEXTVM.

Ieiunia.

PASCHASIVS, ALPHONSVS, HONORATVS.

PASCHASIVS. Vtrum παρὰ τὸ πάσχειν, id eſt, à patiendo, an à Paſcha (quæ vox à phaſe hebrę̨o deflexa proditur, tranſitumq́; declarat, & tempus inſuper maximis, gaudióque effertiſsimis opimitatibus refertiſsimum, ac prorſus aureum, quo memoria triumphi illius omnium poſt homines natos iuſtiſsimi ſplendidiſsimíque per orbem vniuerſum recolitur ac celebratur) ab vtro, inquã, horum nomen mihi dictum ſit, haud pro certo affirmem. Hoc verò cineralium ieiuniorum tempore, quo inedia maciéque ſuprema confectus ſum propemodum, vti videtis, volo me à πάσχειν appellatum Paſchaſium: quandoquidem

quidem multa & dira patior: quo pacto res nomini ſuo, & nomen rei quadrabit. Simul eſuriales iſtæ feriæ præterierint, (quæ vtinam poſtremùm iam veniſſent) tũ verò à paſchalibus menſis Paſchaſium, ſeu Paſchalem me cognominabitis. A. Huic, Honorate, haleca, ſalſamenta, fabæ, piſa, lupini, cicera, lentes, polenta, ficus aridæ, iuglandes, ptiſanæ, aliáque huiuſmodi ſacrorum dierum propria obſonia vileſcere iam ac ſordere cœperunt. Animus eius in bobus ac vitulis totus eſt. H. Fortiter reliquum Quadrageſimæ perferamus Paſchaſi, & de ieiunationibus omnia præclara ſentiamus. P. Septuaginta propemodum dies per annum cibo nos priuare cogimur: an hoc parum eſt? A. Qui tam ad vnguem cognouiſti hunc numerum? P. Faſti hoc loquuntur, faſtos conſulite, faſtis credo. H. Reuera putaui dies eſſe pauciores: & tibi quoque tam multi non videbuntur, ſi non repugnanter feceris, vt ventri bellum indicas, & cœna careas. P. Philippum & Iacobum Apoſtolos laudo, qui ſua cauſſa inedia macerari neminem voluerunt. H. Per dies plus octoginta ieiuniis corpus affligunt monachi. P. Per me quidem cuiuis ieiunare licet bis quotidie, ſi velit; & vt neſcio quod genus animantis aëre pro cibo vti. Quam rugiat venter meus euidenter experior. A. Scin' tu qui ieiunia oderint? ſi forte ad caſtra ipſorum deficere cogitares. P. Quæ tu mihi caſtra? non obtuſa adeo geſtamus pectora, non ita deliramus, vt hominum qui de conſilio, de ratione, de mente exierunt

exierunt perfidioſiſsimum inſtitutum approbemus.

Et mihi vel tellus optem prius ima dehiſcat,
Aut pater omnipotẽs adigat me fulmine ad vmbras.

H. Quid ergo ſic loqueris, vt ſi cupias vltra Tanaim relegari ieiunia? P. Obſecro, cur iſta ex te audio? equidem certè cupio & volo ieiunare, nec imperium Eccleſiæ aſpernor: ſed in me tamen famem dominari, & eſurie me prope enectum quin dicam, hoc ſaltem non vetabitis. A. Amplificatione tanta nihil eſt opus, nec dum adipem funditus perdidiſti. P. Si poteſtas fieret, inſpectantibus vobis ederem ac biberem, & ambabus expletis malis vorarem, quo me à famis tyrannide abſoluerem. Quid autem nouum ac ſingulare, nos, qui animo & corpore conſtamus, de corpore alendo ſollicitos eſſe? atqui ego nondum tertium & viceſimum ætatis annum attingo: non multum abiit temporis, cum inter cœnitantes ſtipendia facere deſij, in hac malitia tyro ſum. A. Turpe tamen exiſtimo, tam ſanctũ & virtutis plenum opus neceſsitate potius compulſum, quàm voluntate libera inductum exequi. P. Quî poſſim alacriter? H. Etſi tu ipſe id non ignoras, dicam tamen. P. Audio. H. Si dignitatem vtilitatemq; ieiunij perpenderis. P. Differite pauca de vtróque, ſi lubet. Quamuis enim quædam me non fugiant, nihilominus ex ore veſtro eadem, & alia accipere delectabit. Nec aliquando hoc officium apud me intermoriturum putetis. A. Ieiu-

nauit Chriſtus Dei Filius,cuius actiones omnes in maxima laude ponuntur.Ieiunarunt Apoſtoli,de quibus Propheta; conſtitues eos principes ſuper omnem terram. Quid deinde in amborum teſtamentorum libris toties prædicatur, quoties ieiunium? Quid autem virtute pulchrius, quid ſpecioſius? P. Perbene, & quàm breuiſsimè de dignitate diſſeruiſti. Reſtat vt de vtilitatibus aliquid afferatur. A. Hæ ſunt tuæ partes Honorate. H. Poteras hoc quoque largiri Paſchaſio.Verùm ne videar laborem defugere,& quia non tibi tantummodo Paſchaſi,ſed nobis quoque iſta dicuntur, incipiam. Vix quiſquam verbis expreſſerit, ad coercendas animi cupiditates, comprimendáque flagitia quantoperè conducat ieiunium. Qui ſitit & eſurit,haud facile libidinibus ſe in ſeruitutem tradet. Aberit ab eo ſomnolentia, aberit ſenſuum & mentis hebetudo, quam cibus & potio frequens atque nimia creant. Difficile autem eſt in vtroque ſeruare modum. Cumq; propter neceſsitatem, ad vires ſcilicet reficiendas, ad cibum potionémque capiendam accedamus, ſæpe propter ſolam voluptatem vltra fines naturę progredimur, & propter eandem ægrè deſiſtimus. Res magnæ à Deo per ieiunium ſunt impetratæ, cui merces ampla eſt conſtituta. Plura poſſem,aſt intelligenti pauca ſufficiunt. P. Veſtræ humanitati ago gratias, quæ & me ad perferendam inediam animoſiorem effecit.

ANNO-

ANNOTATIONES.

QVÆ VOX A PHASE) *Exiſtimarunt quidam, & in his Nazianzenus, græcam eſſe vocem paſcha, deriuatam παρὰ τὸ πάσχειν à patiendo, ſignificaréque tempus quo mortem paſſus eſt Seruator. Sed falluntur, eſt enim origine hebræum, à tranſeundo, ſignificans ſcilicet feſtum, quo Iudæi memoriam eius diei celebrabant, quo duce Moyſe mare rubrum tranſierunt. Seu in memoriam noctis illius, qua angelus Domini in Ægyptiorum familiis primigenia quæque peremerat, præteritis Iudæorum domiciliis. Hinc ſibi Chriſtiani ad ſuum myſterium declarandum eandem vocem vſurpandam cenſuerunt.* NESCIO QVOD GENVS ANIMANTIS) *Chamæleon, de quo Plin. lib. 8. cap. 33. in hunc modum. Ipſe celſus, hianti ſemper ore, ſolus animalium nec cibo nec potu alitur, nec alio quàm aëris alimento: & coloris natura mutabilior: mutat namque eum ſubinde, & oculis, & cauda, & toto corpore, redditq́ semper quemcunque proximè attingit, præter rubrum candidumq́. Lege prouerb. Chamæleonte mutabilior.*

PROGYMNASMA NONAGESIMVMSEPTIMVM.

Religioſi, ſeu vita monaſtica.

INNOCENTIVS, RICHARDVS.

INNOCENTIVS. Improuiſum planè, & inexſpectatum, ac lugubre tibi accidet, mi Richarde, de quo te celare diutius non fert tua in me incredibilis beneuolentia, meáque item in te ſingularis. R. Percellunt me iſtæ voces, & timore cumulant mentem meam. Quid rei eſt? I. Cum primùm craſtina cœlo Puniceis inuecta rotis aurora rubebit, ſeparabimur. R. Quid? ſeparabimur? I. Ita inquam, amplius ſimul non viuemus, nec tu me poſthac viſurus. R. O verbum omni felle amarius. Tanquam ſpiculo transfixiſti cor meum. Nos ſeiungemur? Irrupta copula noſtra dirumpetur? quomodo tandem mi Innocenti? I. Quia diſcedam abs te. R. Eſto, ſed reuerſurus. I. Neutiquam. R. Quo diſcedes? I. Extra mundum. R. Aufer iocum. In illud infinitum inane fortaſsis, quod philoſophos quoſdam extra cœlum ſomniaſſe didici à philoſophis. I. Non abibo extra hunc mundum, qui ex elementis & orbibus cœleſtibus coagmentatus eſt: in quo ſunt beati, & homines, & animantes. R. Eſtné alius mundus? niſi forte Democriti mundos intelligis, quem Firmianus Lactantius Epicuro ſtultitiæ hæredi-

hæreditatem reliquiſſe ſcribit. Ille quidem ex indiuiduorum, & inſecabilium corpuſculorum, quos atomos Græci vocant, fortuita concurſione mundos infinitos fabricabatur. I. Extra illum mundum, quo de Saluator ſæpe, & Apoſtoli, & ſancti viri. Mundus gaudebit, vos autem contriſtabimini. Et mundus eum non cognouit. Filioli, nolite diligere mundum, nec ea quæ in mundo ſunt. Quid autem eſt aliud in mundo, quàm, vt idem ait, concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitę? R. Iam perſpicio quo abiturus ſis. In religioſorum aliquod domicilium te includere vis, & eorum inſtituta profiteri, aut fortaſsis etiam omninò capite raſo cucullum induere. I. Stat ſententia. R. Quam ob rem iſtuc? I. Roga Benedictum, Franciſcum, Dominicum, Ignatium. Interroga tot religioſorum millia, quare propinquos, amicos, omniaq́ vitæ huius blandimenta deſeruerint, deſpexerint, conculcarint. Nimirum vt pericula plurima & grauiſsima effugerent, & Chriſto, quem medullitus amabant, expeditius perfectiusq́ ſeruirent, cumulatioremq́ in cœlo fœlicitatem adipiſcerentur. Hic eſt theſaurus in agro abſconditus, quem qui inuenerit, vendat vniuerſa quæ habet, etiamſi regna habet, & emat illum. Crede mihi, Richarde, aut nulli aut religioſi viri guſtant & vident, quoniam ſuauis eſt dominus: cui adhærent, & cum eo ſpiritus vnus efficiuntur. Illi vitam ducunt macularum puriorem, quàm qui ſæculi fluctibus adhuc inuoluuntur, nec ad iſtum beatiſsimum & ſecuriſsimum

portum appulſi ſunt. Vbi inter tot tamq; manifeſtas peccandi occaſiones difficillimum eſt non fieri malum, quanto difficilius euadere inſigniter bonum? Si in delicta quandoque inciderint (quis enim non peccat?) ea ſunt leuia, & propter conſuetudinem rectè factorum citò ex iis ſeſe emergunt. Cumq; ipſorum ſtudium ſit meditari in lege domini die ac nocte, & libros ſacros ac pios lectitare perpetuò, peccandi vias, & inſidias diaboli non poſſunt ignorare. Itaq; ea cauent magis, nec ſe irretiri ab eo ſinunt. Cœleſtibus porro ſolatiis quoties putamus eos ſuauiſsimè perfrui? quæ omnibus corporum deliciis, & quibuſcunq; mundi voluptatibus infinitis partibus præſtant. Iam cum moriendum eſt, illis omnis mora longa videtur, dum, quem tamdiu totis medullis deſiderarunt, quem ipſorum animæ dies atq; noctes ſitierunt, egreſsi è luteis iſtis tabernaculis aſpiciant. Qualia verò præmia ipſos accipere exiſtimamus? quantis remunerandos gaudiis, qui ſeſe etiã conceſsis voluptatibus propter Chriſtum priuauerunt? qui Deo multis annis ſeruierunt cum omni humilitate, in ieiuniis multis, in precibus aſsiduis, in vigiliis plurimis in afflictionibus corporum. R. Cum ſoleres arcana tua mihi committere, mirari nequeo ſatis, cur hoc vnum tacueris. I. Sciebã tibi ſermonem atq; nuntium iſtum peracerbum fore, ideo tibi cruciatum parere nolui. R. Pars de corpore meo auelli videtur tuo diſceſſu. Nullum hominẽ æquè ardenti ſtudio, vt te, cõplexus ſum, Quin de annis meis ad tuos libenter addiderim, ſi poſ-

ſi poſsim, propter multas ingenij tui ſuauitates, & propter ſingulares tuas eximiasq́ue virtutes, quas nouo iſto, & omnibus laudibus efferendo vitæ genere exaggerabis atque concludes. Quid parentes? I. Etſi grauatè, quia vnicus, tamē obteſtationibus expugnati, Deo me conceſſerunt: ſperantes ſibi eundem ob hoc veluti holocauſtum beneuolum atque propitium fore. R. Quî poteris, mi chariſsime Innocenti, tolerare inediam, cilicia, flagella, peruigilationes nocturnas, & impetus diaboli? Quî poteris in teipſum tam durus ac ſeuerus exiſtere? tam acriter tibimet imperare, adoleſcens prognatus genere ſummo, ſummis diuitiis, corpore haud firmiſsimo? Nunquid non hæc tibi aliquem in pectus metum iniiciunt? I. Sequor conſilium ſapientis: acceſſurus ad ſeruitutem Dei, ſto in timore, & præparaui ac præparo animam meam ad tentationem. Spero etiam vehementer, Deum mihi ſuppetias laturum, perfecturumq́ue in me opus bonum quod cœpit, & cum tentatione facturum eſſe prouentum, vt poſsim ſuſtinere. Permultùm quoque addunt animi exempla tot millium, qui hac via cœlum petierunt, cum ad finem perſeueraſſent, nec virorum modo, ſed mulierum quoque. R. Haud aliter afficior, quàm ſi parentem ante oculos emori viderem. Vt angor? vt affligor deſiderio tui? heu heu, lacrymæ proſiliunt. I. Ne opplora. Si nihil aliud, dies leniet atque molliet ægritudinem tuam. Quin mecum Chriſto militatum vadis? R. Militatum? Ah, nimis alienus ſum ab hoc ſpiritu: iſtis ego flammis non-

dum caleſco, nedum vt ardeam. Præterea parentes mei tuis pietate multum cedunt. Si vel minimam ſignificationem darem vitæ iſtius amplectendæ, necem credo ſibiipſis afferrent. I. Deus tibi voluntatem eandem mecum largiri, & parentes tuos flectere atq; emollire poteſt. R. Poteſt. I. En libros meos tibi dono omnes, & hunc pugionem, iſtum enſem, hanc, qua curas meas ſolabar teſtudinem: cætera domum portanda curabis. R. Obruis me donis immerentem. Deus te in ſuam tutelam recipiat amantiſsime Innocenti. Ne fueris immemor mei in tuis precationibus. I. Ne iſtuc roges, faciam vt tui meminerim. R. Illa quę mandaſti curabuntur fideliter. I. Complectamur mutuùm. R. Vale & ſalue.

ANNOTATIONES.

IRRVPTA COPVLA) *Horat. lib. 1. ode 13.*

Felices ter & amplius
Quos irrupta tenet copula: nec malis
Diuulſus querimoniis
Suprema citius ſoluet amor die.

Quorum concordia animorumq; coniunctio ſola morte dirimetur. Sic autem irruptam copulam dixit, quomodo Homerus Iliad. 15. δεσμὸν ἄρρηκτον, *vinculum irruptum, indiſſolubile. Et eſt apud Ciceronem cum de amicitia loquitur, creber vſus verbi huius, vinculum.* MVNDOS INFINITOS) *Hoc cum audiſſet Alexander, ingemuit, quod deſperaret ſe illos*

ſub

ſub poteſtatem redacturum, qui necdum vnum perfectè domuiſſet. Tanta huic Regi innata erat imperij cupiditas. Eundem Democritum vocat Lactant. fabrum atomorum, aſſertorem voluptatis. De Epicuro autem. In quem vanitas omnis de Leucippi fonte profluxit. Leucippus enim magiſter fuit Democriti, & Epicurus huic perpauca adiecit, vt in 1. de finib. affirmat Cic. & eſt in phyſicis totus alienus. Item illa. Turpiſſimæ voluptatis aſſertor, voluptarius, delirus, quo ſano & vigente nullus æger ineptius delirauit. NVNTIVM ISTVM) *Nuntius non eum ſolum, qui nunciat, ſed rem quoq; quæ nũciatur ſignificat, vtroq; numero, quod plurimis ſcriptorum locis probari poteſt. Nuntium autem neutro genere adiectiuum eſt, etiam numero multitudinis. Vide quæ diſputantur à Lamb. in oden 10. lib. 1.* DE ANNIS MEIS AD TVOS) *Inter omnia loquendi genera, quibus veteres mirificam quandam vim amoris in aliquem ſui exprimebant, illud mihi excellere videtur, quo ſignificabant, cupere ſe, ſi quo modo id fieri poſſet, annos ſibi ad viuendum conſtitutos conferre ac contribuere cum eo quem diligerent. Hæc & plura Muret. cap. 1. lib. 9.*

PROGYMNASMA NONAGESIMVMOCTAVVM.

Templorum conſtructio, & ornatus.

IVSTVS, ALBERTVS, Ludimagiſtri.

IVSTVS. Euoluere ſuperioribus diebus aggreſſus eram illud, quo nullum Latio clarius extat opus, diuinam dico, omniumq́; gentium linguis celebratam Æneidem. Cum autem legendo primo libro ad locum perueniſſem, quo pater ille Romanæ poëſeos, & latinorum poëtarum Apollo, de Didone Carthaginenſium regina hunc in modum canit.

Hîc templum Iunoni ingens Sidonia Dido
Condebat, donis opulentum ac numine Diuæ:
Ærea cui gradibus ſurgebant limina, nexæq́;
Ære trabes, foribus cardo ſtridebat ahenis,

Egomet cōtinuò mecum: hem, iſti mortales idololatriæ teterrima caligine merſi, ſuperſtitionūq́; tenebris altiſsimis obſeſsi ac ſepulti, diis deabuſque ſuis commentitiis, ſeu dæmonibus potius, ſumptu & magnificentia incredibili, operoſa & immania templa exædificabant, vbi eoſdem ſtatis ſacris cærimoniiſq́; venerarentur: cur minus Chriſtianorum populus, alumnus veritatis, & beatæ

beatæ illius, ac magnæ ciuitatis hæres inſtitutus, vero vniq́; Deo ſuo templa paſsim condat, cum idipſi gratiſsimum eſſe ſacrorum voluminum teſtetur auctoritas, & nos idem doceat regum ſapientiſsimus Salomon, cuius templum cui non fando auditum eſt? A. Maiores noſtri, mortales religioſiſsimi, Principes item, Reges & Imperatores Catholici, vt multas paſsim ædes ſacras cõſtruxerunt quam ſplendidiſsimè, ornamentisq́; precioſiſsimis affatim locupletarunt? plenæ ſunt hiſtoriæ, plena exemplorum antiquitas: vt probationes in medium afferre nihil ſit aliud, quàm laborem capeſſere non neceſſarium. Ea noſtro hoc æuo calamitoſiſsimo plurimis in locis veſanus hæreticorum furor aut demolitus eſt, vt parietinæ tantum extent, aut ad profanos vſus accommodauit, ablatis donariis, anathematis, vaſis, veſtibus; ſtatuis aureis, argenteis, campanisq́; conflatis, ſacra pecunia decocta, aut in ærarium redacta, ſacerdotibus & monachis alicubi contrucidatis, virginibus Chriſto dicatis per ſacrilegam libidinem turpiſsimè, flagitioſiſsimeq́; contaminatis. I. Sunt iſta veriſsima quæ dicis. At quàm execrandum ac deteſtabile, ex illo argento in cõuiuiis luxurioſis vſq; ad ebrietatem & vomitum perpotari vinum, quo toties ſacratiſsimus Chriſti ſanguis exceptus eſt? ſubſterniq́; coctis quadrupedum, auium, piſciumq́; carnibus illas patinas, quib⁹ tam ſæpe cœleſtis immaculatusq́; ille agnus recubuit? A. Verēdum ſanè, ne iſtis templorum, monumentorumq́; prædonibus contingat aliquando,

quando,quod in libris Machabæorum Heliodoro contigiſſe proditum eſt,quem angeli duo Hieroſolymitanum templum diripientem, flagris ſęuiſsimè & largiſsimè cooperuerunt. I. Memor ſum,quo capite libri ſecundi id ſcriptum ſit. A. Interrogemus autem iſtos Dionyſios.Hymnos & Pſalmos dies noctesq́; cantare, victimas incruentas immolare,homines peccatorum noxis exſoluere , aqua ſalutis lauare infantes & catechumenos,concionari,reliquasq́; Eccleſiaſticas functiones obire,vbi commodius fieri iſta poſſunt,quàm in ſacris ædibus?Porrò ſi templum veluti aula eſt ſummi Regis, cur eius aulici miniſtriq́; ſacerdotes ſumptuosè exornati non incedant , dum ei quaſi in cœlo quodam terreſtri terreſtres angeli inſeruiunt,atq; in eius negotiis occupãtur? I. Cur vaſa auro grauia,gemmisq́; diſtincta non ſint?cur organa concentusq́; muſici non perſtrepant ? cur diebus feſtis tanquam Regis Reginæq́;,Mariæ inquam virginis ac Dei matris , humaniq́; generis deprecatricis in conſpectum collocutionémque venturi , cultum nitidiorem Catholici non ſumant?cur non veſtes , pecuniam , aurum, argentum , aliaq́; ad templi vſus liberaliſsimè donent, quę quidem illis eorumq́; nepotibus honori ſempiterno,& apud Deum,qui ea prius ipſis donauit, & cuius eſt orbis terræ, & plenitudo eius , magno merito ſint? Cur demum pulcherrima ornatiſsimaq́; ſacella non condant, quibus & ſuam pietatem , & erga Deum diuosq́; beneficam voluntatem declarent? A. Domos quidam ſuas ædificant magno,

magno, Dei domum malè materiatam ac ruinoſam eſſe patienter ſuſtinent. Cæterùm ipſi viderint: nos pueros doceamus, cum portas templorum prætereunt, quoniam Dei domus eſt, & ibi in ſacroſancta Euchariſtia Deus ipſemet habitat, cœleſtiumq́ cineres atq; oſſa ibidem aſſeruantur, vt caput reuerenter aperiant. Si per ea forte tranſierint, aut ſi in ea ſacrorum cauſſa intrauerint, verſus Euchariſtiam genua primùm flectāt, eamque breui quadam prece venerentur. Spatia in iis facere velut in porticibus, nemini prorſus cōcedamus. I. Sanè quidem hoc meis frequenter cantito.

ANNOTATIONES.

LINGVIS CELEBRATAM ÆNEIDEM) *Ad commendationem huius operis ea omnia pertinent, quæ de poëtæ laudibus dicta & ſcripta ſunt ab Imperatoribus, Philoſophis, Hiſtoricis, Poëtis, Grammaticis, doctiſſimisq́ viris. Ego in præſens de eius præſtantia ex eiuſdem Catullianis manibus perquam feſtiuum carmen adſcribam.*

Dulcis Virgilius, Latina Siren,
Duplex Mæonides, triplex Apollo,
Vnus omnia, quæ ambiunt poetæ.
O cygne, ô philomela, Ver Latinum,
Mel merum Latij, Latinæ Athenæ.
O monſtrum vitio carens. Quid ergo?
O cælum ſine nube, lux ſerena.
O pontum ſine fluctibus profundum.

Men

Men' tecum trahis incitamq́ mentem?
Ignoto attonitum rapis furore?
O ſi in te penitus migro, meiq́
Tuis, neſcius, inſeror medullis:
Cur abs te doleam me abeſſe tantum,
Quantum fruſtra alij prope eſſe credant?

Addamus & hoc Matthæi Toſcani haud inuenuſtum & ingenioſum tetraſtichon.

Virgilium cælo Phœbus demiſit, vt eſſet
Mæoniam poſſet qui ſuperare tubam.
Se vinci vt ſenſit, tunc æmulus ipſe canorum
Ante diem ſtygio merſit in amne caput.

DIONYSIOS ISTOS) De ſacrilegiis Dionyſij huius, quem hæretici ſtudioſè imitantur cum ſimilibus facetè dictis, & in cuius imagine ipſi quodammodo cernuntur, hæc ſunt apud Cic. lib. 3. de nat. deor. Cum fanum Proſerpinæ Locris expilauiſſet, nauigabat Syracuſas: isq́ cum ſecundiſſimè curſum teneret; *Videtiſne, inquit, amici, quàm bona à diis immortalibus nauigatio ſacrilegis detur?* Et paucis interiectis. *Qui cum ad Peloponneſum claſſem appuliſſet, & in fanum veniſſet Iouis Olimpij, aureum ei detraxit amiculum, grandi pondere, quo Iouem ornarat ex manubiis Carthaginenſium tyrannus Gelo. Atque in eo etiam cauillatus eſt, æſtate graue eſſe aureum amiculum, hyeme frigidum: eiq́ laneum pallium iniecit, cum id eſſe aptum ad omne anni tempus diceret. Idemq́ Æſculapij Epidauri barbam auream demi iuſſit. Neq́ enim conuenire, barbatum eſſe filium, cum in omnibus fanis pater imberbis eſſet. Iam*

mensas

menſas argenteas de omnibus delubris iuſsit auferri: in quibus quod more veteris Græciæ inſcriptum eſſet, BONORVM DEORVM) *Vti ſe eorũ bonitate velle dicebat. Idem victoriolas aureas, et pateras, coronasq́ue, quæ ſimulacrorum porrectis manibus ſuſtinebantur, ſine dubitatione tollebat: eaq́ue ſe accipere, non auferre, dicebat. Eſſe enim ſtultitiam, à quibus bona precaremur, ab iis porrigentibus & dantibus nolle ſumere. Ecquid tibi præluſiſſe noſtris ſacrilegis videtur Dionyſius? De illa inſcriptione,* BONORVM DEORVM) *lege quæ ſcripſit Victor. lib. 1. cap. 1. Et de hoc ſacrilego eadem Arnobius lib. 5. Ælian. lib. 1. cap. 20.*

PROGYMNASMA NONAGESIMVMNONVM.

Indulgentiæ, bona opera, Chriſti Vicarius, cultus & imploratio Sanctorum, & alia demum.

CATECHISTES, CATECHVMENVS.

CATECHISTES. Reſpondebis mihi interroganti de nonnullis capitibus fidei Catholicæ, vt quantum tu me audiendo profeceris,

ris,& quid hæreticis in te inuadentibus dicturus contra ſis,intelligere queam. CATECHVM. Quæcunq; vis:nam ad interrogata me haud imparatum fore confido. CATECH. Quid vocamus Purgatorium? CATECHVM. Locum & regionem apud inferos,in quo elapſi è corporibus humanis piorum animi, antequam in beatorum ſedes transferantur, ſalutarium flammarum ignibus luſtrantur, & quaſi perpoliuntur. Ex diuinis ſiquidem Scripturis cognouimus, ſuppliciū peccatis ad tempus conſtitutum non ſimul cum reatu condonari. Cum autem nihil inquinatum cœlos ingredi poſsit, oportet huiuſcemodi labes, ſi in hac vita pœnis voluntariis, aut alia ratione deletæ & elutæ non fuerint, poſt obitum in Purgatorio deleri. Atque hinc,indulgentiarum ſiue cōdonationum vſus exiſtit. CATECH. Etiámne in mortuos indulgentiæ conferuntur? CATECHVM. Quid ni? CATECH. Quis eſt ille Eccleſię theſaurus, quem ſe aperire dicit Pont. Max. cum eſt indulgentias largiturus? CATECHVM. Meritorum ſeu perpeſsionum Chriſti,& Sanctorum; theſaurus infinitarum opum, quæ nunquam exhauriētur. CATECH. Cur hæretici tam atrociter oppugnant editis libris indulgentias? CATECHVM. Non intelligunt earum rationem, vt alia Eccleſiæ myſteria,ideo blaſphemant. Eſt enim verè conſentaneum diuinæ clementiæ, pati eum qui ſoluendo non eſt, ſibi per alium ſatisfacere. Eſt etiam iuſtitiæ,cum quod debetur, hoc vſque ad extremum quadrantem exigitur,tametſi à debitore

non

non ſoluatur. CATECH. Cum Chriſtus patri pro nobis omnia perſoluerit, quid bona opera? quorſum attinet nos vexare corpora et animos rebus tam iniucundis & aſperis? CATECHVM. Non ideo neceſſaria ſunt ad ſalutem, quia pretium quod ille perſoluit non ſit iuſtum ſatis, cum pro mille mundorum peccatis fuerit plus ſatis magnum atq; nimium etiam futurum; ſed quia ipſe Chriſtus nihilominus requirit à nobis, vt ſuæ voluntati obtēperemus, ſi liberationis huius participes cupiam⁹ eſſe. In carcere tetro & horrēdo clauſi ſunt trecēti homines. Princeps aut Rex aliquis pro omnibus liberandis numerat viginti aureorum millia: quantum videlicet non petebatur. Num idcirco in huius liberaliſsimi liberatoris poteſtate non erit captiuis præſcribere quid agāt, ſi de carcere exire velint? poteſt nihil iubere. Sed ſi iuſserit, non erit iniquus. Et profectò non tantum credentibus, ſed agentibus quoq; vltimo illo die dicturus eſt: Eſuriui & dediſtis mihi manducare, & quæ ſequuntur. CATECH. Cum Eccleſiæ caput ſit Chriſtus, quid nos Pontificē Romanum eiusdem caput facimus? CATECHVM. Primum, præcipuum & antiquiſsimum caput eſt Chriſtus: fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt Ieſus Chriſtus. Verum enim vero, cum eius corpus, quod eſt Eccleſia, ſit aſpectabile, cur non item caput habeat, quod videri audiriq; poſsit? Et cur ſub Chriſto capite aliud caput non ſit? An quia Rex vnus eſt, & omnium Dominus, ideo alij magiſtratus

geret dicere,hoc ſenſu; miſerere noſtri, vt Deum nobis tuis precibus placatum reddas. CATECH. Quis aquæ, cereorum, herbarum, aliarumq́; rerum benedictiones inſtituit? CATECHVM. Apoſtoli illarum precationum conſecrationumq́; primi auctores ſunt, vt diaboli poteſtas, quæ res creatas ſæpe inficit & corrumpit inde pellatur, & per illas ab aliis ſeu locis, ſeu hominibus rebusq́; cæteris excludatur. CATECH. Qui ſunt effectus aquæ luſtralis? CATECHVM. Multi ſane atque varij. Dæmones fugantur, peccata leuiora eius aſperſione remittuntur, cogitationes improbæ, imagines à diabolo in animis excitatæ euaneſcunt, mens à rebus perituris auocatur, ad preces caſtè faciendas comparatur, ſancti Spiritus fauor impetratur. CATECH. Cur accenduntur cerei, & primùm quidem ante ædiculam in qua Euchariſtia ſeruatur? CATECHVM. Quod Chriſtus eſt lux mundi: & quomodo cereus è cera, quam apes Veneris omnis expertes beſtiolæ fecerunt, lychno & igne conſtat, ſic Chriſtus è corpore, quod ex virginis Mariæ ſanguinibus concretũ eſt, anima & diuinitate tanquam lychno & igne conſtat. CATECH. Cur ante imagines & reliquias Sanctorum? CATECHVM. Vt ſignificemus eos ſplendoribus virtutum & ſanctitatis orbem illuſtraſſe, de diabolo triumphum egiſſe (nam triumphantes cũ facibus deducere mos erat) & in cœlis clariſsima ac ſempiterna luce circumfundi. CATECH. Cur ad lectionem Euangelij? CATECHVM. Quoniã illud gentibus humanis quaſi lumen fuit

ad cognoſcendum Deum. CATECH. Cur in ſupplicationibus lumina præferũtur cum crucibus? CATECHVM. Vt nouerimus in hac militia Chriſtiana ſub vexillo crucis fidei lumen adhibendũ, & ſecundum eam viuendum. CATECH. Cur in funeribus? CATECHVM. Docemus mortuos tanquam inuictos milites triumphaſſe de hoſtibus, nosq́; ipſis perpetuam optare lucem. CATECH. Quas vtilitates præbet crucis forma? CATECHVM. Eſt Chriſtianorum oratio, qua cum ſe ſignant, Deum precantur, vti ſuum ipſis auxilium præſtare in omnibus actionibus velit. Eſt oblatio qua nos & noſtra omnia Deo offerimus. Valet item ad frangendos impetus dæmonis. Excitatur hoc ſigno ſpes noſtra & fiducia in Deum de obtinenda peccatorum remiſsione aliisq́; bonis: charitas etiam erga Chriſtum, qui pro nobis in cruce vitam reliquit, & eius imitandi deſiderium. CATECH. Quis auctor fuit religioſarum & votiuarum peregrinationum ad reliquias & ſepulchra Sanctorum? CATECHVM. Deus, qui nunc ibi, nunc alibi, nunc iſto, nunc illo loco ad monumenta cineresq́; beatorum, ſeu ad templa eorum magna & inſolita opera edidit, & hominibus dona varia eximiaq́; impertiuit. Vnde pij commoti ſunt ad eiuſmodi locos religioſè viſendos, ibiq́; ad Deo gratias pro innumeris in genus humanum beneficiis agendas, & ad opem impetrãdam, qualem cæteris ibi præſtitam accepiſſent. CATECH. In promptu te habere quod reſpondeas animaduerto, ſi rogeris vel in ſingulis, quæ

Inſtitu-

Iuſtitutionibus primis Catholicæ fidei continentur. CATECHVM. Operam quidem dedi vt haberem.

ANNOTATIONES.

EX tanto numero rerum ab hæreticis in controuerſiam vocatarum pauciſsimas ſelegimus, quas pinguiore Minerua & breuiter explicaremus, eo fine et conſilio, quod in præfat. ad lectorem indicauimus: ſimul etiam, vt aliquid electorum verborum, locutionumq́ nitidiorum iuuentuti in hoc genere ſuppeditaremus. Optamus tamen multò magis eam res tenere ipſas quibuſcunque tandem modis loquendi efferant, quam illis ignoratis noſſe quo pacto vel latiniſsimè vnumquodq́ exprimatur. Non enim ſunt res propter verba, ſed verba propter res excogitatæ. Nec ideo parum quis Chriſtianus erit ſi barbarè loquatur: at parum certè Chriſtianus ſit oportet, qui Catechiſmum, hoc eſt, præcipua religionis Chriſtianæ capita non didicerit. Nec verò nobis quidquam ignominioſius poteſt accidere, quàm cum aduerſarij in ſua perfidia & impietate tuenda tam ſint prompti atq; diſerti, nos balbutiamus, ac pæne obmuteſcamus in congreſsibus, & diſputationibus improuiſo interdum exiſtentibus. Sed hæc parentibus & Magiſtris relinquamus.

PROGYMNASMA CENTESIMVM.

Veneratio, & laudes Dei matris.

MELCHIOR, FRANCISCVS, BARTHOLOMAEVS, GASPAR.

MELCHIOR. Mariæ virginis patronæ ac dominæ noſtræ, immò enimvero totius humani generis aduocatæ dignitatẽ prædicemus nos, qui in eius tutela ſumus, & Sodalitati nomen dedimus. F. Num ſanctis Patribus hac in re diſertiores ſumus? quorum pleni ſunt libri Mariæ prædicationibus. Et cum multa ſępe legerim, quę ad eam commendandam pertinerent, nunc vnius tantum loci mentionem faciam, qui eſt apud D. Ambroſium, & hoc modo quaſi meã ſymbolam ad hanc cœnam contulero. M. Accipiemus libenter quod dabis. F. Quid nobilius, inquit, Dei matre? quid ſplendidius ea, quã ſplendor elegit? quid caſtius ea, quę corpus ſine corporis cõtagione generauit? B. Quoniam vnica ſentẽtia, eaq́; aliena contẽtus es, peto abs te Melchior, vt eandem mihi facultatem aliena recitandi concedas, quibus ego profectò meliora inuenire nequeo: & exiſtimo Virgini gratum accidere, ſi vel nõ noſtris verbis dictisq́;, noſtro tamen ex affectu & pietate concelebretur. Nam ſic quoq́; eius filium quotidie laudamus, dum in precibus ſanctorum

ctorum hominum pſalmos, hymnos & poſtulata vſurpamus. M. Affer quam lubet, & vnde lubet, promptè auſcultamus. B. Quid nos tantilli, ait Hieronymus, in eius laudibus referamus, cum etiamſi omnium noſtrûm membra verterentur in linguas, eã laudare ſufficeret nullus. Altior enim cœlo eſt, de qua loqui nitimur: abyſſo ꝓfundior, cui laudes dicere conamur. G. Pauca quidem, ſed nihil potuit ἐνεργικώτερον. Etſi verò aliud ſtatueram, tamen ne à veſtigiis horum duorum diſcedam, proferam ego ad eundem modum, quod apud Chryſoſtomũ legiſſe me recordor. M. Hoc prius, poſterius quæ ſtatueras dicere, dices omnino: nam te alioqui non dimittemus. G. Atqui à vobis par officium requirã. F. De nobis pone curam, nihil promiſimus: ſi qd dederimus, vltro dederimus. G. Spero nullũ veſtrûm fore mutũ. Ergo Chryſoſtomi verba hæc ſunt. Magnum reuera miraculum fuit beata ſemper virgo Maria. Quidnam illa maius aut illuſtrius vllo vnquã tempore inuentum eſt, ſeu aliquando inueniri poterit? Hęc ſola cœlum & terram amplitudine ſuperauit. Quidnã illa ſanctius? non Prophetæ, non Apoſtoli, non Martyres, non Patriarchę, non Angeli, non Throni, non Dominationes, non Seraphin, non Cherubin, non deniq; aliud quippiã inter creatas res viſibiles, aut inuiſibiles maius aut excellẽtius inueniri poteſt. Et nonnullis interiectis, audite quomodo eã veneretur, quomodo ſalutet, quomodo roget. Aue igitur mater, cœlũ, puella, virgo, thronus, Eccleſię noſtrę decus, gloria & firmamẽ-

tum. Aſsiduò pro nobis precare Ieſum filium tuum,& Dñm noſtrum,vt per te miſericordiam inuenire in die iudicij, & quæ repoſita ſunt iis,qui diligunt Deum bona cõſequi poſsimus. M. Os aureũ,verba aurea. Quia porrò vobis ita viſum eſt, ordiri colloquium hoc à grauiſsimorũ ſanctiſsimorumq; Patrum vocibus, patiemini me quoq;, quãuis huius ſermonis ducẽ aliquid è Cyrillo Alexandrino Epiſcopo libare. F. Si vel totã homiliã adducas,non graue nobis acciderit auſcultare. M. Non lõgum faciam,vt Gaſparem audire quãprimum poſsim. G. Sic dicam,vt tibi maiores dicendi partes relinquam. B. Quomodocunq; rem partiti fueritis,& ſiue tu Gaſpar, ſiue tu Melchior plura diſſerueris, ego & Franciſcus hunc totum diem in audiendo libenter ponemus. Sed quæ eſt illa gnome? M. Die quodam ipſi feſto,cum ad populum concionaretur: Laus & gloria ſit tibi ſancta Trinitas, quod omnes nos ad hanc celebritatem cõuocaris. Sit etiam tibi ſancta Dei mater laus: tu enim es pretioſa margarita orbis terrarũ,tu lucerna inextincti luminis, corona virginitatis,ſceptrum orthodoxæ fidei, templũ indiſſolubile,continens eum,qui nuſquam contineri poteſt,mater & virgo. Tu benedicta inter mulieres,eius parens,qui venit in nomine Dñi. G. Præclarè Cyrillus,& magnificè vt cæteri. M. Dic tu iã Gaſpar quæ cogitaras. G. Extra dolum, partem orationis meæ, quã ad ſtudioſos adoleſcentes dixi de Deipara ab hinc triennium volebã pronuntiare. Etenim quia non longa,necdũ oblitus ſum.

F. Age.

F. Age. G. Laudabam Annam & Simeonem, de quibus D. Lucas, eos cum portaretur in templum Ieſus infantulus, occurriſſe. Quos item credibile, ambos eundem non aſpexiſſe modo, ſed complexos etiam, & oſculatos eſſe. De hinc addebam hęc. Beatos oculos pronuntiare non dubito, qui rem tantam, & omnibus inauditam ſæculis contemplati ſunt. Beatas manus quæ tractauerunt, beata labia, quæ illam pulcherrimam, ſuauiſsimam ac cœleſtem faciem oſculata ſunt. Beatas aures, quæ poſtmodum loquentem in corpore diuinam ſapientiam audierunt. Hęc cum ita ſint, quanto fœliciorem ac beatiorem ipſam Dei noſtri genitricem ſtatuemus, quæ non ſemel duntaxat aſpexit hoc ingens cœli terræq; miraculum, ſed quàm ſępiſsime, non tantum contrectauit, verùm etiam educauit, nec educauit modo, ſed etiam de ſuo puriſsimo ſanguine formatũ vtero geſtauit, gremio confouit, vlnis circumtulit. O rem admiratione omni ſuperiorẽ. Quem cœlorum immenſa capacitas, terrarum ingens amplitudo, mundus vniuerſus non capit, eum puellaris vteri anguſtiæ totum cœperunt. B. Diſertus orator fuiſti quantum apparet. G. Quis poteſt obſecro eſſe indiſertus cum de hac Virgine loquendum eſt? cuius paruo lacte paſtus eſt, per quem nec ales eſurit, vt canit Seduli⁹. Lacta ô beata puella, lacta eum quẽ cum Deo patre communem habes filium. Nec totus de illo, nec totus de te eſt; quantus quantus tamen eſt, totus Dei eſt, totus tuus eſt. Tibi ſalutis noſtræ pretium eſt creditum. In manibus tuis eſt

libertas, vita, ſalus noſtra. In ſinu tuo, inter vbera tua commoratur agnus ſine macula, quem pro nobis immolari oportebit. Te velut arborem fertiliſsimam cum ſumma animorum iucunditate aſpicimus, velut irriguum atque amœnum, & omni florum diuerſitate conſitum hortulum intuemur, velut limpidiſsimum fontem contemplamur. Fructum protuliſti, quem qui comederit, non morietur. Summiſiſti florem, cuius odor venenatas fugat beſtias. Fudiſti aquam, quam qui biberit, nunquam ſitiet. F. Tua facundia rumpit meum ſilentium. In quo ordine collocabimus hanc Dei parentem? cum coniugibus? incorrupta eſt. Cum virginibus? mater eſt. Cum viduis? virum habet. Cum hominibus vniuerſis? nobilior, ſanctior, excelſior eſt omnibus. Cum angelis? hos ipſos puritate vincit, dignitate antecellit. B. Nec ego tacebo. Sedet ad dexteram filij mater in cœlis, vt Salomonis illa in terris. Hanc ſpirituum beatorum myriades, vt conditoris ſui parentem laudibus eximiè venerantur. Quà porriguntur ſpatia orbis Chriſtiani, carmina illi perpetuò concinuntur, honoresq́ue maximi tribuuntur. Et quidem meritò, quando nunquam fuit, nunquam erit, cui ſecundum Deum plus debeamus. Per illam (vt complectar vno verbo) duriſsimæ ſeruitutis iugum à ceruicibus noſtris depulſum, & interclusus in cœlum aditus nobis eſt apertus. Eua vulnerauit, Maria ſanauit. Illa mortem inuexit, iſta vitam apportauit. G. Noli à nobis poſtulare plura Melchior, cum poſsis vnus differere in no-

ctem ſi velis, de hoc argumento, in quo te ſcimus & ſæpe verſatum, & verſari quàm cupidiſsimè. M. Si quid præſto, quod Mariæ non diſpliceat, & lectores atq; auditores meos nullo tædio afficiat, gaudeo. Epicurus cum docuiſſet deos neq; bene meritis capi, neq; gratia flecti, neq; iraſci, neq; res mortalium curare, nihil deniq; neq; habere ipſos negotij, neque aliis exhibere, propter præſtantem nihilominus eorum excellentemq; naturam venerandos ab hominibus, & colendos iudicauit: habet enim venerationem iuſtam, quidquid excellit, vt inquit M. Tullius. Quid iam ſecundum Deum inter res omnes ab eo conditas nobilius, quid præſtantius hac virgine animo concipi poteſt? quomodo ſol iſte vniuerſum orbem fulgore ſuo illuſtrat: ſuæq; lucis aſpectu mortales mirificè exhilarat? ſic mulier hæc amicta ſole, & veriſsimi ſolis mater orbi Chriſtiano diem ac lucem gratiſſimam infert. Atq; vt in iſtum, qui ſupra nos voluitur globum, ſine offenſione aciei oculos intendere nequimus: ita neq; in hunc cœleſtem diuinumq; ſolem animi obtutum penitus defigere, ob incredibilem ſuæ lucis immenſamq; claritatem. Hæc eſt illud lignum vitæ, fructum afferens immortalitatis. Hæc domus, quam ſibi exciſis ſeptem columnis ſapientia ædificauit. Hæc tabernaculum Dei cum hominibus. Hæc ſtella matutina in medio nebulæ refulgens, lilium in medio ſpinarum, oliua ſpecioſa in campis, cinnamomum & balſamum fragrãtiſsimum. Illa tanquam vitis fructificauit ſuauitatem odoris, & flores eius

fructus

fructus honoris & honeſtatis, cuius memoria in generationem ſæculorum. Hæc omnia, & longè plura quæ omittere cogor in præſentia, nonne perſpicua illius excellentiæ ſunt argumenta? B. Sunt verò maximè perſpicua. M. Iuſtè igitur illam ſuſpicimus, & cum pietate colimus. Sed ob hoc etiam multò iuſtius, cum tot eius tamq; magna & ſingularia in genus humanum extent promerita. Verè illa ciuitas refugij, & clypeus omniũ in ſe ſperantium dicitur. Clamant vrbes, clamant prouinciæ, clamat omnis ordo, omnis ætas, clamant omnes pæne anguli orbis terrarum, & Mariæ pietatem, clementiam, beneficentiam extollunt. Quot miſeri, & incommoda fortuna vſi, per eam ſolatium, quot morbidi ſanitatem, quot periclitantes ſalutem, quot ſcelerati veniam, quot mortui vitam inuenerunt? Mira huius ſanctiſsimæ parentis in homines benignitas, inexplicabilis amor. Et quamuis ipſa gaudiis innumeris circumfluat, atque cum filio fœliciſsimè regnet, noſtri tamẽ veluti bona mater liberorum nunquam poteſt obliuiſci. Quo enim pacto ceſſet eſſe miſericors, quæ miſericordiam ipſam peperit? aut quî poſsit non amare, quos tantoperè amauit filius, vt eorum liberandorum cauſſa diriſsimis cruciatibus excarnificandum ſeſe occidendumq; obiiceret? Quoties inter Deum atq; nos ipſa ſeſe interpoſuit, & irato ſuis precibus quaſi telum de manibus extorſit? quoties bellum, incendia, cædes, direptiones, peſtilentias, annonæ difficultates, & ſimilia mala impendentia nobis filium deprecata auertit?

auertit? quoties pacem, rerumq́ omnium copiam impetrauit? Iure populus Catholicus eam vitam, dulcedinem & ſpem ſuam ſalutat. Iure ſe ipſi eiusq́ fidei committit. Iure eius opem & auxilium quibuſcunque preſſus incommodis implorat, & quantis maximis poteſt honoribus eam proſequitur. Quam nos vti hactenus, pro ratione inſtituti, ac legibus Sodalitatis noſtræ quàm caſtiſsimè, ac præcipuo quodam cultu veneremur, hæreticorumq́ maledicta, quibus eam lacerant nec flocci faciamus. F. Si in filium tantis debacchantur contumeliis, quomodo tandem parcerent matri? Sinamus eos implere numerum perfectæ inſaniæ, vt Lactantius de Leucippo venuſtè ſcripſit.

ANNOTATIONES.

QVoniam Dei matrem paucis pro inſtituti ratione ex S. Patribus laudauimus, & de penu noſtra etiam aliquid ad eandem amplius prædicandam contulimus, par videbatur, vt etiam è poëtis aliquid ad eius prædicationem decerperemus: nam illi quoque ſuum ipſi Helicônem, ſuasq́ Muſas, ſua plectra, lyras & barbita ſeruire voluerunt. Veruntamen quoniam liber aliôqui pæne nimiam eſt adeptus magnitudinem, & quia ipſa me copia inopem facit, nihil adiungam. Exiſtimaui autem faciendum, vt cum omnis hic labor noſter ad Dei gloriam propagandam ab initio ſuſceptus ſit, eius quoque

quoque celebrarem memoriam, perquam maximè ſemper Dei gloria creuit illuſtratáque fuit. Id autem hoc altero volumine, & quidem in extremo quàm opportuniſſimè fieri poſſe viſum eſt.

Quod hoc R. P. IACOBI PONTANI Progymnaſmatum latinitatis ſiue Dialogorum volumen ſecundum Chriſtianæ iuuentuti cum moribus, tum etiam optimis diſciplinis formandę accommodatiſſimum ſit, luce & publicatione digniſſimum eſſe iudicaui

PETRVS STEVARTIVS LEODIVS, *Profeſſor Theol. & Colleg. Theol. hoc tempore Decani Vicarius, &c.*

BIBLIOTECA ... ROMA

JACOBI PONTANI
DE SOCIETATE IESV
PROGYMNASMATVM LATINITATIS,
SIVE DIALOGORVM
VOLVMEN PRIMVM, CVM ANNOTATIONIBVS
DE REBVS LITERARIIS.

Editio ſecunda, emendatior & locupletior.



Cum Gratia & Priuilegio Caſ. Maieſt.

INGOLSTADII,
Ex Officina Typographica DAVIDIS SARTORII.
Anno M. D. LXXXIX.

6 · 4 · C · 11

GENEROSO ATQVE OMNIBVS REBVS ORNATISSIMO ADOLESCENTI, GEORGIO FVGGERO, IACOBI F. Baroni in Kirchberg, & VVeiſſenhorn, IACOBVS PONTANVS de Societate IESV

S. P. D.

QVod iam inueterata eademque laudabilis eruditorum conſuetudo me hortabatur, vt poſtea, quàm primo meorum progymnaſmatum dialogorumq; volumini ſummum faſtigium impoſuiſſem, deliberarem mecum, cuinam in aliquo dignitatis & excellentiæ gradu locato, idipſum inſcribere ac donare potiſſimùm oporteret, eam omnẽ deliberationem ab illuſtri adoleſcentia tua inciſam planè ac ſublatam gaudeo, vehementerq; lætor. Etenim adeo multa, minimeq; leuia rationum momenta,

 cur

BIBLIOTECA ... ROMA

cur ſub tuo nomine hoc vigiliarum mearum opuſculum, & hunc primum perquam mediocris ingenij mei partum in vulgus exire ſinerem, etiam nil tale volutanti occurrerunt, vt niſi ore ſim duriſſimo, animoque longè ingratiſsimo, ad alium præter te, quantumuis omni genere nobilitatis eminentiſſimum, deferre illum neutiquã poſſim. Nam ſi quis vnquam in ampliſſima familia natus, proba & præclara mentis indole auctus, domeſticis virtutum exemplis abundans, aliquo coniunctionis vinculo cum altero colligatus: poſtremò, ſi quis adhuc extitit, qui iure ſuo ab aliis multa exigeret, cuncta hæc in te vnum confluxerunt. Quanquam enim nondum permiſſa tibi liberius, ac tuo arbitratu viuendi poteſtate, apud nos beneficia ponere hactenus non potueris, tamẽ haud parum iam in nos tuæ voluntatis contuliſti, tuamq; erga collegium noſtrum propenſionem ſatis declarauiſti. Et meruerunt quàm optimè de nobis parentes tui, meruerunt aui tui, meruerunt ambæ, FVGGERO-

RVM

RVM nimirum ILSVNGORVMq́; domus, vnde tu paternam & maternam originem ducis. Quibus vniuerſis atque ſingulis cum pro amoris magnitudine, meritorum verò etiam multitudine pares agere gratias (quid enim dicam referre?) nequeamus, quis tandem eſt, qui non intelligat, eorum nos minoribus in omne conſequentis æui ſpatium teneri obſtrictos? Deinde in noſtram diſciplinam traditus es à patre, & traditus ex florentiſſima gente veſtra primus ante omnes, certè quidem in hac vrbe ac patria tua, magnumq́; Gymnaſio Societatis ornamentum addidiſti, quando inter condiſcipulos, quorum permulti nobiles ac patricij pueri, velut quoddam lumen præfulges. Iam qui neſcit, quàm ſancta inter Præceptores & diſcipulos, quàm coniuncta neceſſitudo intercedat, is ſe non plus cernere quàm pecudem fateatur neceſſe eſt. In parentum loco Magiſtri ſunt colendi, & qui ab iis erudiuntur, viciſſim in filiorum loco diligendi. At tu curæ noſtræ & inſtitutioni commendatus, non vnum

ſed multos patres inueniſti; ſiquidem nos omnes, quibus docendæ iuuentutis eſt mandata prouincia, ingenium tuum pręceptis vtiliſſimis & ſaluberrimis fingere percupimus, & tanquam filium certatim amamus atque in oculis ferimus; in ſpem certam ingredientes, te creſcentibus annis per ſemitam à maioribus tuis prius calcatam inceſſurum, in eorumq; mores & inſtituta abiturum, qui ſemper optimarum artium cognitionem cum maximis clariſſimisque virtutibus copulauerunt: ac proinde tantam ſibi poſteritatique ſuæ amplitudinem pepererunt, vt omnium pæne gentium oras nominis veſtri gloria famaque peragrauerit. Quid vtroque auo tuo ad opinionis celebritatem commendatius? aut quibus aliquando ciuibus fortunatior fuit hæc tam prædicata, vereque auguſta ciuitas? Paternus quidem, ANTONIVS FVGGERVS, cùm eſſet à potentiſſimis Principibus ad amiciſſimorum numerum adſcriptus, copiis omnibus circumflueret, nihilominus tanta moderatione, tanta modeſtia in

in illa ſua felicitate enituit, quanta etiam nunc hominũ ſermonibus crebrò vſurpatur. Quis eodem aut fuit, aut eſſe debuit, prudentia, liberalitate, iuſtitia, conſtantia, aut vllo demum genere laudis præſtantior? Maternus autem, GEORGIVS ILSVNGVS, Eques auratus, Sueuiæ Præfectus, & quatuor Imperatorum conſiliarius, quo ardore, qua animi excelſitate præſtitit in propugnando pro religione Catholica? Quanta eius apud Principes exiſtimatio & auctoritas? Quã magnas ille res, quanta cum prouidentia procurauit? quæ morum in ipſo integritas, quę humanarum rerum deſpicientia? In noſtram porrò Societatem quantam ille beneuolentiã nauauerit, quibus eam officiis coluerit, dictu eſt perdifficile. Cuius erga nos tam incenſi amoris hęredem & ſucceſſorem, experti iam ſæpe didicimus quem reliquerit: Annam videlicet filiam ſuam, matrem tuam, præſtanti religione erga Deum, commemorabili beneficentia in egentes, eximia humanitate in omnes, ſpectatiſſimam denique

atque optimam fœminam. Sed ad clariſſimum patrem tuum feſtinat oratio, cuius laudes, quas ex ſinceriſſimo numinis cultu, & ex amore ac veneratione Eccleſiæ Catholicæ, ſacriſq; ædibus omni magnificentia exornandis, & aliis præterea rectè factis capit eximias; hoc maiori tibi ſunt ornamento, quo tu illi, & ille tibi eſt ſanguinis neceſſitate coniunctior. Declarauit is non Auguſtæ ſolùm, verùm etiam Landſpergę, & alibi locorum, quem erga nos animum gereret, nec id verbis tantùm honorificis, verùm etiam donationibus iiſdem creberrimis, iiſdem ampliſſimis: quam nos liberalitatem colemus, vti par eſt, memoria ſempiterna. At enim non eſt in præſentia mihi decretum generis tui panegyrim contexere, cui par nulla poteſt reperiri laudatio; illud tantummodo carptim demonſtrandum putaui, quale tibi à parentibus & maioribus relictum ſit ad virtutis decus inuitamentum. Ac nulla ſanè præcepta ad ſolidum verumq; honorem adipiſcendum æquè valent, vt patrum facinora pulcher-

pulcherrima ante oculos nepotum obuerſantia: quorum vitia & peccata tanto notiora euadunt, quanto ipſorum parentes & aui in maiori claritate vixerunt. Quemadmodum ſcilicet in puriſſimo fonte, & in lucidiſſimo ſpeculo minutæ ſordes maculæq́; faciliùs conſpiciuntur. Tu verò, GEORGI, à paruulo eductus es diligentius, quàm vt hoc tantum malum de te pertimeſcēdum videatur. Huc accedit, quod nec oris tui dignitas, & egregia totius corporis conformatio, quæ plerumq́ue futuræ probitatis indicium eſt, nec perſpecta nobis iam pridem indoles tua tale quidquam timere nos patitur. Suſcipies igitur hanc primam partem lucubrationum mearum, tibi multò antè deſponſam, & ea ad vtilitatis tuę fructum aliquem vtêre; vt noſtris legendis ſermonem tuum cultiorem pleniorémq́ue efficias, & eâdem opera ad doctrinã acceſſionem qualem qualem adiungas. Quod vt tu, tecumq́; adoleſcentes qui ad Humanitatem informantur, poſſetis, ſi minus ſum cōſecutus, omni tamen con-

 ten-

ſtentione vt conſequerer, mihi eſt elaboratum. Quemadmodum autem parens tuus literas ac literatos, virtuteq́; condecoratos homines omni gratia, officio, charitate ſemper adhuc complexus eſt, & complecti perſeuerat: ſic tu, vbi maturior ætas virum te reddiderit, eorundem eſto præſidium atq; perfugium: nec puta vſpiam melius te collocare beneficia. Nam vt de cœleſti remuneratione taceã, illi maximè ſcriptis ſuis immortalibus nomen tuum ab obliuione & ſilentio vindicabunt. Vale. E Collegio Societatis IESV, Auguſtæ, Kal. Decemb. Anno Domini M. D. LXXXVIII.

IN GENEROSVM ADOLESCENTEM GEORGIVM FVGGERVM, Epigramma.

CVM te ſpectarent Iuuenem Fors, Gloria, Virtus,
Pædeia, has inter lis fuit orta Deas.
Hic meus eſt, Virtus; meus eſt hic, Gloria dixit;
Pædeia eſſe ſuum, Fors ait eſſe ſuum.
Audiuit, magnamq́; volens componere pugnam,
Addidit Aſtripotens: Cuiq́; quod optat, erit.

Matthæus Raderus.

AD

AD HVMANIORVM ARTIVM STVDIOSAM IVVENTVTEM, IN TRIA PROGYMNASMATVM VOLVMINA Præfatio.

EX OMNI COPIA EORVM hominum, qui hac noſtra tempeſtate, multò etiam ampliùs qui patrum, quiq́ maiorum noſtrorum memoria iis doctrinarum ſtudiis deuincti penitus fuerunt, quibus honeſtiſsimum Humanitatis nomen inde à priſcis vſq́ temporibus eſt attributum, ſi diligenter comparare voluerimus, paucos omnino extitiſſe reperiemus, quorum eſſet bene latina, pura, nitida, incorrupta, elegans & ornata oratio. ſiue ſermocinarentur cum aliis, ſiue literis cogitationes ſuas monumentiſq́ commendarent. Quod ſanè quidem in illis artium diſciplinis, quæ non ita in medio poſitæ, ſed à communi ſenſu intelligentiaq́ diſiunctæ, abditis quibuſdam è fontibus hauriuntur, minus eſt mirãdum: quarum alumni, candidati,

didati, & doctores laudandi ſunt, ſi non peßimè latinè loquantur: ſin ſecus, non eſt id ab ipſis pertinacius requirendum, quando eos magis rem ſpectare, quàm verba pendere oportet. At verò quemquam ſe Humanitati addictum & conſecratum confiteri, cui parum percepta & cognita, parum vſitata ſit bona, à veteribus cuſtodita, nobiſq; velut teſtamento legata latinitas, hoc demum admirabile, & vix tolerandum exiſtimari poteſt. Aut enim à nulla prorſus, aut ab iſtac eruditorum natione optimo iure latini ſermonis candor, ſummaq; propemodum integritas, perfectioq; poſtulari debet. Huius mali ecquænam cauſſa ſit, inueſtigemus. Non eſt certè librorum accuratè, compoſitè, illuminatè, copioſè conſcriptorũ paucitas. Quanquam enim & iniquitate vetuſtatis & negligentia, nequitiaq; hominum plurimi interciderunt, nihilominùs diuino, vt arbitror, beneficio ad hanc ætatem adeò frequentes ſunt conſeruati, vt ſi quis omnes, nec raro euoluere animum induxerit, ei propemodum annoſum Euboicæ vatis æuum à Deo efflagitandum videatur. Et planißimum eſt, ipſum huius linguæ anti-

antiſtitem M. Tullium, Salluſtium, Cæſarem, Liuium, Plautum, Terentium, aliosq́ politiſſimos ſcriptores aſſidua lectione ab innumeris celebrari, nec vnquam ferè de manibus deponi. Illud quoque in controuerſiam adducit nemo, exercitationem ſcribēdi, ſine qua eius præſtantiam nullus vnquam adipiſcetur, à plerisq́ adhibitam: nec vllam ab iis nauitatem & induſtriam deſiderari iuſtè potuiſſe. Quo namq́ modo omnes ſedulitatis ſuæ neruos contenderint, quantum in hiſce literis ſudauerint, tot & tam grandia variarum commentationum, eademq́ vtiliſſima monumenta, quæ reliquerunt, pro teſtimonio dicunt. In quibus tamen, quod eſt in hac lingua mundiſſimum, cultiſſimum, electiſſimum, ſuauiſſimum, atque ſaniſſimum, fruſtra quæras. Nec à iudicio eos fuiſſe deſertos putandum eſt; ſiquidem eorum quidam commentariis ſermonem latinum ſunt perſecuti, qui vtique aut omnem, aut pænè omnem eius rationem atque vias cognouerunt. Ac ne Magiſtri quidem eos, & ad latinitatem duces defecerunt. Nam ſine præceptore in ſtudiis liberalibus quis noſtrûm quidpiam

diſcit?

diſcit? quis aliquando didicit? Ad extremum, nec temporis eguerunt: conſtat enim complures cum ſeſe huic politiori ſcientiæ dedidiſſent, ad præcipitem ſenectutem incolumes perueniſſe. Quid ergo tandem his defuerit, quamobrem in eorum Collegium quos quærimus & ſuſpicimus, cooptari minus potuerunt? Probabiliter mihi videor reſponſurus, ſi naturam defuiſſe dixero. Etenim cùm ferme nullum tersè, exquiſitè, ac literatè vel ſcribere, vel loqui videamus, qui non idem ſit ac iudicetur eloquens, ad eloquentiam autem natura & ingenium vim afferat longè maximam, non imprudenter conięctârit aliquis, hinc accidere videlicet, vt qui venire in eloquentium ſocietatem atque numerum haud poſſint, (non autem omnes poſſunt, etiamſi toto, quod aiunt, pectore nitantur, & ſint alioqui præclaris ingeniis, magna diligentia, non vulgari doctrina homines) iidem neſcio quo modo ſalubres illos, atque dulces latinitatis natiuæ ſuccos, aut pro derelicto habeant, aut non conſpirante cum voluntate natura perbibere nequeant. Porrò hoc ipſum, eloquentem eſſe, quiddam excellentius ac magnifi-

gnificentius continet, quàm nonnulli ſuſpicantur: qui reginam rerum, & copioſè loquentem ſapientiam inani quadam verborum quamuis lectiſsimorum ornatiſsimorumq́ profluentia, inaniq́ ſonitu metiuntur. Quia igitur inter eos, quibus Humanitatis ſtudia ſunt in deſideratiſsimis, quiq́ in iiſdem plurimũ operæ temporisq́ conſumpſerunt, perpauci eloquentes cernuntur, mirari deſinamus, cur item non adeo multi ſint, ſemperq́ fuerint, qui (quod ab eloquentia vix aliquando cernitur ſeparatum) huius linguæ tot gentium tam communis lepores, feſtiuitatem, gazam vniuerſam, omnes numeros, omneſq́ copias poſsideant. Ac non neminem fortaſsis naturâ factum ad dicendum, hoc aditu laudis prohibuit & prohibet non ſatis commodus eius diſcendæ modus; qui idcirco eſt multiplex, quoniam multæ vigent docendi ac præcipiendi rationes. Sunt qui in ordines congeſtis & digeſtis rerum vocibus Nomenclatores edunt. Sunt qui de Terẽtio, Plauto, Cicerone, de his, inquam, præ aliis Phraſes, Elegantias, Syluas, Obſeruationes colligunt. Nonnulli parua quædam volumina conficiunt,

in

in quibus ſeruata literarum ſerie vocabulorum notiones, vſumq́ue adiunctis ad confirmationem ſcriptorum illuſtrium locis declarant. Alij Dictionaria (vt quidem ipſi nomen eis imponunt) Cornucópias, Theſauros, Calepinos conſtruunt, latinisq́ue germanicas etiam & græcas voces opponunt, quo vno labore in tribus linguis ſtudioſi proficiant. Quibuſdam placitum eſt continuato, nec vnquam interrupto orationis curſu de ſermone latino diſputare; vt olim Varro, & Iulius Cæſar ad M. Tullium. Alij Augiæ ſtabulum perpurgare pro re ſibi honorifica ducunt. Id eſt, barbariem, & inquinatiſſimas loquendi formas ſubiectis puris & emendatis corrigere, quæq́ue ex inſcitia irrepſerunt, impropria, ſordida, peregrina, ea per Indices, Scopas, Appendices, Farragines funditus tollere, & profligarē. Alij inſuper ſuos ſibi modos habent. Poſtremò ſunt qui Colloquia & Dialogos ad imbuendam latinitate adoleſcentiam componunt. Horum omnium inſtituta ponderare, deq́ue iis affirmatè proferre ſententiam ſi velim, verendum ſit magnoperè, ne mediocritas noſtra nimium ſibi ſumpſiſſe, atque

arro=

arrogâſſe exiſtimetur. Illud aſſeueratione omni confirmare non verebor, ſingulorum laborem atq; vigilias diſcentibus profuturas: maiores autẽ vtilitates afferre Dialogographos, ſi modò prouinciam rectè, & quemadmodum decet explicauerint. Nihil adoleſcentibus vtilius, nihil iucundius Dialogis, nihil etiam, pueris præſertim, perinde neceſſarium. Quibus cùm Epiſtolæ Ciceronis à diuerſis ſelectæ, & in vnũ, duos, tresúe libros collatæ ſoleant explanari, non ego quidem illas prætermittendas cenſuerim; ſed vbi cauſſas memorauero, cur quarundam ſcholarum morem probandum iudicem, quæ pueris Dialogos potiùs, quàm epiſtolas iam pridem interpretantur, ſimulq; de fructibus & iucunditate huiuſcemodi Colloquiorum diſſeruero, faciam, opinor, vt liquidiſsimè appareat, Moderatorum noſtrorum nec repẽtinum, et prudens fuiſſe conſilium, qui hoc etiam itinere creditam ſuæ fidei poteſtatiq; iuuentutem, legendis ſcilicet ac prælegendis dialogis ad Romanam ciuitatem deducendam ſibi cogitârunt.

Qui ſumptuoſa ac longiuſcula veſte puerum induunt, eiuſdemq; pedi inauratum, & ma-

gnum calceum inducunt, non ideo inepti ſunt, quod ipſum pretioſo, ſed quod ad paruitatem corporis nequaquam apto amictu contegunt. Nam ætatula illa & ſtatura ſplendidi veſtitus capax eſt; verùm non ita laxi atque longi, vt adoleſcentum & virorum corpora. Similiter metuendum eſt, ne dum in gymnaſio pueris ſolas Ciceronis epiſtolas explicamus, idem prorſus cum ingeniis, quod illi cum corporibus agere iudicemur. Eſt profectò meriſſimum aurum, eſt purpura, ſunt gemmæ, quæ in tabernis Ciceronianis venalia proponuntur, & hoc vno auctore in vniuerſa lingua latina cùm verborum vbertate, tùm omne genus ornamentis nullus concordibus omnium ſuffragiis cenſendus opulentior, quem abſolutum in eloquentia artificem, & omnis elegantiæ conſummatum exemplar nuncupare poſſumus: at non omnibus illa conueniunt, non ad omne corpus illæ tanquam veſtes, non ad omnem pedem illa velut calceamenta quadrant; quia non ad quemuis captum, non ad quoduis ingenium perinde ſunt accommodata; quare nec tantùm inde fructum capi neceſſe eſt à pueris. Hoc igitur primùm ſpectandum,

dum,

dum, quàm ſit perceptu facile, quod ipſis diſcendum imponitur, & quàm copioſum ex eo fructum ſint relaturi; non, primáſne, an ſecundas, an tertias in latinitate obtineat. Occurretur autem forſitan nobis ab aliquibus in hunc modũ. Nos apertiores, breuiores, familiariores epiſtolás è toto corpore ſecernimus, in quibus nullæ obſcuritatum latebræ, nulli nodi, nullæ difficultates. Vt ita ſit, quanquam haud eſt ita prorſus, attamen fatendum eſt, res iis epiſtolis incluſas laborioſius & imperfectius à pueritia, teneriſq́ ingeniis comprehendi, quàm quæ cadunt in dialogos, quorum argumẽtis atq; rebus nihil eſt vſitatius, nihil notius, nihil magis obuium atq; domeſticum. Quid quod frequenter eiuſmodi loci incidunt in his epiſtolis, quos ipſimet Magiſtri ex plebeis, & infimi ſubſellij interpretibus, vt Aſcẽſio, Hubertino et ſimilibus, quibus plerumq; & ſolis vtuntur, & vti etiam coguntur, neutiquam intelligunt? Quod ſi vel Paulum Manutium explanatorem doctiſſimũ, vel alium approbata eruditione ſcriptorẽ conſultum adierint, remq́; didicerint, non conſequentur tamen, vt pueruli intelligant, quod

non ita promptè intelligere ipſi potuerunt. Laborioſè autem maleq́ diſci quod nō cognoſcitur, in hoc omnes vna mente conſentiunt. Quæret quiſpiam, quæ tandem illa tam obſcura & ingeniis puerorum aliena putem? Quæ? De negotiis, inquam, Reipub. de Aſia, Aegypto, Græcia, Cilicia, Cappadocia, de exercitibus, & oppugnationibus vrbium, de ſumma Rom. Imperij, de quibus Cicero vel in breuibus epiſtolis ſæpe loquitur. De Dolabellis, de Brutis, de Pompeiis, de aliis, aliorumq́ ſtatibus, cōtrouerſiis atq́ cauſſis. De priuatis quidem etiam, & ſuis, non inficior. At in quibus declarandis longiore interdū oratione principiisq́ altius repetitis opus ſit. Itaq́ ad familiares rectius & verius, quàm familiares appellantur illæ epiſtolæ, vt multis abhinc annis conſenſu doctorū cœptæ ſunt appellari. In dialogis ea diſcunt, quæ audiunt, quæ aſpiciunt, quæ cogitant, loquuntur experiuntur quotidie, quæ ſunt familiariſsima, tractatiſsima, communiſsima, in quibus propriè, purè, & cum aliquo ornatu exprimendis ſemper hærēt, ſemper inopes reperiuntur; non modò poſtquam duodecim mēſes, ſed poſtquam duodecim annos Magiſtro

Cice-

Ciceronem interpretanti operam dederunt. Ingentes ſunt orationis in Tullio diuitiæ, magnifica verborum & infinita ſupellex, non tamen ex eodem vnico quiuis, & quocunq́ue tempore, et ad omnem omnino materiã diues ac fortunatus euaſerit. Quamobrẽ minore cum labore percipientur à pueris Dialogi, quàm epiſtolæ, vt oſtẽdimus. Hanc cõmoditatem primam, et eandem propè maximam ducere par eſt. Reliquæ mira cum voluptate cõiunguntur. Nam quis dubitet eos propter incredibilem argumẽtorum varietatem, perſonarumq́ue colloquẽtium viciſsitudinem, & naturas atque mores elegãter expreſſos, oblectatione maxima delinitos, cupidiſsimè audituros? Quam audiendi famem (quod tibi de plano promiſerim) non parum exacuent breuiſſimæ narrationes & ſuauiſsimæ, prouerbia appoſita, electa apophthegmata, ſentẽtiæ argutæ, fabellæ dulces, aſperſus ex omni facetiarum genere lepos, et aliæ demum huiuſcemodi ingeniorum etiam puerilium, nõ modò confirmatorum illecebræ. Paſcentur denique non Ciceronianis tantùm, ſed elegantiſsimorum præterea ſcriptorum, inprimisq́ue Terentij & Plauti veluti con-

quiſitiſsimis epulis; quorum amborum quanta ſit poſt Ciceronem laus, quàm idonea ad cõgreſſiones rerumq́ue quotidianarum explicationem eloquentia, nouit, qui ſtrictim ſaltem, vtrumq́ue attigit. Ac melius ſanè Plautinæ, atque Terẽtianæ elocutionis vſus ex Dialogis, quàm ex ipſa Comicorum illorum quanquã creberrima euolutione diſcetur. Ergo ſi Dialogorũ ſermo totus fuerit (eſſe autem debet) antiquus, cõcinnus, dilucidus, proprius, lautus, ac ſalibus cõditus, cùm ſit etiam familiaris, nónne ad loquendum ſcribendumq́ue haud mediocriter iis ſiue legẽdis, ſiue audiendis profectũ iri credendum eſt? Deinde ſi Dialogis partim de literariis rebus, partim de morum honeſtate & elegantia, partim de aliis quàmplurimis argumentis agatur (vt agendũ videtur, quo ſit abſolutior ſcriptio) ſine vllo difficultatis ſenſu etiam doctrina adoleſcentes, doctrina nimirum liberali, non abſtruſa, non ſpinoſa, & recondita augebuntur, moribusq́ue temperatiſsimis, gratiſsimis, humaniſsimis inſtituẽtur. Ad prudenter quoque ſentiendum, & ad iudicium paulatim ex decoro rerũ perſonarumq́ue ſeruato excolendum proderunt; cùm neceſſe non

ſit

ſit ſemper garrire pueros, aut dici puerilia; modò ea dicãtur, quæ à puerorum, adoleſcentumq́ intelligentia nõ ſint abhorrentia. Parentes inſuper, Pædagogi, Magiſtri, ac cæteri hominum ordines habẽt, quod ex Dialogis ingenioſè prudenterq́ conſcriptis addiſcant. Atque ipſi adoleſcentuli olim Parentes, Præceptores, Pædadogi fient, & certos vitæ ſtatus amplectentur: quos nunc optimum eſt doceri, quàm honeſtè in futurum, quàm ſuo muneri conuenienter ſeſe gerant. Et quoniam omnium expeditiſſima, vtiliſſima, iucũdiſſima linguæ latinæ comparandæ ratio hæc apparet, cur non omnes quotquot Humanitatis, ac proinde etiam latinitatis ſunt ſtudioſi, huiuſmodi libros, quales nos iam informauimus, et quodammodo adumbrauimus, quàm diligentiſſimè euoluãt, ego quidem cauſſæ nihil video.

Sed enim Moderatores noſtri cùm nondum inuenirent, quẽ in hoc ſcripti genere certas, nec leues ob cauſſas, tantum probare poſſent, quantum quidem ipſi probare cuperent, & in ſuas ſcholas introducere, periculum virium mearũ facere, mihiq́ hanc imponere neceſſitudinẽ voluerunt,

luerunt, vt Dialogos ſcriberem. Ego verò cùm recuſare imperata minimè auderem, quod ab eorum voluntate totius vitæ, actionumq́ mearum rationes ſuſpenſas habeo, & tamen ad tantum opus efficiendum æqualem me facultatem haud allaturũ cognoſcerem, malui imbecillitatẽ meam adducere in diſcrimen, quàm mẽ ad ipſorum arbitrium non conformare, & quorum vtrumuis mihi turpiſſimum eſſet, aut noluiſſe, aut laborem fugiſſe exiſtimari. Atq; vt eò libentius huic oneri ſuccederem, fecit perpetua mea in hanc nobiliſsimam partem ſtudiorum inclinatio, quam florere ac celebrari etiam atq; etiam vehementerq́ cupio; cùm & ad vſus vitæ plurimos, & ad res difficillimas atq; grauiſſimas, ad Eccleſiam deniq; Catholicam cohoneſtandã, contraq́ veſanos hæreticorum furores tutandam non leue in ea momentũ ineſſe nulla ratione dubitandum ſit. Tempus eſt iam, vt quid mihi in hiſce voluminibus, atq; in hoc toto progymnaſmatum opere propoſuerim, quàm diſtinctiſſimè potero, exponam.

Scopum Dialogorum ac finem potiſſimum decet eſſe eum, qui eſſet libri alicuius de lingua

latinæ:

latina: vt nempe iis quaſi quædam ſementis fiat, & iuuentuti ad intelligentiam atq; vſum non adulterinæ & infuſcatæ, ſed germanæ ac ſinceræ latinitatis via muniatur. Iam cùm ſermo vagetur latiſsimè, non eſt vnum duntaxat genus rerum, aut præcipuè deligendum iis, qui Dialogos meditantur; nec ſunt 40. aut 60. tantùm conſcribendi Dialogi. Res ſcholaſticas, & eas ſemper minutas, nulla ferè interdum eruditione interpunctas magnam partem apud alios videmus occupare. De moribus agunt illi quidem etiam, ſed neq; tam diſtributè, neq; tam cumulatè, quàm conueniebat: quanquam impiè ſatis, & ſceleratè, is, cuius plena veneni, plena peſtilentiæ Colloquia, ad bonos mores corrumpendos diſertiſsimè ſcripta, quicunq; de pietate Catholica bene ſentiens haud negabit. Quid ſi de aliis præterea ſermo miſcendus? Num ad Ciceronem adoleſcentes mittemus? de quo ſuprà aperui ſenſum meum. Immenſitatem itaq; rerum ac multitudinem in tres claſſes redigi, & in tria volumina ὡς ἐν ἐπιτομῇ includi poſſe ſum arbitratus. In primo de literariis atque ſcholaſticis egi; non ita, vt vllam diſciplinam

traderem, verùm vt communia tantùm verba, locutionesq́; ad ſcholam & literas pertinentes tanquam ſub aſpectum ſubiicerem. Secundo morum præcepta ſum executus, non ſolùm ciuilium, ſed Chriſtianorum etiam Catholicorumq́;: & de virtutibus non pauca, pinguiore licet Minerua diſputaui. In tertio, cuius iam bonam partem confecimus, pandunt ſeſe campi latiſſimi, earum videlicet rerum, quæ vno quodam communiq́; nomine ſignificari nequeunt. Ac proinde eius index ſiue inſcriptio aptiſſima erit; De variis rerum generibus. *Verbi gratia, de re militari, de nautica, de culinaria, de ruſtica, de funebri, de medica & morbis, de metallica, de nummaria, de architectonica, de equeſtri, de variis quoque opificiis. De iſtiuſmodi argumentis apud Viuem, Corderium, Syluium, Schotenium, cæterosq́; vix aliquid, nedum de vno complures Dialogos inuenias, ſicuti apud nos lector eſt inuenturus. Nec iſtud ita à me dictum accipi velim, quaſi cuiuſquam laudem coner imminuere; ſed vt, quid ego ad vberiora diſcentium emolumenta, diuina confiſus ope, moliri cogitauerim, plenius & planius*

queam

queam oſtendere. Ac de his quidem tam multis eapropter conſcribemus, vt in colloquium voces & loquendi normas, ad illam rerum diuerſitatem exprimendam idoneas pro virili inſeramus, quibus, quando, & quoties vſus venerit (veniet autem nimis ſæpe) adoleſcentes vtantur. Quem finem etiam in primo & altero volumine ſpectauimus tanquam extremum ſcilicet; tractationem autem rerum, ſine quibus ſermo doceri nequit, tanquam medium. Hinc claret nos meritò vltimum locum deſtinaſſe tertio, propter copiam vtique & amplitudinem argumentorum: quem fore multi ſudoris (atque ideo fortaſſe etiam legentibus perutilem) non tàm arbitramur, quàm experti iam certò ſcimus. Quia verò de rebus ipſis per ſe, atque præcipuo fine non agimus, ſed id ante omnia laboramus, vt latinè doceamus; ſi quid vel in medicis, vel in architectura, vel in alio quopiam ordine offenderimus, id tale peccatum reputetur, quale in poëtis κατὰ συμβεβηκός *vocat Ariſtoteles: alterius ſcilicet, ſeu in altera, non in propria facultate: atque ideò faciliùs ignoſcendum. Ergo Dialogos plurimos facere, ob cauſſam allatam*

allatam conſtitui, verùm ita ſcriptos, vt eorum partim in tribus ſcholis inferioribus explanari, omnes autem à ſtudioſis ſcholarum Humanitatis in manibus haberi poßint. Atque hoc ſecundum me voluiſſe magis, non ſolùm numerus ipſe Dialogorum haud exiguus, ſed quàm plurimorum quoque materia & hypotheſis indicat; quæ quidem quoniam paulò grauior & eruditior, puerili ingenio non eſt æqua, at mediocriter literatis adoleſcentibus non difficilis ad intelligendum, & grata, quod ſpero, futura eſt. Hinc item ſuum errorem agnoſcant & corrigant, qui cùm libros meos aperuerint, atque hinc inde, vt fit, oculis pererrauerint, quæuis perſonarum nomina tanquam puerorum nomina acceperint. Longè mihi alia mens, ſæpius non indoctos iuuenes, ſæpius viros, nonnunquam ſenes notant; quodq́ manu tangi, nedum communi ſenſu iudicari poteſt, dicuntur ea frequentius, quæ à pueris abſurdißimè dicerentur. Hoc mihi latinam linguam copioſius & diſtributius docere laboranti neceſſariò præſtandum fuit. Sine variarum quippe rerum tractatione diſputationéque id nunquam fuiſſem aſſecutus.

Nec

Nec erit cur quiſpiam pueriles illos, quos ex duobus prioribus voluminibus ſelecturus (ex tertio quippe nullus ſeligetur) & duobus libris ad vſum primi & ſecundi Grammaticæ gymnaſiorum comprehenſurus ſum, additis etiam aliquot nouis, ſi putabitur operæ pretium, parum familiari dictione factos, nimiumq́ doctos ideóque difficiliores fore quiritetur. Etenim ſi eam familiarem dictionem intelligit, qua nos hodie in ſermonibus collocutionibúſque noſtris plerique vtimur, cùm ea nihil ſit incomptius, abiectius, horridius, fateor me illam non curaſſe; ſi eſt non curare, omni ſtudio & animaduerſione fugere. Quam tamen an vbique effugerim, tenuitatis meæ ipſe mihi conſcius, & communis naturæ haud ignarus, non auſim profectò affirmare. Sin autem Terentij, Plauti, Ciceronis; quod in me fuit, elaboraui, non quidem vt nihil aliud, niſi quod apud eos inueniſſem, ſed certè vt innumera inde ſumpta in progymnaſmata mea comportarem, ac veluti ex eorum vberrimis puriſſimisq́ fontibus riuulos quaquà verſùm ducerẽ, quibus pratula mea irrigarem, & flores multiplices ac ſuaueolẽtes ex illis pratis

carpe-

carperem, quibus hortulos meos cõſererem. Non igitur id à me factum nego, neque me piget, & deinde facturum autumo, vt eſt in Heautontim. Nec tamen vel Terentij, vel Plauti quibuſuis ſine delectu vtor, niſi ſi quando ioci & emphaſis cauſſa quibuſdam. Ea non oſcitans, neque imperitus lector facillimè ab iis interno-ſcet, quæ vbiuis & ſemper rectè vſurpabuntur. Quam prӕterea intelligendi difficultatẽ creabit aliquis apologus, aliquod adagium, aliquod apophthegma, mos priſcus, hiſtoria vetus, auctorisq́; cuiuſpiam ſententia, ſi Magiſter ipſe non vſque adeo rudis, & ἄμουσος fuerit? Si aliquid legerit, ſi viderit, ſi audierit? Aut quomodo iſta non capientur à pueris, ſi doctor manu apprehenſos paululùm deduxerit? ſi panem quamuis mollem adhibita ſectione diuiſerit? ſi nucem fregerit? A pueris, inquam, non agreſti & ſeruili, ſed ingenua & liberali indole, bonisq́; ingeniis, quales ego mihi in Progymnaſmatis meis propono. Socrates apud Platonem in Menone puſionem quendam de dimenſione quadrati geometrica quadam tam dilucidè, tam facilibus quæſtionibus interrogat, ac reſpondentem

dentem eò perducit, quaſi geometrica didiciſſet. Et quid geometricis inuolutius? Ergo ſi peritus Præceptor pueros docere potest obſcuriſsima, nónne multò magis non obſcura poterit? Si quis adhuc erit, cui non ſatis aliquando ſeuerus & grauis videbor, cuiq́ ludicra mea diſplicuerint, is ſciat me literis & otio abuti noluiſſe. Abutitur autem, Cicerone iudice, qui cogitationes ſuas mandat literis, cùm eas nec diſponere, nec illuſtrare poſsit, nec delectatione aliqua afficere lectorem. Hoc extremum vbi tandem locum habet, ſi non habet in Dialogis? Qui cùm ad comœdiam quam proximè accedant, ac nihil pænè ſint aliud, quàm ſoluta comœdia, eſtné aliquis adeo ἀγέλαστος, adeo durus ac tetricus, qui iocum ac riſum tollendum ſtatuat è comœdia? Deinde cùm amplius trecentos Dialogos afferam in medium (tot enim futuri ſunt omnium ſimul partium, ſeu voluminum) ſi ſemel atque iterum duntaxat, aut nunquam hilaritates aſperſiſſem, ſi ludum & riſum omnem fugere vt malam peſtem voluiſſem, quis tàm multa ſine faſtidio legere potuiſſet? Cui non abſque leporibus, ſine ſalibus mœſta ſemper ac triſtis oratio

ſatie-

ſatietatem citò attuliſſet? At crebrius iocamur quàm par ſit. Comparentur libri mei non dico cum Roterodami codice, qui trimodio, ſeu ipſo propemodum horreo demenſas largitur ſacetias, ſed cum aliorum Dialogis; iudicabor ego pro rata portione nimium parcus fuiſſe. Reſtat vt in iocando illiberalis, petulans, flagitioſus, obſcœnus ſim; id quod non modò contra Chriſtiani hominis, ſed honeſti etiam viri officium eſſet. Hæc mihi mens nunquam fuit, atque vti confido, nunquam erit. Illud alterum genus, liberale, elegans, vrbanum, ingenioſum, facetum, quod & in Plauto, & in antiqua Atticorum comœdia, & in philoſophis Socraticis, qui eo etiam totos libros ſuos impleuerint, & in apophthegmatis à Catone collectis valde commendauit Cicero, ſi (habita nihilominus morum puerilium, ætatisq́; immaturioris ratione) ſecutus ſum pro ingenij modulo, non me prius, quàm illos quorum memini quiſquam reprehendat. Sed non ſum aſſecutus. Volui certè, & in magnis ſat eſt voluiſſe. Et ſcitè in præfatione operis ſui Plinius: etiam non aſſecutis voluiſſe pulchrum atque magnificum eſt.

Non

Non autem omnes rerum ordines, qui in Nomenclatoribus, Dialogis perſequendos ſuſcepi, nec omnia vocabula illa ſum complexus. Quis enim finis ſcribendi fuiſſet? Tantummodo maiorem partem, & vſum atque coniunctionem, ſeu phraſim ipſam tradere contendi, quod in illis Nomenclatoribus non fit. Sciendum etiam, nonnulla quæ apud me ſuum titulum diſtinctum non habent, ea in alia claſſe inueniri; vt rei cibariæ in Dialogis culinariis, partium corporis humani in medicis, & in iiſdem inſuper non paucarum herbarum appellationes. Idem dictum eſto de aliis. Verborum tam ſollicitus eſſe non potui, nec debui, vt non quædam parum quidem latina, veruntamen contritiſſima, & ad rem eandem toties notandam commoda retinerem. Talia ſunt, ſi exempla quæris, ſtudioſus, pro dedito literis, recitare, repetere, aſcendere pro ingredi maiorum ſtudiorum rationem. Item Eccleſiaſtica nonnulla, vt communio, ieiunium, roſarium, benedictiones, confeſſio, campana, & ſimilia. Nam ſemper hæc mutare, incommodum, valdeque putidum eſſet. Nec exiſtimandum pauca verba minus Romana,

nec è Tulliano myrothecio prompta, nec illius ſæculi, quod perfectiſſimum quidam & aureum vocant, totam orationem deformatura, ſi alioqui ſplendida, illuſtris, & artificio quodam diſtincta fuerit. Conformanda eſt ad Ciceronis exemplar quantum fieri poteſt noſtra oratio, tamen cum iudicio & delectu, non ex Cæſare tantùm, & antiquis illis, quin etiam ex recentioribus, Plinio, Tacito, Suetonio, Quintiliano, Seneca, belliſſimum quodq́ue, & quo quiſque maximè videbitur excelluiſſe, depromendum eſt. Et quoniã huius primæ partis exemplaria paucis poſt editionem menſibus Bibliopolas defecerunt, quo δευτέρων ἀμεινόνων *iterum in manus hominum perueniret, quanta cum ſedulitate potui relegi omnia, quæq́ue emendatione aliqua egere viſa ſunt, emendaui, multáque, vt ſpero, meliora feci. In eo autem lectoribus, Magiſtris & auditoribus vtilem videbar operam nauaturus, ſi annotationes aceruatim in extremo libro poſitas ſecernerem, ſuas cuique Progymnaſmati ſtatim ſubiicerem, pleraſque augerem, vbi omnino deeſſent (deerant autẽ ſanè quamplurimis dialogis; nam cùm ab initio annota-*

tiones

tiones ſcribere ad primam editionem non ſtatuiſſem, poſtea mutato conſilio, quaſi experiundi cauſſa, & vt Lector haberet, quod quaſi prægustaret, aliquid verius effudi quam elaboraui) ibi quoque amplius deeſſe ne ſinerem; atque ita cum pro ingenio meo, tum pro annotationum inſtituto pleraque planiora & cumulatiora efficerem. Vtinam hi labores mei tantum commodent ſtudiis veſtris, adoleſcentes ſumma ſpe ingeniorum præditi, quantum ego ſcribens confidebam, & vt confiderem prudentes & docti viri complures me hortati ſunt.

INDEX PROGYMNASMATVM PRIMI VOLVMINIS.

1. Deductio pueri ad Magiſtrum, & primum examen. Pag. 1.
2. Conſimile argumentum. 11
3. Euntes in ludum. 18
4. Tarde ludum petentes. 22
5. Redeuntes à Gymnaſio. 25
6. Excuſatio abſentiæ. 33
7. Calami præparatio. 38
8. Elementorum conformatio. 41
9. Eiuſdem materiæ. 44
10. Orthographia. 49
11. Dimiſſio improuiſa. 52
12. Serus in ludum aduentus. 54
13. Silentium & attentio. 58
14. Suggeſtio. 62
15. Abſentes. 63
16. Accuſationes. 67
17. Petitio luſus. 73
18. Idem argumentum. 78
19. Ludus ex pacto conceſſus. 83
20. Nox tranſacta. 87
21. Virgæ. 93
22 Colloquium in ſchola. 97

23. Ar-

23. Arma ſcholaſtica. 99
24. Inuitatio Magiſtri. 104
25. Ludimagiſter defenſus. 108
26. Dies remiſsionis. 111
27. Emendatio ſcriptionis. 115
28. Diuerſarum ſcriptionum emendatio. 121
29. Leges. 130
30. Aſcenſus. 139
31. Præmia. 144
32. Repulſam paßi. 148
33. Vacationes. 158
34. Studium in ſiluis ac nemoribus. 166
35. Mutuatio calami. 171
36. Fruſtratio petiti atramenti. 172
37. Ludendi poteſtas recuſata. 175
38. Comparatio nominũ verborumq́; coniugatio. 177
39. Explicationum repetendarum ratio. 179
40. Dicta alterna. 180
41. Interrogationes variæ. 182
42. Amiſſus & promiſſus liber. 185
43. Auxilium & conſilium. 187
44. Chartæ in membranam conſutæ. 189
45. Nomenclatura. 191
46. Iterum Nomenclatura. 194
47. Exercitationes. 197
48. Temeraria ſuſpicio. 199
49. Aſtutia puerilis. 201
50. Somnus in gymnaſio. 203

51. Spes & metus ob certamen ſcholaſticum. 205
52. Litigium. 208
53. Simplicitas & lentitudo Magiſtri. 210
54. Hora producta. 212
55. Pecunia vtiliter collocata. 214
56. Virtus in teneris. 216
57. Præceptor honeſta imperat. 219
58. Literæ Bellerophontis. 221
59. Minæ. 223
60. Recitatio. 224
61. Repetitio. 226
62. Diſputatio. 228
63. Concertatio ſcriptionis. 231
64. Examen. 235
65. Auditiones. 239
66. Induſtria diſcendi. 242
67. Penſum diurnum. 247
68. Obſeruator. 251
69. Formulæ petendarum facultatum. 253
70. Certamen copiæ. 256
71. Cantus muſicus. 270
72. Græcæ literæ. 273
73. Bibliotheca. 281
74. Deſcriptio Gymnaſij. 286
75. Pædagogi. 290
76. Præceptores. 294
77. Auctores ſcholaſtici. 299
78. Formulæ ſalutandi atq; valedicendi in congreſ-
ſionibus

INDEX.

	ſionibus atq; literis.	302
79.	*Cupiditas proficiendi.*	310
80.	*Munditia librorum.*	313
81.	*Academiæ.*	315
82.	*Honores Academici.*	319
83.	*Depoſitio.*	325
84.	*Actio Latinitatis.*	332
85.	*Litera Pythagoræ, ſeu biuium Herculis.*	342
86.	*Laudatio eruditionis.*	362
87.	*Studia politioris Humanitatis.*	375
88.	*M. T. Cicero.*	385
89.	*Epiſtolæ M. Tullij.*	402
90.	*Rhetorica M. Tullij.*	407
91.	*Orationes M. Tullij.*	416
92.	*Philoſophica M. Tullij.*	426
93.	*Tres linguæ principes.*	432
94.	*Hebræa lingua.*	437
95.	*Græca lingua.*	440
96.	*Latina lingua.*	444
97.	*Solutæ pedeſtrisq; ſcriptionis varietas.*	447
98.	*Poëticæ ſcriptionis varietas.*	453
99.	*Actio ſcenica.*	456
100.	*Pueri multandi verberibus.*	462

ERRATA.

ERRATA.

PAgina 4. verſu 4. chariſſimumq́;. 6. 14. Vino. 15. 18. Vltimus. 27. 5. ſuſtinuerit? *tolle interrogat.* 30. 10. Qua. 40. 24. quibus. 56. 2. Quod. 59. 12. ſeris. 72. 16. lib. 8. 79. 2. ſomno. 90. 18. inuentam. 99. 8. eorum. 123. 23. veſtrumq́;. 125. 26. æther. 130. 12. Ecphraſis. 134. 10. ne. 149. 1. reſpondimus. 170 16. ipſa. 206. 4. hem? *tolle interrogat.* 216. 5. quadam. *Annotatio* AENEA FISTVLA) *dialogi* 59. *per imprudentiam poſita eſt poſt dialogum* 60. *cuius hæc eſſe debuit annotatio propria.* VERBERABILISSIME) *Quis, obſecro, tam incogitans, atque in iudicando præceps exiſtet, qui cum & hoc, & alia quædam non diſsimilia ex Plauto, aut alio quopiam bono auctore deprompta in hiſce voluminibus meis legerit, non magis ioci, aut ſignificationis & emphaſis cauſſa, quàm ſeriò ita me loqui exiſtimet? Scilicet ego in iſtis mirabilem latinitatis & elegantiæ vim conſtituo. Ob eaſdem, quas dixi rationes innumera talia, quem ſuperius nominaui, Comicus. Hoc te, mi Lector, monitum volebam de integro: nam in præfatione quoq; monui.* 239. 15. aliquanto. 255. 22. obuios. 258. 16. oppetet. 266. 14. *Horatij exemplum dele: præcedit enim pag.* 261. 274. 15. abundantiſſimus. 280. 4. iacere. 290. 9. nihilo minus. 297. 2. orb. 302. 10. Formulæ. 313. 7. quoq;. 318. 27. co. *dele.* 324. 23. ἔννοιαι. 329. 29. pæne. 331. 15. fuerint. 331. 23. abitio. 371. 13. luminum. 374. 9. Echecratem. 401. 8. dele *Annales Voluſi,* & adde Pleni ruris, & inficetiarum.

PRO-

PROGYMNASMATVM LATINITATIS, SIVE DIALOGORVM VOLVMEN PRIMVM.

PROGYMNASMA, SIVE DIALOGVS PRIMVS.

Deductio pueri ad Magiſtrum, & primum examen.

PATER, MAGISTER, PVER.

PATER. Salute plurima doctorem te literarum impertio. M. Habeo gratiam, vir optime. Quid eſt negotij, quamobrem me velis? P. Si non grauaberis paruam dare operam mihi, paucis exſequar qua cauſſa ad te acceſſerim. M. Aduerto animum. P. Ego germani patris officium ſecutus, paruulum hunc, quem cernis, filium meum honeſtiſsimis doctrinarum ſtudiis, & virtuti à primordio ætatis deditum eſſe nimium quantum cupio. M. Laudabilis & iuſtiſsimo atq; præclariſsimo deſiderio incenſa voluntas: quam

primum enim,& quam diutiſsimè diſcendum ſapientes prædicant,quod nunquam perdiſcitur,& proficit in perpetuum. Præterea multùm refert, quibus odoribus teſta recens imbuatur. P. Eſt verò ita vt dicis.Hunc igitur puerum (quod mihi familiæq; meæ fœliciter eueniat) tibi in manum do,tibi committo,tuæq; mando fidei.Naturà ego ſum,amore,cura & ſollicitudine tu illi pater eſto. Tua inſtitutione ac diſciplina probitatem & intelligentiam rerum (quanta quidem in iſtam teneritudinem cadit)adipiſcatur. M. Certè quidem haud repugnanter in album diſcipulorum ipſum retulero , ſi , vt eſt in more poſitum , ingeniolum eius atque progreſſum, quem in literis hactenus effecit,periclitatus antè fuero. P. Teneas licet ſolemne tuum , & exquiras quodcunq; tibi exquiſito opus videbitur. M. Age, mi fili, ede nomen tuum. Pv. Mihi nomen eſt Iacobus. M. Quotum agitas annum ? Pv. Hic , opinor , nonus incipit. M. Elementa conformare noſtin'? Pv. Maximè; quanquam haud venuſtiſsimè. M. Quid? rudimenta Grammaticæ num doctè calles? etenim in hoc meo gymnaſio illa nō traduntur: inſtructum ab iis venire ad me audiendum oportet. Pv. Spero me ſcientia comprehendiſſe illas præceptiones,quantum potuerim. M. Cuius autem Grammatici erant illa tua rudimenta? Pv. Emmanuelis Aluari Luſitani. M. Emmanuelis? Víſne explorem quàm ſtudioſè didiceris? Pv. Explora, ſi placet.M.Cedò,inflexiones nominum quot ſunt? Pv. Quinque. M. Hæc vox, Senſus, quota declinatione continetur.? Pv. Quarta. M. Quo caſu effer-

effertur? PV. Nominandi, generandi, vocandi ſingulari: & rurſum nominandi, accuſandi, vocandi multitudinis numero. M. Bonus cuius generis? PV. Maſculini. M. Certúmne iſtud habes? PV. Certiſsimum. M. Eius fœmininum? PV. Bona. M. Neutrum? PV. Bonum. M. Da comparatiuum & ſuperlatiuum? PV. Melior, optimus. M. Cur non dicis, bonior, boniſsimus; perinde vt doctior, doctiſsimus? PV. Dicerem verò, niſi eſſet anomalum, ſiue inæquale, vt illa quoque; Malus, peior, peſsimus: Paruus, minor, minimus. M. Probè reſpondet adoleſcentulus. Dehinc Pronominis definitionem recita. PV. Quod loco nominis poſitum, certam finitamq; perſonam adſignificat. M. An emendatè ſic loquemur: Saluum te aduenire gaudemus? PV. Prorſus emendatè. M. Vndénam hoc intelligis? PV. Ex regula IV. M. Audiamus. PV. Verbum perſonale infiniti modi, poſtulat ante ſe accuſandi caſum. M. Pernoſco, & demiror egregiam ſingularemq; diligentiam tuã. Hanc ſi in poſterum ſimiliter ad diſcendum attuleris (quod te facturum eſſe mihi quidem dubitare in mentem non venit) promitto ac recipio huic parenti tuo, te hominem eruditiſsimum venientibus annis euaſurum. P. Diligentiam quidem pueri in ſpe optima ponat Magiſter. Ego itẽ quo minus illi ceſſare, & ſocordia atque deſidia bonum otium conterere ſit integrum, curabo ſedulò. PV. Ignauus non ero. M. Macte indole, ſic facies, mi Iacobe, & cras poſtquam luxerit, cum libellis tuis, armiſq; ſcholaſticis ad ſextam in ludum hunc meum itare, Diuis bene iuuantibus,

occipies. Tu interim filium reduces domũ; quem propter ingenij bonitatem, &, quam facilè perſpicio, naturæ præſtantiam multò commendatiſsimum nobis, clariſsimumq́; fore credas velim. P. Liberalis iſta, & humanitatis plena pollicitatio, vir doctiſsime, omnibus neceſsitudinibus me tibi obſtringit. Bene vale. M. Et tu.

ANNOTATIONES.

PROGYMNASMA SIVE DIALOGVS) *Qui tyrones ſuos ciendis belli ſimulacris, ſeu ludicris quibuſdam certaminibus & vmbratilibus pugnis ad ſerios conflictus, atq; ad vera prælia ineunda prius exercent ac præparant: quiq́; aliis in rebus & artibus idem faciunt,* προγυμνάσαι, *& antecedentes illæ primæq́; exercitationes* προγυμνάσματα *dicuntur, verbum è verbo præexercitationes, praeexercitamenta. Poſsis etiam proluſiones appellare. Ego itaque, cum iam inde vſque ab initio laboris mei progymnaſten me eſſe optauerim, & ſtuduerim: hoc eſt, adoleſcentes Humanitatis alumnos latinæ linguæ myſteriis initiare, & ad eius in omni vita vſum veluti bellicis quibuſdam concurſionibus præparationem ipſis adhibere contenderim, non incommodè videbor hoc quidquid eſt qualecunq; eſt ſcriptorum meorum, nominaſſe Progymnaſmata. Quoniam autem in hoc genere ſcripturæ Dialogorum contritiſsima eſt appellatio, nec nos eam repudiauimus.* DOCTOREM LITTERARVM) *Magiſtros Grammaticæ nitidius & honoratius ita*

ita vocabimus, voce nimirũ generali, reſpicientes ipſum nomẽ artis, quod à litteris ductum eſt: ἀπὸ τῶν γραμμάτων *quippe* ἡ γραμματική, *& pro Grammaticis dicti ſunt litteratores, vt Sylla quidam apud Catullum. Et Sueton. de illuſt. Grammat. Appellatio Grammaticorum græca conſuetudine inualuit, ſed initiò literati vocabantur. Eodem reſpexiſſe apparet M. Tullium 1. de Orat. Quis muſicis, inquit, quis huic ſtudio literarum, quod profitentur ij, qui Grammatici vocantur, &c. ſtudium literarum nominat Grammaticam. Idem aliâs cum de Grãmaticæ rebus loquitur, literas vocare ſolet. De Orat. 3. ſcribit literas ab Ariſtophane tractatas fuiſſe. De Seruio Sulpitio in Bruto. Sed adiunxit etiam & literarum ſcientiam, & loquendi elegantiam. In Piſonem. Quid nunc te, aſine, literas doceam? non opus eſt verbis, ſed fuſtibus. Non dixi hanc togam qua ſum amictus: nec arma, ſcutum aut gladium, & quæ ſequuntur. Qui in Academiis hanc ſcientiam profitentur, latinæ linguæ Profeſſores audire volunt, & ipſi hoc ſe nomine afficiunt. Id neque falsò, quod omnes vident, neque iniuſtè, quando Grammatici nomen hoc ſæculo vileſcit ac deſpicitur. Et Seneca epiſtola XCV. cuſtodes latinitatis appellat.*

A PRIMORDIO ÆTATIS) *Propert. lib. 3. eleg. 4.*

Me iuuat in prima coluiſſe Helicona iuuenta,
Muſarumq; choris implicuiſſe manus.

Sunt eadem huic. Ab adoleſcentulo, ab adoleſcentulis, ab ineunte, à prima adoleſcentia, ab ineunte, à prima

ætate, ab initio ætatis, à primis temporibus ætatis, à puero, à pueris, à pueritia, à paruis, à paruulo, à puero paruulo, à puſillo, à pauxillo puero, à tenero, à teneris, à teneris vnguiculis, de tenero vngui Horat. *quod Græci* ἐξ ἁπαλῶν ὀνύχων. NIMIVM QVANTVM CVPIO) *Immane quantum, nimium quantum, mirum quantum, non aliud ſibi volunt, quàm illa, ſummoperè, mirificè, valde, maiorem in modum, & ſimilia. Græci* θαυμαστὸν ὅσον, ἀμήχανον ὅσον, *&c. mirabile quantum, ſeu, mirabile admodum, difficile quantum, ſeu difficillimum, ſeu valde difficile.* Cic. in Orat. *Huic generi orationis aſpergentur etiam ſales, qui in dicendo mirum quantum valent. Salluſt. apud* Nonium. *Immane quantum animi exarſerunt.* Horat. ode 27. *lib. 1. Viuo & lucernis Medus acinaces Immane quantum diſcrepat.* QVAM DIVTISSIME) *Tamdiu immorandum in ſtudiis liberalibus ſuadet* Seneca, *quamdiu melius agere animus nihil poteſt.* Et *tamdiu diſcendum eſt, quamdiu neſcias, &, ſi prouerbio credimus, quamdiu viuas. epiſt. 76.* Idem *de philoſophia, quæ laudatarum artium fons & parens eſt, epiſt. 72.* Cui *nullum tempus ſatis magnum eſt, etiamſi à pueritia vſque ad longiſſimos humani æui terminos vita protenditur.* QVIBVS ODORIBVS TESTA) Horat. *epiſt. 2. lib. 2. Quo ſemel eſt imbuta recens ſeruabit odorem* Teſta *diu. Quo carmine quàm nihil verius, tam nihil peruulgatius.* De *quo videas licet* Robert. *Titium lib. 6. cap. 8.* Geminum *huic eſt, quod legitur in 3. de finib. de filio* Luculli *puero.*

Sed

Sed inſici tamen iam debet iis artibus, quas ſi, dum eſt tener, combiberit, ad maiora veniet paratior. Et quod ex eiuſdem Hortenſio producit Nonius. Vt qui combibi purpuram volunt, ſufficiunt prius lanam medicamentis quibuſdam: ſic literis talibuſq; doctrinis ante excoli animos, & ad ſapientiam concipiendam imbui ac præparari decet. Ariſtot. 2. de Moribus. οὐ μικρὸν διαφέρει τὸ οὕτως ἢ οὕτως εὐθὺς ἐκ νέων ἐθίζεσθαι, ἀλλὰ τὸ πάμπολυ, μᾶλλον δὲ τὸ πᾶν. *Non parum refert, ſed permultum, vtrum ſic, an ſic à pueris aſueſcamus; immò verò totum in eo poſitum eſt. Addamus & Fabium. Natura, inquit, tenaciſſimi ſumus eorum, quæ rudibus annis percepimus: vt ſapor quo noua imbuas durat: nec lanarum colores quibus ſimplex ille candor mutatus eſt, elui poſſunt, lib. 1. cap. 1. Huc pertinent canes Lycurgi, diſſimili ratione educati. Plutarch. de lib. educand.* QVOD MIHI FAMILIÆQVE) *Cic. 1. de Diuinat. Neque ſolum deorum voces Pythagorei obſeruabant, ſed etiam hominum quæ vocant omina, quæ maiores noſtri quia valere credebant, idcirco omnibus rebus agundis:* QVOD BONVM, FAVSTVM, FELIX, FORTVNATVMQVE SIT *præfabantur. Varro lib. 5. de ling. lat. Vbi noctu in templum cenſura auſpicatur, atque de cælo nuntiatum erit: præconi ſic imperato, vt viros vocet. Quod bonum, fortunatum, felix, ſalutaréque ſiet pop. Romano Quiritium, reíque publicæ populi Romani Quiritium, mihíque, collegæqúe meo, fidei magiſtratuique*

tuíque noſtro, &c. Liuius lib. 1. Quod bonum, fauſtum, felixq́ ſit, inquit, Quirites regem create. Idem. Quod bonum, fauſtum, felixq́ ſit pop. Rom. ac mihi vobisq́ Albani. Talia ſunt apud Plautum. Aulul. Dij bene vortant. Ibid. Quæ res bene vortat mihíque, tibíque tuæq́ filiæ. Et in Capt. Quæ res bene vortat mihíque meóque filio, vobíſque. Et in Trin. Vxor venerare, vt nobis hæc habitatio bona, fauſta, felix, fortunatáque eueniat. Virgil. eclog. 9. Hos illi, quod nec bene vertat, mittimus hœdos. Liuius lib. 1. Quod bene vertat, caſtra Albanos Romanis iungere iubet. Cic. pro Murena. Idem ego precatus ſum, vt ea res fauſtè, feliciter, proſperéque eueniret. Fuit & hæc apud veteres præfandi ratio, θεὸς, θεὸς, vt ex Pauſania recitat Rhodigin. lib. 1. cap. 2. SOLLEMNE TVVM) *Tenere, ſeruare ſollemne ſuum, eſt tenere inſtitutum ac morem ſuum. Cic. ad Att. lib. 7. epiſt. 6. Tantum igitur noſtrum illud ſollemne ſeruemus, vt ne quem iſtuc euntem ſine literis dimittamus.* MIHI NOMEN EST IACOBVS) *Quatuor modis priſcos Latinos in proprio nomine indicando vſos inuenio. Dicebant enim. Eſt mihi, eſt illi nomen Fabius, Fabij, Fabio. Qui quidem tres modi in vulgus noti ſunt ſatis, quartus non æquè, accuſandi caſu nimirum. Liuius lib. 1. Cui parentes Aſcanium dixere nomen. Eodem lib. Lucium Tarquinium Priſcum edidere nomen. Gellius quoq; lib. 15. cap. 19. fatetur hanc nouā figuram eſſe, adducitq́ ex annalibus Piſonis hoc exemplū. L. Tarquinium collegam ſuum, quia Tarquinium nomen eſſet, metuêre:*

metuêre: eumq́ orat, vti ſua voluntate Romã cõtendat. Hoc perinde eſt, inquit, tanquã ſi ego dicã; mihi nomen eſt Iulium. Virgil. 3. Æneid. Æneadasq́ meo nomen de nomine fingo. Quaſi dixerit; impono illis nomen Aeneadas. QVOTVM AGITAS ANNVM?) *Verbum, agitare, Salluſtius in ore habet quam ſæpiſſimè. Vita hominum ſine cupiditate agitabatur. Agitabatur magis magisq́ in dies animus ferox. Beneficiis magis quam metu imperium agitabant. Gaudium atq; lætitiam agitabant. Multa agitanti nihil proceſſit. Rempub. agitauere. Cum præcepta patris mei agitarem.* IN HOC MEO GYMNASIO) *Loca in quibus nudi luctarentur, ſeſeq́ exercerent, dicta ſunt gymnaſia,* παρὰ τὸ γυμνάζω *nudo. Ipſa exercitatio palæſtra. Placuerunt deinde illa loca philoſophis, in quibus diſputationes ſuas habere cœperunt, quod etiam 2. de Orat. teſtatus eſt Cicero. Nunc pro quibuſcunq; locis ad docendas literas deſtinatis iſta vox capitur.* VENIENTIBVS ANNIS) *Horat. ad Piſon. Multa ferunt anni venientes commoda ſecum, Multa recedentes adimunt. Veniunt anni dum ad æuum iuuenile viuendo progredimur: recedunt dum ad ſenectutem tendimus. Seu, anni venientes ſunt ab infantibus vſq; ad mediam & virilem ætatem: recedentes, à virili ætate ad ſepulchrum.* QVO MINVS ILLI CESSARE) *Cic. 1. de nat. Deor. Profectò Epicurus quaſi pueri delicati, nihil ceſſatione melius exiſtimat. At ipſi tamen pueri, etiam cum ceſſant, exercitatione aliqua ludicra delectantur.* POST-

QVAM LVXERIT) *Simul atque cœlum albeſcere cœperit, ſeu, vt Cæſar 1. de bello ciuili, albente cœlo, & lib. 4. de bello Gall. orta luce. Cum primùm dies orta fuerit. Primùm aurora nouo cum ſpargit lumine terras. Cum ſol ortus ſua luce conueſtit ac perfundit omnia. Dum roſea face ſol inferret lumina cœlo: quæ ſunt Lucretij. Cum prima luce, diluculo, primo diluculo. Hæc omnia volunt, lucere: diem, inquam, ac lucem eſſe. Cic. pro Sex. Roſcio. Occiſus eſt à cœna rediens. Nondum lucebat, cum Ameriæ ſcitum eſt. De Diuinat. lib. 2. Vbi lucere cœpiſſet. Ep. 4. lib. 15. expedito exercitu ita noctu iter feci, vt ad 4. Id. Octob. cum luceſceret, in Amanum aſcenderem. Catull. ad Caluum. Nam ſi luxerit, ad librariorum Curram ſcrinia. Plaut. Milite. Priuſquam lucet aſſunt. Apud hunc, & Terentium crebro legas, lucet hoc, luceſcit hoc, ſubaudiendum cœlum, aut interuallum, quod inter cœleſtes orbes terrarumq́; ſola interiectum eſt, quod digito videntur oſtendiſſe: vt proinde illud, hoc, δεικτικῶς accipiatur.* DIVIS BENE IVVANTIBVS) *Liuianum. Ennius dixit: cum magnis diis volentibus. Profert Cic. 1. de Off. Sic Plaut. Perſa. Gellius lib. 18. cap. 10. cum diis beneuolentibus. Vulgaria ſunt illa, Deo fauente, Deo annuente. Iacobus Apoſtolus cap. 4. Chriſtianos bene ominari docet in hunc modum.* ἐὰν ὁ κύριος θελήσῃ, καὶ ζήσομεν, καὶ ποιήσομεν τοῦτο, ἢ ἐκεῖνο. *Si Dominus voluerit, viuemus, & hoc aut illud faciemus. In Xenophonte iſta paſſim occurrunt:* σὺν θεῷ, σὺν τοῖς θεοῖς.

ἢν θεὸς θέλῃ, θεῶν συνθελόντων, θεῶν ἵλεων ὄντων, ἢν θεὸς μὴ βλάπτῃ, εἰ ὁ θεὸς μὴ ἐναντιοῖτο.

PROGYMNASMA SECVNDVM.

Conſimile Argumentum.

MATER, PVER, LVDIMAGISTER.

MATER. Narciſſule, agedum onera palliolo humeros tuos, & actutum ſequere me. P. Quò conceſſura es mater? M. In locum periucundum, perq́ amœnum, & ſalutarem. P. In hortum? M. Etiam, in hortum ibimus. P. Tollam ergo mecum corbulam meam ad poma & floſculos colligendos. M. Non opus iſtis corbulis ad hæc poma, atque ad iſtos flores, eius de quo loquor hortuli aſportandos: moue te ocyus. P. Non intelligo mater quorſum me ductura ſis. M. In ſcholam ad Magiſtrum te ducam, ô fili; ibi latinitatis tyrocinium pones, poſteaquam intra domeſticos parietes à pędagogo vſq́ ad hoc temporis legere, & formas literarum quoquo modo pingere doctus es. P. Hei, nolo in ſcholam itare. M. Caue ſis malam rem: debes velle quæ pater & ego volumus. P. Virgas pertimeſco, quibus me Præceptor aſsiduiſsimè tacturus eſt. M. Ne timueris, mitiſsimus atque leniſsimus homo eſt, puerosq́ dociles ac morigeros amat vnicè, nec

nec eos digito attingit. P. Miſſum me fac iſto anno, inſequenti quod conſtitutum habes tranſige. M. Opprime os,& ſequere. P. Sequor. M. Hem, illæ ſunt ædes, illic eſt Gymnaſium, quò maturo pergere. At ipſe Ludimagiſter eccum prodit foras. Cùm proximè acceſſerimus, primùm nudato capite inflecte aliquantū genua; deinde dexteram manum tuam oſculatus eidem porrige. Aſtabis autem ſolo fixos tenens oculos, & quàm modeſtiſsimè, placidiſsimeq; ad interrogata reſpondebis. P. Vt iubes mater. L. Salue bona fœmina cum iſtoc paruulo tuo. M. Salue multùm vir literatiſsime. L. Tuáne iſthæc ſoboles? M. Mea, Deo ſint laudes, cui in acceptis refero. L. Quid venis?in meámne poteſtatem permiſſura filiolum tuum? M. Ea propter huc me affero, mi Domine;& te per illos quos ipſe genuiſti liberos, rogo atque oro, inſtitue iſtum puerum literarum atq; morum præceptis, pro eo ac conſueuiſti diligenter. Pretium tibi largè cumulatéque perſoluam; & ille qui omnibus omnia muneratur Chriſtus, maioribus te præmiis in cœlo dignabitur. L. Ita ſpero quidem. Tibi autem affirmo, me in iſto puerulo informando nullam laboris partem prætermiſſurum. Hoc porrò fidelis ac piæ matris eſt munus, quo tu perfungeris modò: optare ſcilicet & curare ſuos erudiri liberos: ne ſi manſerint literarum imperiti atq; rudes, haud minùs differant à doctis, quàm arbores infructiferæ à fructiferis, equi indomiti à domitis, & à viuis mortui. Quî vocare? mi paruule. P. Narciſſus. L. Conueniunt rebus nomina ſæpe ſuis.

ſuis. Scitam omnino ſtirpem procreâſti, & præſagum ipſi nomen indidiſti. Viſura es aliquando hunc virtute, & ſapientia florẽtiſsimum. M. Deus Opt. Max. faciat, vt huic formæ mores conſimiles ſint, aptæq́ huic membrorum compoſitioni, & coloris ſuauitati præclara animi ſpecies olim pulchritudoq́ reſpondeat. L. Iámne legere nôſti, Narciſſe? P. Noui. L. Et ducere literas? P. Ita. L. Lege quod typis impreſſum cernis in hac paginula. P. *Cùm & contra voluntatem meam, & præter opinionem accidiſſet, vt mihi cum imperio in prouinciam proficiſci neceſſe eſſet, in multis & variis moleſtiis legationibusq́ meis hæc vna conſolatio occurrebat, quòd neq́ tibi amicior.* L. Sufficit, perfectè legis. Libentérne frequentabis ſcholas? M. Permetuit virgas Domine, vt pueritiæ mos fert; alioqui non inuitus diſcit. Veruntamen in hoc metu illum eſſe haud inutile eſt. L. O Narciſſule, habe bonum animum. Niſi fueris incredibiliter turbulentus & ſegnis (quod minimè futurum credo) nihil graue patieris; ſed primum apud me amicitiæ locum tenebis, diſputatorum duces familiam, ſedebis loco primario, & quàm ſæpiſsimè brauio potiere. Nec me defectura eſt pomorum, ficuum, amygdalarum, & ſacchari copia, vnde crebra ſedulitati tuæ dem munuſcula. Tu, matrona, cures licet ne domi nimiũ luſib⁹ vacet inter coæuos ſuos, néue mulierum ancillarum blandimentis abſtrahatur à ſtudiis. Prouideas ne abſit à ſchola, niſi forſitan morbo teneatur. Progreſſus plurimùm impedit abſentia. M. Scilicet ita res eſt. Satis cõ-

tentè

tentè illum habeo, neq; ſinam vt abſit à gymnaſio. L. Emes libellos illi ad hanc ſcholam neceſſarios, & in diebus paucis in ludum mittes. M. Etiam. L. Vale. M. Communis ille omnium magiſter & imperator Deus te noſtræ iuuentutis moderatorem lectiſsimum, longiſsimo tempore viuum ac ſoſpitem præſtet.

ANNOTATIONES.

QVæſitum eſt à doctis, quo tempore literis tradendus foret puer. Summus ille iuuentæ moderator Quinctil. etiam ante ſeptimum ætatis annum id fieri oportere cenſet. Cur, inquit, non pertineat ad literas, quæ ad mores iam pertinet. Chryſippus, vt idē ſcribit, cum nutricibus triennium daret, etiam tum ab illis infantiam optimis inſtitutis informandam iudicauit. Lege cætera lib. 1. cap. 1. Alia ponitur quæſtio, maioréne cum fructu intra parietes domeſticos, an foris in ſchola, in celebritate coæuorum condiſcipulorumq́ erudiantur pueri. Complures, & ſanè quam idoneas rationes idem Quintil. affert lib. 2. cap. 2. quamobrem publicè docendi videantur, & aliud ſentientes refellit. Tertio loco quæri poteſt, ecquid extra fines patriæ inſtitutionis cauſſa mittendi ſint. Hac de re legendus Mapheus lib. 2. cap. 3. Cuius præterea conſilium eſt cap. 2. eiuſdem lib. ne ſubito multo diſcendi labore obruantur ingenia puerilia; quando nec aratores, nec equorum domitores id faciunt: illi dum iuuencos iugo, hi dum equulos fræno aſ-

ſueſa-

ſuefaciunt. Eadem ante ipſum Quintil. cuius eſt illa omnibus notiſsima ſimilitudo de vaſculis anguſti oris, quæ ſuperfuſam humoris copiam reſpuunt: ſenſim autem influentibus, vel etiam inſtillatis complentur. Præcipitur hoc quoq; prudenter à Mapheo: ne Magiſtri pueros aſsiduò in ſcholis cum cæteris morari cogant: ſed ſpectatores magis, quàm diſcipulos eſſe patiantur. Sicut vinitores periti nouellas vites non ſolent multùm extendere, quò vinum proferant, donec in ſtirpem robuſtiorem ſuccreuerint. Deniq; de officio Doctorum nec pauca, & perutilia diſſerit lib. 2. cap. 7. 8. 9. 10. ſparſim nonnulla etiam Quintil. lib. 1. & 2. TACTVRVS EST) *Quam Græci* μείωσιν *&* ἐλάττωσιν, *Latini imminutionem & extenuationem dixere: per quam ſe tetigiſſe aiunt, qui dicto factóue grauiter quempiam læſerunt, aut durius etiam verberarunt. Terent. Eunuch. Quo pacto Rhodium tetigerim in conuiuio. Id eſt, dicto aculeato vulnerauerim. Catull. Velut prati Vllimus flos prætereunte poſtquam Tactus aratro eſt. Propert. lib. 2. eleg. 34.*

Me iuuet æternis poſitum languere corollis,
Quem tetigit iactus certus ad oſſa Deus.

Vſurpatur item tangere pro fallere, fraudare, circumuenire, decipere. Plaut. Epid. Iſtis adeo tetigi te triginta minis. Et Pſeudol. Si neminem alium potero, tuum tangam patrem. Sic vſus eſt verbo, ferire, Terent. Phorm. Geta ferietur alio munere. EA PROPTER HVC ME AFFERO) *Terent. And. Haud auſpicatò huc me attuli.*

tuli. Id eſt, huc veni, huc acceßi, hic me ſtiti. Contrarium, aufer te hinc, abi, diſcede. Cic. ad Tiron. ſimiliter locutus eſt. Vt te Leucadem deportares, quomodo & Sophocles Antig. σὺ μὲν κομίζοις ἂν σαυτὸν ᾗ θέλεις. PRETIVM TIBI LARGE) δίδακτρον, mineruał. Largè autem, digniſsimi enim hi operarij mercede ſua. Sed reperiuntur quibus Magiſtri nimis grande mineruał exigere videantur, quiq́; mille denariis mancipium aut iumentum malint emere. Emant, & ſibi habeant duo ſeu mancipia, ſeu iumenta, vt reſpondit Ariſtippus cuidam. Plutarch. de lib. ed. EQVI INDOMITI A DOMITIS) Ariſtippi eſt, qui præterea interroganti quanam re melior eſſet euaſurus filius, ſi eum inſtituendum literis curaret: vt nihil aliud, inquit, certè in theatro non ſedebit lapis ſuper lapidem. Quod ſequitur de viuis & mortuis in dialogo, protulit Ariſtoteles. LEGE QVOD TYPIS IMPRESSVM) Cum pueri docentur legere, audiendus eſt Quintil. cuius hæc ſunt verba. Incredibile eſt quantum moræ lectioni feſtinatione adiiciatur. Hinc enim accidit dubitatio, intermißio, repetitio, pluſquam poſſunt audentibus: deinde cum errarunt, etiam iis quæ iam ſciunt diffidentibus. Certa ſit ergo inprimis lectio, deinde coniuncta, & diu lentior, donec exercitatione contingat emendata velocitas. FAMILIAM DVCES) Qui in re aliqua primam merentur laudem, primumq́; locum obtinent, ij ducunt familiam. Tralatio ab his, qui, quod poteſtate, aut honore, aut ſcientia præſtant, cæteros ducunt, & comites

mites habent. Muret.lib.4.cap.17. Manut. in Cicer-on. ep.5.lib.7. POMORVM, FICVVM) De genere & inflexione vocabuli, ficus, lege Vallam lib.1.cap.4. Legitur etiam ficulus, pro fructu, apud Plautum Sticho. Meminit huius moris Horat. Sat.1. lib.1.

Vt pueris olim dant cruſtula blandi
Doctores, elementa velint vt diſcere prima.

Qui huiuſmodi cruſta & cruſtula parant, coqui & artifices cruſtarij & cruſtularij dicuntur, Küchelbacher. Plato in 7. de Repub. non vi cogi pueros ad diſciplinas, ſed ludentes potius inuitari vult: vt appareat, ad quod quiſque genus ſtudiorum natura ſit idoneus. Veruntamen non debent iidem ſemper & ſecundi quidem flare venti. Nunc pluit, & claro nunc Iupiter æthere fulget. MVLIERVMQVE ANCILLARVM) Salluſt. Iugurth. Cum interim Hiempſal reperitur, occultans ſe in tugurio mulieris ancillæ. Omnis ancilla mulier, non quæuis mulier ancilla. Terent. And. Mirum verò, impudenter mulier ſi faciat meretrix. Plaut. Pœn. Lapis ſilex. Cæſar lib.3. de bello Gall. digitus pollex. Ibid. homo adoleſcentulus. Huiuſmodi apud claſsicos ſcriptores ſunt, terra Gallia, terra Italia, terra Græcia, terra Campania, & alia. IN DIEBVS PAVCIS) Idem prorſus valent, in diebus paucis, paucis diebus, intra paucos dies. Terent. And. In diebus paucis quibus hæc acta ſunt, vicina hæc moritur. Catull.

Cœnabis bene mi Fabulle apud me
Paucis, ſi tibi Dij fauent, diebus.

Propert. lib. 2. eleg. 19.

Tu quoties aliquid conabere, vita, memento
Venturum paucis me tibi luciferis.

PROGYMNASMA TERTIVM.

Euntes in ludum.

ANTONIVS, MARCELLVS.

ANTONIVS. Securúſne & timore expeditus in phrontiſterium vadis Marcelle? M. Quid tibi iſta percunctatione vis? explicá dum, non enim ſatis intelligo. A. Fabor ergo apertiùs. Contexuiſti epiſtolam, quam à nobis hodie requiret Præceptor? M. Contexui, & deſcriptam porto mecum. A. Præcurrit alacritas tua meam tarditudinem. Quanquam haud ita pigritia me, vt chartæ penuria, qua premebar, remorata eſt, fecitq́; vt meam non totam deſcripſerim: ſeriùs quippe adeptus ſum papyrum. M. Quid acturus, ſi popoſcerit? A. Dum veſtras emendat, interea quod reliquum eſt nullo negotio deſcribam. Hoc conceſſurum mihi ſpes eſt; ſiquidem aliis aliâs conceſsit. M. Oſtende ſis tuam ſcriptionem. A. Hem. M. Quàm fœdè tu pingis literas? gallinam ſcripſiſſe arbitror. Quàm item vacillant verſus? A. Dummodo legi queat ſcriptura, parui duco triſtia ſint an læta, pulchra viſu, an deformia elementa: verſus ad amuſsim nequeo

nequeo dirigere, quantumuis coner. Atqui non tam valde vtráque laude mihi anteſtas. M. Iudicium cæci. A. Aliter doceat me Præceptor, ſi ipſi diſpliceo cum iſtis illepidis inuenuſtisq; characteribus. M. Abhorrent iſtæ partes ab eius munere. A. At vnde diſcam tandem? Quid tu nunc mihi auctor es? M. Aliquem peritum adoleſcentem pacta pecunia conducant parentes tui, quem hanc ad rem magiſtrum capias. A. Attamen doctrina quoque ſpectati & clari homines plerumque inſcitè, & indecorè efformant figuras iſtas. M. Dici aliter non poteſt; verùm nõ idcirco ſunt docti: & tamen multi illorum decenter. A. Parentes mei (quod vitium ſenectus affert) attentiores ſunt ad rem quàm ſat eſt: defraudant genium ſuum: vereor vt illis perſuadeam. M. Adhibe procuratorem Magiſtrum, cuius vnum verbum huc plus valebit, quàm centum tua. A. Rogabo vt hanc mihi opellam ſurripiat. M. Cæterùm, quæ heri explicata ſunt in Cicerone, ſi te forte nominauerit, poteríſne repetere? A. Niſi ipſemet opituletur, parum bene: oblitus enim ſum quorundam, & quem domi interrogem habeo pręter parietes neminem. M. Hærenti ſubueniet. Ego inſuper, quoad eius facere potuero, tibi opem feram. A. Mi optime Marcelle. M. Sponden' te mutuum eſſe facturum mecum, ſi in eodem luto hæſitauero? ſi neceſsitudo poſtulauerit? A. Spondeo firmiter. M. Salua res eſt.

ANNOTATIONES.

TIMORE EXPEDITVS) *Quemadmodum apud probatos ſcriptores legimus curis expeditus, & curis expeditis, curis ſolutus & ſolutis, ſoluere animum cura, ſoluere curam, ita licebit dicamus timore expeditus, timore expedito, &c. Poſſunt etiam pronomen accuſandi caſu, & præpoſitio interponi.* Expedire ſe *ærumnis, expedire ſe ab occupationibus.* Dicimus item *expedire negotium, nodum, &c.* IN PHRONTISTERIVM) *à verbo* φροντίζω *cogito, meditor, commentor, deflectitur* φροντιστήριον, *locus ad commentandum, meditandum, cogitandum.* Locus nempe, in *quo cogitationes et ſenſa noſtra explicamus, atq; ad audientes proferimus.* Accommodatur ad ſcholam: ibi *ſiquidem Magiſtri diſcipulis ſua, & auctorum quos interpretantur cogitata mentemq́; explanant.* διδασκαλεῖον *quoque dici poteſt, à docendo:* διδάσκω *namq́; eſt doceo.* σχολὴ *eſt otium & ceſſatio.* Hinc ſchola, quod *à cæteris negotiis omnibus vacui atque liberi, in ea vnis tantùm ſtudiis impertiri nos debeamus.* Eodem vocabulo *diſputationes & controuerſiæ inter doctos agitatæ, & quæſtionum denique non leuium tractationes ſignificantur.* Gellius *cap. 26. lib. 1. diatribam nominat, græca item voce: ob ſtudium ſcilicet operamq́; liberalem, qua tempus diſcendo atq; audiendo conſumimus.* Latinè ludus, *quoniam generatim locus in quo quis exercetur,*

tur, ſic dicitur. Ludus gladiatorius, ludus muſicus, ludus fidicinus, ludus palæſtræ. Ac meritò quidem ludus, quando, vt alicubi Cicero ait, diſcendi voluptas potius eſt, quàm labor. Addimus interdum, literarius. Hinc ludum aperire. Cic. 1. Tuſcul. loquens de Dionyſio; quod parum latinè quidam; profeſſionem ſuſcipere. VACILLANT VERSVS) *Quid hoc ſit, ſequentibus ſtatim verbis de amuſſi declaratur. Cic. ep. 15. lib. 16. Accepi tuam epiſtolam vacillantibus literulis. Nec mirum, tam graui morbo. Vacillare memoria, ad Atticum.* DOCTRINA QVOQVE CLARI) *Vulgata ac propemodum vera opinio. Iſtuc enim negotium illi* ὃ τιμῶνται τῆς φροντίδος, *quemadmodũ Anacreon Polycrati Samiorum tyranno quinque talenta, quibus ab eo donatus fuerat, & ob quæ duabus noctibus ſomno caruerat, reſtituens dixiſſe fertur. Theodoſium minorem, Arcadij F. iam ad clauum ſedentem Nicephorus cap. 3. lib. 14. deſcribendis libris mirè delectatum, &* καλλιγραφώτατον, *multaq; eius manu exarata ad ſuã ætatem permanſiſſe, potuiſſeq; ipſum ea ſcientia vitæ ſumptum tolerare commemorat.* QVOD VITIVM SENECTVS) *Tenacitas & auaritia ſenum, effuſio iuuenum eſt. Illi quærunt, & inuentis miſeri abſtinent, ac timent vti; quoq; minus reſtat viæ, eò plus corradunt viatici. Nihil abſurdius. Hi vtiliũ tardi prouiſores, prodigi æris, vt inquit ad Piſones Horatius.* NECESSITVDO POSTVLAVERIT) *Neceſſitas & neceſſitudo, ſicut ſuauitas & ſuauitudo, ſanctitas & ſanctitudo idem ſunt, et*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

vtraq; vox coniunctionem beneuolentiæ, ſeu familiariorem amicitiam, conſanguinitatẽ, et id quod neceſſum eſt ſignificat. Gell. lib. 13. cap. 3. apud Salluſtium quidem poſterius frequenter ſanè. Vide inſuper Manut. in epiſt. vltimam lib. 2.

PROGYMNASMA QVARTVM.

Tardè ludum petentes.

EMMANVEL, EVSTACHIVS.

EMMANVEL. Saluus ſis Euſtachi. EV. O ſalue Emmanuel. Quò ire intendis? EM. In ſcholam. Quò te pedes? EV. Eôdem. EM. Vbi libri? vbi atramentarium? EV. Sub pallio & axilla geſtito. EM. Audiſtin' primam? EV. Pridem. EM. Ain' tu pridem? Væ nobis. EV. Quid conſternaris? aut quid metuis? EM. Quid metuam? quod ſolent ſerò venientes. ah. EV. Ego ſanè probabilem excuſationem adducam. EM. Obſecro, quam? EV. Mater me cum mandatis ad ſororium miſit, cuius reſponſum renuntiandũ fuit domum, & abſunt illius ædes à noſtris longius: eò tardiùs venio. EM. Quid ſi hanc rationem tanquam commentitiam repudiet? EV. Fiducia eſt id minimè facturum. Nam me ab huiuſcemodi mendaciunculis temperare nõ rarò expertus didicit. EM. Me miſerum, maliq; fati: quid machiner?

ner?quid confingam,cùm(vt hoc æſtiuum,& pomeridianum tempus etiam magno natu homines inuitare ſolet) ſomno captus obdormiuerim ſuper libro? in extremo ſitæ ſunt fortunæ meæ nec quid agam certum eſt. Ev. Si rem ipſam ingenuè confiteare, forſitan delicti gratiam faciet. Quid forſitan?certè faciet:exonera te metu. Em. Obtemperabo bene monenti: abſterſiſti metum. At enim ecce aliud mihi timorem obiicit. Ev. Aliud? dic quæſo. Em. Formido malè, ne hîc elapſus,alibi in caſſes incidam. Ev. Vbi? Em. Quæ memoriter pronuncianda præſcripſit, haud teneo abſolutè. Ev. Suſpicari fas eſt, non te inter primos interrogatum iri: tum ego qui ſecundus tibi ſedeo, ſuggeram diſsimulanter & fideliter. Em. Id,amabo,adiuta me. Summum tibi beneficium debuero, hoc ſi perfectum dederis: nam nunc ſpes opesq; meæ omnes in te ſunt ſitæ. Ev. Ambulemus contentiùs.

ANNOTATIONES.

QVO TE PEDES?) *Virgil. eclog.9. Quò te Mœri pedes? an (quò via ducit) in vrbem? Subaudimus, ducunt, portant, aut ſimile quid.* AIN' TV PRIDEM?) *Ain' tu? &, ain' tandem? dicere conſueuimus ea de re interrogantes, quæ ab alio dicta, admiratione nos affecit. Cic. epiſt. 21. lib. 9. Ain' tandem? inſanire tibi videris, quod imitere verborum meorum, vt ſcribis, fulmina? Ad Att. lib. 4. ep. 5. Ain' tu? an me exi-*

ſtimas ab vllo malle mea legi probariq́ꝫ, quàm à te? Et *epiſt.1. lib.6.ad famil.Ain' tu? Scipio hic Metellus pro-auum ſuum neſcit cenſorem non fuiſſe?* Terent. *Andr. Ain' tandem? ciuis Glycerium eſt?* Hecyra. *Ain' tu tibi hoc incommodum eueniſſe iter?* Plaut. *Aſinaria. Ain' tu meum virum hîc potare?* Conſule Manut. *in epiſt.21. lib.9.* POMERIDIANVM TEMPVS) *De meridiatione,ſeu ſomno meridiano nos quædam diſſeremus volumine tertio, cùm de re medica & morbis agemus.* Plaut. *Moſtell.* Non *bonus ſomnus eſt de prandio.* SOMNO CAPTVS) *Varias & elegantes locutiones creat adiectiuum captus,per metaphoram.* Exemplo *ſint hæ.* Captus *mente, pro deliro, captus amore, errore, dolis, verbis, voluptate. Illa de valetudine proſtrata, & offenſione partium humani corporis quam venuſta ſunt?* Captus *membris omnibus, captus oculis, captus auribus,captus pedibus. Auderem quoque dicere, captus lingua,captus manibus: captus naribus non auderem.* Eti-*am oculis captus is dicitur, qui rei alicuius ſpecie captus eſt & allectus, vt eam vehementer concupiſcat, & habere ardeat.* Cic. *6. in Verr.* Tametſi *ne oculis quidem captus in hanc fraudem tam ſceleratam ac nefariam decidiſti.* Turneb. *lib.8.cap.10.*

PRO.

PROGYMNASMA QVINTVM.

Redeuntes à gymnaſio.

ANDREAS, LVDOVICVS, TIBVRTIVS.

ANDREAS. Portenti ſimile numerandum. Hodie nullus plorauit in ſchola. L. Poſt meridiem fortaſsis eueniet, vt tu princeps fleas. T. Quid ſi vterque veſtrûm? A. Nos fleamus? quare fleamus? quid offendimus? L. Crimen aliquod fabricatus es, niſi aberrat ſuſpicio, cuius actionem nobis intẽderes: ibi ſi cauſſa ceciderimus, tu in noſtra incommoda & afflicta fortuna triumphabis gaudio. Si me audias, teipſum conſulas quid moliare: ineſt & formicæ ſua bilis. T. Minimè gentium ego quidem: veſtra vos ſingularis eximiáque virtus ad tribunal reos citabit. Dixi. A. Iſte Harpocrates indigniſsimè patitur, Ludouice, nos conferre capita, & quandoq; ſermones communicare in auditorio. Tanto magis confabulabimur, vt tibi oculi doleant. Ecquid intellexiſti? T. Vro hominem. Incedit laneis pedibus noſter doctor, & quò tardiùs, hoc grauiùs vindicare ſolet in noxios. Ecquid intellexiſtis? Quando autem excellenter vapulantes præ acerbitate plagarum miſerrimè vlulabitis, dupliceſq; ad ſydera palmas tendetis, tum ſcilicet cognoſcemus, quibus malè ſit, mihíne an vobis. L. Tun' optas virgis nos percuti? T. Opto vos cum ſilen-

tio diſcere: ſin id contemnitis, opto condignis decorari præmiis, vt metatis nimirum, quemadmodum ſementem facitis. A. Et quod lucellum ad te redibit, peſsime, ſi nos diuerberabimur? T. Lucellum? imò enimuero quàm plurimum lucri. L. Quodnam eſt iſtud lucrum, quod iſte ſomniat? nequeo perſpicere. T. Vt gaudeam de conſeruata iuſtitia, quæ cuique quod ſuum eſt tribuit. A. Hoccine illud immenſum infinitumq́; compendium? credebam te exſpectare tot talenta, quot Alexander Rex Phocioni Athenienſi miſiſſe dono fertur. L. Eſtné aliud quod nobis exprobres maleficium? T. Eſt ſanè. A. Quin dicis? T. Dicam liberrimè. Tantum non quotidie, cùm è memoria recitandus eſt Cicero, libros veloci oculo inſpicitis, & ſuggeritis inuicem, in quibus vacillat memoria, ea aſtutia, vt Magiſter vix aduertat. L. Non me fefellit, te iſtuc exprompturum. Quid tua (malùm) intereſt quomodo nos geramus? nunquam tu huiuſmodi præſidiariis indiguiſti. T. Studioſus nunquam, deſidioſus ſæpiſsimè. A. Quis poteſt, niſi capite ferreo, & viſceribus æneis vſque adeo ſe macerare ſtudiis vt tu? L. Diligit ſe Tiburtius, & magnificè circumſpicit, albæ gallinę filius. Vtcunq; merebitur, non conſulet in ipſum paullò duriùs Præceptor. T. Quanto rectiùs, ſi conaremini vos quoque penitus intrare in eius amicitiam? at bonis artibus, modeſtia nimirum atque induſtria, quas ille amat, cùm diſcipulos amat. A. Morem habes deferendi condiſcipulorum nomina, & es clandeſtinus noſter Iudas; propterea nempe blanditur tibi. Phuij. T. Tu vt me

tam

tam maledicè appelles? nõ hoc tibi ſic abibit; non, haud feres tacitum: ad Magiſtri aures perueniet. L. Ne faxis Tiburti. Meminiſti, ob conuitium non diſsimile in Lambertum pronuper iactum, quàm atrocem pœnam ſuſtinuerit? T. Cur ergo (nefas) ictus piſcator non ſapuit? L. Quid vis? lingua mentem anteuertit. Roga veniam Andrea: alioqui cribrum carnificinum futurus. T. Parũm etiam præ vt futurum eſt prædicas. A. Eia ignoſce Triburti: prę vibicibus etiamnum vix poſſum ſedere. T. Itaque iam tergum dolabitur fuſtibus, quoniam alibi recentibus plagis, vt te affirmantem audio, non eſt locus. A. Obteſtor te per fortunas meas, chariſsime Tiburti, ſi vnquam poſthac. T. Tam ſubitò ex Iuda factus ſum huic conuiciatori chariſsimus? quis riſum teneat? L. Quid quaſſas caput? ſine te placari. T. Egóne vt contumeliam tam inſignem in me accipiam? A. Per Chriſtum te rogo, ne inaudiat Præceptor. L. En quàm ſuppliciter. Ne ſic te obfirmaueris. Adeóne ingenio te eſſe inexorabili, vt precibus iſtis molliri non queas? an vis vt tibi flens muliebriter ad pedes accidat? At meæ ſaltem voluntati ac precibus iniuriam iſtam dolorémque tuum condona, eiusq; memoriam abiice. T. In Chriſti gratiam tacebo nunc quidem. A. Aſperſiſti aquam, rediit animus. T. In eiuſdem gratiam, ſi denuo tale quid, ſiue aduerſus me, ſiue aduerſus aliũ quemcunque euomentem te audiuero, Præceptori palàm faciam, ne inultum auferas. Satin' hoc planè, ſatin' diſertè ſum locutus? L. Cauto opus erit, Andrea.

ANNOTATIONES.

PORTENTI SIMILE) *Cic.1.de Diuinat. Quorum quidem vim, vt tu ſoles dicere, verba ipſa prudenter à maioribus poſita declarant. Quia enim oſtendunt, pertendunt, monſtrant, prædicunt, oſtenta, portenta, monſtra, prodigia dicuntur.* PRINCEPS FLEAS) *Vocabulum, princeps, apud maiorum gentium latinos auctores frequentiſſimè non dignitatis, ſed ordinis eſt. Atq; inde natum arbitror, vt dignitatem quoq; ſonaret. Etenim qui aliquo in ordine primi ſunt, fermè etiã cæteris antecellunt.* Cic. de Inuent. Exordium princeps omnium debet eſſe. *Idem ad Att. lib.2.* Ego princeps in adiutoribus, ego ſecundus. *Et Accuſat. lib.2.* Omnium nationum princeps Sicilia ſe ad amicitiam & fidem populi Romani applicuit. *Cæſar lib.1. de bello Gall.* Ea pars princeps pœnas perſoluit. *Lucretius lib.1. de* Iphianaſſa, *ſeu* Iphigenia Agamemnonis.

Nec miſera prodeſſe in tali tempore quibat,
Quod princeps patrio donârat nomine Regem.

Id eſt, quod prima patrem feciſſet Agamemnonem, cùm ante ſorores, & ante fratrem eſſet progenita. Horat. Ode 16. lib.1.

Fertur Prometheus addere principi
Limo coactus particulam vndiq;
Deſectam.

Principem limum vocat lutum, ſeu argillam, è quà poëtæ fictum primum hominem à Prometheo Iapeti filio *fabulantur.* Ouid. lib.1. Metamorph. *Rurſum* Horat. Ode

vlt.

vlt. lib.3. Princeps Æolium carmen ad Italos Deduxiſſe modos. Ait ſe primum inter Latinos Lyricum extitiſſe, ante ſe nullum. Virgil.5. Æneidos de nauibus Æneæ.

> *Princeps ante omnes denſum Palinurus agebat*
> *Agmen, ad hunc alij curſum contendere iuſſi.*

Plura teſtimonia, pluresq́ auctores mitto prudens, ne paullò humaniori videar ſoli lumen inferre. FLEAS) *Lamentari propriè mortuos dicimur, & mulieribus hoc verbum magis conuenit. Terent. And. Quia tum mihi lamentari præter cæteras viſa eſt. Et Phorm. Miſeram, ſuam matrem lamentari mortuam. Cic. de Orat. Matrémne vt miſeram lamentantemq́ videam? Pacuuius. Conqueri fortunam aduerſam, non lamentari decet. Id viri eſt officium. Fletus muliebri ingenio additus. Flere eſt emittere lacrymas & vocem: plorare lacrymas tantùm. Gemere in pectore. Eiulare eſt ſublata voce flere, quod ad mulieres pertinet. Lamentari eſt voce querula & triſti oratione calamitatem teſtari ſuam. Hæc Muret. in Terent.* DIXI) *Lepidè, quaſi contra eos egiſſet in iudicio. Nam oratores cauſſa perorata addebant, Dixi. Et hoc erat mittere in conſilium. Id eſt, Iudices dimittere ad dicendam ſententiam. Budæus in Pandect. Euripid.* εἴρηται ὁ λόγος. ISTE HARPOCRATES) *Deus quidam apud veteres ita effingebatur, vt primo digito labris admoto ſilentium indiceret, qualis Romæ Angerona Dea colebatur. De qua ſcriptum eſt apud Plin. lib.3. cap.5. his verbis. Namq́ Diua Angerona, cui ſacrificatur*

ad

ad diem XII.*Kalend.Ianuarij,ore obligato obſignatoq́ſimulacrum habet.* Reddere *ſeu efficere quempiam* Harpocratem,*eſt illi ſilentium imponere,eum quaſi mutum & elinguem reddere.* OCVLI DOLEANT) *Iis dicuntur dolere oculi, qui rem moleſtam ſibi & odioſam coguntur aſpicere. Iis etiam apud Græcos, qui rem pulchram atque iucundam cernerent, qua tamen frui non poſſent. Lege caput 5.lib.2.apud Victorium.* LANEIS PEDIBVS, ET QVO TARDIVS) *Parœmia, Dij laneos habent pedes. Quo docemur, diuinum numen ad capiendas de ſceleratis pœnas non feſtinare.In eos tamen necopinantes tandem animaduertere, & plerunq; quò ſeriùs, eò ſeuerius. Cæſar lib.1. de bello Gall.* Conſueſſe *Deos immortales,quo grauius homines ex commutatione rerum doleant, quos pro ſcelere eorum vlciſci velint, his ſecundiores interdum res, & diuturniorem impunitatem concedere. Tibull. lib.1. Sera tamen tacitis pœna venit pedibus. Valer. lib.1. cap.1. Lento enim gradu ad vindictam ſui diuina procedit ira: tarditatemq́ ſupplicij grauitate compenſat.* PHOCIONI ATHENIENSI) *Centum talenta miſit Rex Phocioni. Idem Xenocrati quoq; magnam vim pecuniæ. Ad C. Fabricium & Curium Romanos Samnites multum auri attulerunt. Hi omnes qua animi magnitudine oblata recuſauerint, quidq́ fecerint ac reſponderint, vide Plutarchum in Phocione, & in Apophthegmatis Regum ac Ducum. Cic. in Catone, & in Off. & V. Tuſcul. Athenæum lib. 10.cap.5. Ælian. lib.1.cap.25. Laert.in Xenocrate,*

Gellium

Gellium lib. 1. cap. 14. VISCERIBVS ÆNEIS) χαλκέντερος, *id eſt, ænea ſeu ferrea inteſtina habens. Sic cognominatus eſt Didymus Grammaticus, quē librorum 4. millia ſcripſiſſe affirmat Seneca epiſt. LXXXVIII. vbi etiam docet, quàm inanes quæſtiunculas ſit perſecutus. Propter indefeſſum in ſtudiis, ſcribendisq; libris animum etiam Origenes dictus eſt Adamantius.* AT BONIS ARTIBVS) *Latini & virtutibus & vitiis artium nomen tribuunt. Ter. And. Nihil iſtac opus eſt arte ad hanc rem quam paro: Sed his quas ſemper in te intellexi ſitas Fide & taciturnitate. Plaut. Trin. Aut ſi ægrotant in te artes antiquæ tuæ. Salluſt. Catil. Namq; auaritia fidem, probitatem cæterasq; bonas artes ſubuertit. Et paullò ſupra. Agitabatur magis magisq; indies animus ferox inopia rei familiaris, & conſcientia ſcelerum, quæ vtraque iis artibus auxerat, quas ſupra memoraui. Cic. pro lege Manil. Sed multæ ſunt artes eximiæ huius adminiſtræ comitesq; virtutis. Ac primùm, quanta innocentia, &c. Eſt ergo vnum hoc de communibus, ancipitibus, mediis vocabulis, vt tempeſtas, valetudo, facinus, dolus, gratia, induſtria, periculum, venenum, contagium, pretium, fortuna. Gell. lib. 12. cap. 9. In hunc ordinem referenda ſunt, honeſta turpitudo, felix ſcelus, & alia nonnulla tum græca tum latina, de quibus Robertus Titius lib. 4. cap. 1.* NON HOC TIBI SIC ABIBIT, NON) *Eleganter geminata negatio. Catull. Non, non hoc tibi ſalſe ſic abibit. Propert. Non, non humani partus ſunt talia dona. Apud*

Cic.

Cic.quædam interponuntur. Ad Att.epiſt.9.lib.1. Nõ ſunt ab obſequio noſtro, non: ſuas radices habent, ſic enim legendum cenſuit Manut. pro, nam: qui in eiuſdem epiſtolæ comment. exempla plura huius figuræ loquendi ex Cic.collegit. Eadem vis ſentitur in voce, nihil. Agraria 2. Nihil ſibi appetit præcipuè Pompeius, nihil. CRIBRVM CARNIFICINVM) Plaut. Moſtell.

O carnificinum cribrum, quod credo fore,
Ita te forabunt patibulatum per vias
Stimulis, ſi huc reueniat ſenex.

Indicat loris, flagris, & virgis eius pellem ita laceratum, perforatum ac pertuſum iri à lorariis tanquam carnificibus, furcam in collo per viciniam geſtantem, prædicantemq́; delictum ſuum, quod ſeruis alicuius facinoris compertis fiebat, vt cribri ſpeciem exhibere videatur. PER FORTVNAS MEAS) tuas, noſtras, &c. genus obteſtationis in re miſera, nec vnquam ſine dolore, quod omnia vndique ex antiquis libris collecta exempla teſtabuntur. Manut. in epiſt.20.lib.3.ad Att. Idem tamen in epiſt.7. lib.10. ad eundem. Vſurpatur hic loquendi modus cum dolore, aut certè cum ſumma cupiditate obſecrantis, &c. NE INAVDIAT PRÆCEPTOR) Huius verbi, inaudire, vis hæc eſt, vt non niſi de rebus occultis vſurpetur. Vt in epiſtola ad Pætum. Aquini & Fabrateriæ conſilia ſunt inita de me, quæ te video inaudiſſe. Et apud Plautum, aliosq́; eiuſdem generis ſunt exempla. Manut. in epiſt.1. lib.6. ad Att. AD PEDES ACCIDAT) Germana huic; Ad genua ſeu genibus accidere,

procumbere ad genua, ad pedes ſe abiicere, proſternere, ad pedes procumbere, procidere, ad pedes ſe prouoluere, Græci προσπίπτειν. Cur autem ſupplicantes ad genua caderent, eaq́ tangerent, cauſſa aſſertur, quod illa conſecrata eſſent miſericordiæ, vt dextra fidei, aures memoriæ, frons pudori, ſeu Genio, digiti Mineruæ. Seruius in Eclogam 6. Iunius lib.2 .cap.11.

PROGYMNASMA SEXTVM.

Excuſatio abſentiæ.

MAGISTER, ANIMADVERSOR, ANTONIVS, IOANNES, MARCVS.

MAGISTER. Euge animaduerſor, adeſdum. A. Adſum, impera. M. Quinam heſterno die ſcholam non obierunt? A. Qui? Antonius Niger, Ioannes Faber, Marcus Syluius. M. Perpaucos memoras. A. Reliqui ad vnum omnes coram præſentes affuerunt. M. Extra eos videlicet, qui munuſculis te elinguauerunt. A. Hoc quidem aliâs cùm tentarent nonnulli, ſemper Auſtrum perculerunt. M. Probatus es adoleſcens, & Magiſtro tuo fidelis. Heus, prodite vos in medium, repente, ſtatim, ſine mora. An nondum etiam? confeſtim, inquam, aduolate. Quid habes Antoni dicere ad excuſandam abſentiam? A. Ingens quidam, & intolerabilis dolor occupauerat ſinciput meũ. Quocirca mihi in mandatis dabat

mater, extra ędes pedem ne vſquam ponerem. M. Fabulæ. Tibi vt credam? non ego te noui? A. Si verbis meis exigua apud te eſt fides, certum hominem ad matrem & familiares indagatum allega. M. Logi. A. Haud ſecus reperies. M. Somniũ. Quaſi verò tu, vt es callidus & verſipellis, hoc tuis non impoſuiſſes, tibi nimirum condolere caput. Studebas verberationem effugere, quæ propter ſegnitiem te manebat. A. Neutiquam, Prẹceptor: non impoſui profectò; reuera nihil finxi. M. Poterône hodie verũ ex iſto puero exſculpere? Caue mihi mendacij quidquam. A. Vera loquor. Si aliter fuerit ac dixi, cauſſæ nihil erit, quin tibi dem pœnas. M. I ſeſſum; rem ego nunc quidem in medio relinquam. Tu bone Faber, quo negotio implicatus tenebare? I. Pater quopiam profectus animi gratia, me perduxit illuc ſecum. M. Quò profectus. I. In villulam noſtrã, quæ aliquot millia paſſuum ab vrbe diſtat. M. Cur pridie à me copiam non petebas? I. Noctu hac de re deliberauit pater: tum multo mane in viam nos dedimus, vt ad te adire nequiuerim, nec voluerim, quòd verebar vt cubitu ſurrexiſſes. M. Dictum inopinatũ atque mirabile; te alioqui ſomniculoſiſsimum, id temporis, ſub galli cantum ſcilicet, experrectum. I. Videre me ſomnum haud ſinebat gratiſsimæ promiſsionis exſpectatio. M. Quin tu exoraueras patrem, vt hoc promitteret? I. Factum eſt vt patre ſecundo villam amœniſsimam petiuerim, ibique animum ſtudiorum perpetuitate fatigatũ triduo iſto inſtaurauerim. Proinde, amabo mi Prẹceptor, parcẹ vltra quærere, quandoquidem te clam non

eſt,

eſt,quanto me opere ſchola delectet, nuſquam vt ſim libentius. M. Qui tibi inceſsit metus plagarũ inſolitus, hic de improuiſo oratorem te reddidit. Nunc condonabitur erratũ.Poſthac niſi quoquo modo de abſentia certiorem me feceris, verberibus te cædam,vt ſi in piſtrino moleres.Percepiſti? I. Planiſsimè. M. Reſtat vt te quoq; purges,ſolute adoleſcens,& omniũ inertium inertiſsime. Quid egiſti ? aut vbi fuiſti ? aut quare in ludum non veniſti? Quid eſt Sylui? quid taces? MAR. Exiſtimabam eſſe ferias literarias. M. Ridiculum.Hóccine os tuum ? iſtáne frons tua ? Ecquid, ô inſulſe, nudius tertius aut quartus primùm auditiones obire cœpiſti ? quomodo ? an tu neſciebas vacationi diem Mercurij conſecratum? Hîc ego te manifeſtum mendacij teneo. MAR. Aſt mihi occurrebat heri Mercuriꝰ.M.Aſt ego faxo tibi hodie Tiſiphone accincta flagellis occurrat.Lepidum capitulũ. Téne errare in iſto negotio tam antiquo, tam noto,tam vulgato? Quamobrem autem horis antemeridianis ſaltem non comparuiſti in hoc loco? Prætexis culpam hoc figmento:non fit mihi veriſimile quod ais. Illi illi ſodales & congerrones tui aliquò te ambulatum,aut luſum auocarunt.Para; mox tibi virgis corium conſcribam. MAR. Miſer, ah miſer, cui tam malè vertit dolus. Sed te obteſtor, vnam hanc dimitte noxiam ; ſi quando rurſus admiſero,tum occidito. M. Nihil agis.

ANNOTATIONES.

ADESDVM) *Ades, imperatiuum eſt, dum,* παρέλκον. *Eſt enim productio & adiectio ſyllabæ, vt*

Ebodum ad me.Donat.in And. Non tam verò ſignificat, veni huc, quàm hîc eſto, hoc age, attende, ades animo. QVI?) *Feſtiuè per verbum eius qui cum loquimur, ac præſertim extremum reſpondemus aut interrogamus* ταυταλογικῶς *ſcilicet. Cuius feſtiuitatis exempla in Plauto & Terentio ſexcenta, & in hiſce quoque dialogis non pauca. Adducamus tamen aliquot. Terent. And. Factum eſt hoc Daue? D. factum. Ibid. Aut ſi tibi nuptiæ hæ ſunt cordi? P. Cordi. Idem Phorm. Scíſne hoc certo? G. Certò. Plaut. Amphit. In eodem lecto? A. In eodem. Ain' tu geminos? B. geminos. Cic. ad Att. lib. 7. Coronatus Quintus noſter Parilibus? Parilibus. & pro Sex. Roſcio. Patri, inquit, non placebat. Patri non placebat?* AD MATREM, &c. ALLEGA) *Quæ ſit proprietas & vis horum trium, allegare, legare, ablegare, quidq; differãt, Cardinal.* QVIN TIBI DEM POENAS) *Idem eſt quod dare alicui ſupplicium, puniendum ſe præbere ſcilicet. Terent. And. Eunuch. Plaud. Epid. Catull.* SOMNVM HAVD SINEBAT) *Cura vehemens & affectus ingens inſomniam conciliant. Quare ſub noctem defæcandus eſt animus, vt ſopor ſuauis oculos operiat, quo ſe priuatum propter immodicam ex verſuum eius elegantia conceptam delectationem Catull. ad Licinium conqueritur. Et Cic. ad Attic. lib. 9. epiſt. 12. Sed cum me ægritudo non ſolum ſomno priuaret, verùm ne vigilare quidem ſine ſummo dolore pateretur.* PATRE SECVNDO) *Elegans huius voculæ vſus eſt pro, fauente, amico, beneuolo, fœlice ac proſpero. Horat. ode 10. lib. 2. Sperat*

infeſtis,

infeſtis, metuit ſecundis Alterã ſortem bene præparatum Pectus. Sic apud eundem rumore, omine, Aquilone ſecundo. Secundis & aduerſis auribus aliquid accipere Liuius. Secundæ admurmurationes, fortuna ſecunda Cic. Exiſtimatio ſecunda Sueton. Clamor ſecundus, curſus ſecundi Virgil. TISIPHONE) *Furias Acherontis & Noctis filias tres inducunt Poëtæ, Tiſiphonen, Alecto, & Megæram, de quibus Ouid. in 4. Metamor. & in 6. Æneid. Virgil.* TE NE ERRARE IN ISTO) *Iſtiuſmodi orationes per modum infinitiuum cum accuſ. caſu ad animi affectum vehementiorem exprimendũ aptæ ſunt, ſubauditurq́ue, oportet, æquum eſt, credibile eſt, cenſes, putet, credat aliquis, &c. Cic. ep. 1. lib. 14. Me miſerum, te iſta virtute, fide, probitate, humanitate in tantas ærumnas propter me incidiſſe. ep. 2. eiuſdem lib. Hem mea lux, meum deſideriũ, vnde omnes opem petere ſolebant, te mea Terentia ſic vexari, ſic iacere in lacrymis & ſordibus? Virgil. 1. Æneid. me ne incœpto deſiſtere victam? & paullò poſt. me ne Iliacis occumbere campis Non potuiſſe? tuaq́ue animam hanc effundere dextra? Plaut. Perſa. ſiccine hoc te mihi facere?* HORIS ANTEMERIDIANIS SALTEM) *De vi & origine vocis, ſaltem, lege quæ tradit Gellius lib. 12. cap. 14. & Donat. ad illud Terent. And. Vt aliquot ſaltem nuptiis prodat dies, & Adelph. ad illud. Meum mihi reddat, ſaltem quanti emptus eſt, Syre. Barbari dicunt, ad minus.* CORIVM CONSCRIBAM) *Plautus dixit, virgis dorſum ſcribere. Et in Pſeud.*

Quaſi in libro cum ſcribuntur calamo literæ,
Stilis me totum vſq; vlmeis conſcribito.

Corium autem perſæpe humani corporis pellem iocosè nominat. Catull. quoque ad Thallum, à quo pallium ſibi & ſudarium ſurreptum indignatur.

Quæ nunc tuis ab vnguibus reglutina & remitte,
Ne laneum latuſculum, manusq; mollicellas
Inuſta turpiter tibi flagella conſcribillent.

Hoc verbi, conſcribillo, ex Varrone iterum affert Nonius.

PROGYMNASMA SEPTIMVM.

Calami præparatio.

VEDASTVS, BALTHASARVS.

VEDASTVS. Cùm haud inuenuſtè pingas elementa, doleo tibi nec chartam eſſe bonam, nec calamos aptos. B. Ab his ſingulis fateor me inopem. Charta nec candida multùm, nec firma & plana, ſed aſpera, ſcabra, & pilis paruiſsimis plena; quos cùm à calami crena detraho, mora ſcriptioni affertur; quod ſi non detraho, ſcis ipſe quales efformētur literę. Sed quod intolerabiliùs mihi accidit, etiam perfluit: verùm hæc culpa ſit atramēti potiùs, quod cum eſſet heri ſpiſſum valde, aqua nimia effecit dilutiſsimum & ſubalbidum. Calamos ad vſum accommodare cultello prorſus neſcio; & te etiam atq; etiam vehementerq; rogo, vt hanc rem me doceas, ſi ipſe ſcias. V. Miſeret me tui, qui pæne ſolus ignores, quod

quod condiſcipuli tui didicerunt magnam partẽ. B. Libera tu me iſta ignorantia. V. Auſculta igitur. Anſerinę pennę ſunt ad ſcribendum inprimis appoſitæ, iisq́ plures vtimur, ac ſæpius quàm pauonum aut cygnorum; quarum illæ nimis ſunt duræ, hæ nimis amplæ; quanquam diutius bonæ permanent atque anſerinæ. B. Teneo. V. Ex his ipſis anſerinis meliores iudicantur, quæ ſunt pellucidę, mediocriter durę, caule longiore, ampliore, firmiore. Quæ autem habent caulem breuem, anguſtum, & ſunt admodum duræ, vt quæ inhærent extremę alę, non probantur. B. Iam nouerim deligere pennas. V. Vbi delegeris, ita parabis. Reſcindes caudam, plumulas vtrinq; detrahes, ſcalpelli tergo cauum pennę leuigabis, extremũ caui, ſeu caput reſcindes ex vtraq; parte, antrorſum & retrorſum; hoc modo, vt fiat bifurcata (aſpice). Tantum porrò reſecabis, quãtum latus eſt vnguis auricularis digiti. B. Meminero. V. Poſt hæc in dorſo crenam facies; id eſt calamum cuſpide cultelli, ſiue extremo cultello iuſtè per medium ſcindes, ſic, vt fiſsio ſeu inciſura diametro dorſi pariter pæne æqualiterq́ reſpondeat. Tum vbi adhuc aliquãtillum deorſum à fronte exſecueris, à dextris & ſiniſtris acuere calamum, & mucronem facere perges; ſeu ęquabis duos illos pedunculos, ſiue cruſcula. Nunc me vide, quomodo indita crena vtrumque horum abſoluam. B. Obſeruo. V. Raſtellum hoc, quem mucronem antea vocaui, temperatæ gracilitatis eſſe debet, de quo quanto plus abſcideris, tanto habebis calamum obtuſiorem, & grandioribus notis ducendis aptiorem:

dextera tamen pars, in quam calamus dum ſcribimus incumbit, ſit aliquanto altior ſiniſtra, quod diſcrimen adeo ſit minutum, vix vt perſpiciatur. Age experiamur hunc noſtrum. Accipe, vide an placeat. Quare ſic eum capis? B. Sic aſſueui. V. Tene pollice, & medio digito, molliterq́ ſuperpone indicem, ſic: ita minùs vacillabit manus, & firmiùs eam chartæ imprimes. Sit autẽ brachium vſq; ad cubitum liberum dum ſcribis, & pondere ſuo tabulæ ſeu pluteo innitatur, tota autem manus auriculari. Intuere me ſcribentem. B. Imitabor te ad vnguem, & quibuſcunq; officiis potero, tuam erga me humanitatem aut obruam, aut exæquabo.

ANNOTATIONES.

PARVISSIMIS) *Hoc ſuperlatiuo ſemel, iterum, ac tertiùm vſus eſt Lucret. lib. 1.*

Præterea niſi erit minimum, paruiſsima quæq;
Corpora conſtabunt ex partibus infinitis.

A CALAMI CRENA) *Subtilem illam, & paruam ſectionem in dorſo calami, quo is atramẽtum remittat, ſimilitudine quadam crenam vocemus licet.* Nam *extremum ſagittæ, cui neruus inſeritur, & ſumma arcus cornua, cui extrema nerui aptãtur crenæ dicuntur à ſectionibus & inciſuris.* Et *crenata quædam herbarum folia.* N*oſſe porrò quæ charta proba, quæ non proba, quomodo rectè apparetur calamus ſcriptorius, & quæ ſint eius genera, qua ratione excellens coquatur atramentum, quis ſit modus venuſtè literas pingendi, quæ ſtudioſorum denique inſtrumenta ad vſum commodiora,*

ra, hæc, inquam, & ſimilia noſſe haud indecorum eſt adoleſcentibus iis, qui ad artes ingenuas omne ſuum ſtudium contulerunt. Eſt etiam ratio de iis rebus purè ac propriè loquendi paucis nota: quandoquidem et ſimplices earum voces, & coniunctionem plurimi penitus ignorant. Quorum ignorantiæ toto hoc volumine conabimur ſuccurrere. Sciendum nihilominus, in talibus circuitionem, metaphoram, catachreſin eſſe neceſſarias.

AVRICVLARIS DIGITI) Habent ſua cognomenta digiti vtriuſuis manus, quorum ſatis eſt manifeſta ſignificatio. Lege nihilominus Iſidorum lib.11.cap.1. Sed quare is qui minimo ſiue auriculari eſt proximus annularis dicatur, ſeu potius quamobrem annulo decoretur (nam inde adeptus eſt id nomen) cauſſam explicant Gellius lib.10.cap.10. Macrob.lib.7.cap.13.

PROGYMNASMA OCTAVVM.

Elementorum conformatio.

IOSIAS, EXVPERIVS.

IOSIAS. O ſcitiſsimum archetypon, ô ſpecioſiſsimas litteras, ô illecebras. Diuina, quod aiunt, virgula adeptus es hanc elegantiam. Sed vnde? E. Meus germanus patris iuſſu manu ſua mihi confecit. I. Vbi porrò ipſe didicit ductus hoſce bellisſimos? E. Semper huius artificij cu-

pidus fuit, & in quendam magiſtrum anno proximo ſuperiore incidit, qui Latinas, Græcas, Germanicas pingebat excellentiſsimè. I. Exemplar & prototypon quoddam mihi quoque datum eſt muneri ab amico: verùm præ tuo ſordet. En. E. Quare contemnis? ſi ad iſtum modum ac formã effinxeris elementa, vti in hac tua papyro efficta conſpiciuntur, iudicabo te oleum non perdidiſſe. I. Atqui optima imitandi cupido aſsiduè verſat animum meum. E. Atqui hîc non quæritur optimum. I. Laudatur tamen. E. Non nego. I. Oſtende ſis mihi tuam manum. E. Ecce. I. Quaſdam exprimis propemodum perfectè, quaſdam non aſſequeris, quod pace dixerim tua. E. Paulatim, & conſuetudine imitandi aſſequar. I. Prô quàm decentia f. quàm decora p. q. & omnes denique caudatas literas facit ille frater tuus? E. Quid notas grandiores? nónne amas? I. Mirificè. E. Aſpice A, vide D, & M. tanquam ſi ex typis æneis in chartam eſſent impreſſæ. I. Ipſa verò quæ alphabeto ſubiecta eſt ſcriptura, quàm ad lineam rectam ſine linea directis verſibus? quàm æqualibus ſurſum ac deorſum elementis? Vnum te volo. E. Vel decem. I. Nónne tibi præcepta dat pingendi, & lapſus corrigit? E. Certè: & nonnunquam ſua manu meam, tenẽtem calamum comprehendit, atque alienis digitis pingit, vt ego tractibus literarum hac ratione aſſueſcam. I. Inires à me non vulgarem gratiam, ſi exemplum à fratre mihi curares. E. Difficulter inducam. Nihilominus quoniam te tanto ſtudio pulchrè pingendorum characterum ardere animaduerto, curabo,

bo, vt voti compos fias. I. Quotum intra diem polliceris daturum in manus? E. Intra quartum. I. Perlubenter gratiſsimum hoc donum tamdiu expectabo, cogitabóque interim, quo te honorario remunerer. E. Sic habeto, me gratuitò hoc operis non eſſe facturum.

ANNOTATIONES.

TVAM MANVM) *Dicta eſt manus, vt vult Iſid. quod ſit totius corporis munus. Ipſa enim cibum ori miniſtrat, ipſa operatur omnia atq; diſpenſat: per eam accipimus & damus. lib. 11. cap. 1. Sunt autem notiones huius vocis diuerſæ, quæ vt modo recenſeantur, non eſt neceſſe. Tantum hoc breuiter monendum, capi pro figura ipſa literarum, quas alij aliter, & quidam pulchriùs, alij deformiùs ducere ſolemus. Sic verò Ciceronis exemplo loquemur. Hoc eſt aliena manu, mea, tua, ſua manu, ſubaudi, ſcriptum. Hæc eſt librarij, Petri, mea, tua manus. Amo te de iſta manu, ſeu, amo manum tuam. Scripſi iſtuc mea manu, non, propria manu.*

ET CONSVETVDINE IMITANDI ASSEQVAR) *Quid ni tantillam rem aſſiduitate & diligentia conſequamur, quando vel difficillima, & vix ſperabilia non aliter conſequimur? De quo dicerem, niſi id aliis locis arbitrarer fieri poſſe commodius. Nunc, quoniam proximum eſt nomina ſcribere, poſtquam literas cœperit effingere puer, auſcultemus Quintil. illumq;*

hanc

hanc operam in vulgaribus, & forte occurrentibus perdere ne ſinamus. Plura dialogo ſequenti.

PROGYMNASMA NONVM.

Eiuſdem materiæ.

DAMASVS, ALBANVS.

DAMASVS. Tam artificioſè tamq́ graphicè characteres Romanos effingere, tanta proportione, & tam compoſitè mutuò reſpondentes, verſibus præterea paribus interuallis à ſumma pagina ad imam vſq; diremptis, & nulla omnino in parte vacillantibus, dic ſodes quid tandem vtilitatis affert? A. Modus ipſe quærendi tuus, clamat te iſtuc in quæſtione ponere non debuiſſe. D. Quid ita non? A. Quoniam oſtendit non diſplicere tibi hanc manus meæ elegantiam. Atq; vt agam apertiùs: delectaríſne, ſi quando quidpiam à me exaratum aſpicis? D. Ac multùm profectò, non ſecus, quàm ſi nitidam, & collustratam picturam intuerer. A. Hæc igitur vna eſt vtilitas, vt mearum literarum veluti pictura tuis aliorumq́ oculis blandiatur, lectoresq́ meos voluptate quadam nec illiberali demulceat. D. Bene tu quidem hactenus, ſed plura deſidero. A. Ego ipſe quoque (id quod omnibus mei ordinis vſu venire exiſtimo) propterea libentiùs, faciliùs, maio-

maioreq́ cum iucunditate ſcribo. Adde quòd lectu expeditior eſt venuſta, quàm ruſtica, indocta, imperitaq́ manus; nec aliud in cauſſa eſt, quare tantoperè typis deſcriptos libros amplectamur, nobiſcumq́ feliciter actum credamus, ſi calamo ad illorum typorum venuſtiſsimam ſpeciẽ quàm proximè acceſſerimus. D. Negari non poteſt, manum tuam exquiſitam, probè diſtinctam & luculentam eſſe. Nunc da, quibus viis ac rationibus ad huius ſcientiæ facultatem perueneris. A. Quorſum id noſſe expetis? D. Etiam tu hoc rogas? Vt facere queam ſimilia. A. Si animum huc aduertas, narro tibi. D. Aſto auidiſsimis auribus. A. Principiò percommodum fuit exemplar, in quo erat alphabetum maioribus minoribusq́ literis compoſitum. Nec ibi ſolùm completæ & integræ, verùm etiam imperfectæ, parteſq́ & fruſtilla earum viſebantur. Oſtẽdebatur item, quo pacto iſta fragmenta coagmentanda eſſent, vt abſolutum literæ corpus efficeretur. Verbi cauſſa; ducebatur ab alto virgula ad hunc modum l. appingebatur minutus ſemicirculus dextrorſum, ſeu inuerſum c, ſic, ɔ, vt docerer b componere, ſi illi porrectæ deorſum ad angulos rectos lineolæ hanc notam copulâſſem. In d. idem præſtabatur, propoſito c. ſic tamen, vt poſtquam c illud cum virgula coiuiſſet, puncti inſtar de infimo eius extra emineret. In maiuſculis eadem planè ratio cuſtodiebatur. Sed vt rem clariùs cognoſcas, ipſum tibi prototypon demonſtrabo, ſi fuerit occaſio. D. Optatiſsimum acciderit. A. Poſthæc binæ, ternæ, quaternæ connectebantur,

vt,

vt, ab. do. mi. ptu. flo. gran. trum. Subiiciebatur adhuc vocum ſeries, quæ aliquam animantem, arborem, herbam, morbum, inſtrumentum indicarent, eæq; haud ita vulgatæ ac tritæ. Tandem breuiores ſententiolæ, vt illæ (nam edidici, ſicuti vocabula de quibus dicebam) *Vacare culpa magnum eſt ſolatium. Medio tutiſsimus ibis. Feſtina lentè. Neſcis quid veſper ſerus vehat. Homo bulla.* D. Videtur Magiſter hoc exemplar meditatus confeciſſe. A. Credo. D. Quid erat nouiſsimo loco? A. Lõgior ſcriptura, ſex, ſeptem verſuum ſcilicet, quæ ad virtutem excolendam me hortabatur. Ex Platone, Tullio, aut Seneca, vt reor, deprompſerat. D. Nec illius te capere debuiſſet obliuio. A. Non cœpit. Erat autem concepta his verbis. *Altũ quiddam eſt virtus, excelſum, regale, inuictum, infatigabile: voluptas humile, ſeruile, imbecillum, caducum, cuius ſtatio ac domicilium fornices & popinæ ſunt. Virtutem in templo inuenies, in foro, in curia, pro muris ſtantem, pulueruleutam, coloratam, calloſas habentem manus: voluptatem latitantem ſæpius, ac tenebras captantem: circa balnea ac ſudatoria, ac loca ædilem metuentia, mollem, eneruem, mero atq; vnguento madentem, pallidam, fucatam, & medicamentis pollinctã.* D. Quid? tantúmne ſæpius inſpectanda hac formula perdidiciſti hoc tuum artificium? A. Non. D. Quid egiſti hoc amplius? A. Sua manu Præceptor meã complexus moderabatur ac dirigebat. Iubebat item tenuiſsimæ ac ſubtiliſsimæ papyro membranam ſubſternere, in qua ineſſent feſtiuiſsimè

picta

picta elementa, cum egregiè concinnata ſcriptura, & calamum ſuper literas per chartam ſatis tralucentes ducere, vt ſic ductibus earundem æmulandis aſſueſcerem, & habitu quodam confirmarer. Quinimò ſtylo plumbeo interdum literas cùm exarâſſet, eas me atramento tegere, & de liuidis nigras reddere volebat. Cæterùm ne facerem inæquales, eas, inquam, quæ vel ſurſum lineas non proiiciunt, vel infra non demittunt, vt vocales, & conſonantes c. m. n. r. &c. applicata regula trahebat lineas duas anguſto ſpatio diſtãtes, intra has mãdabat mihi vt ſcriberem aliquid. Idem in grandioribus ſeruaui, quarum inter ſe omnium æqua eſt magnitudo. His ego exercitationibus vſus, quantum cernis proceſſum effeci. D. Si nanciſci poſſem magiſtrum æquè ſcientem ac peritum, diſcerem hanc artem ſanè. A. Si ſollicitus quæras, puto te inuenturum. D. Difficillimè: paucorum eſt enim bella manus: contrà, malè pingentium numerus infinitior quàm frondium in ſyluis, piſcium in vndis.

ANNOTATIONES.

QVID TANDEM VTILITATIS) *Duæ vtilitates καλλιγραφίας infra ponuntur: & ab illo loco:* Principio percommodum fuit, *rationes quinque enumerantur, quibus pueri elementa ductu calami conficere docebuntur. Quintil. Non eſt aliena res, quæ ferè ab honeſtis negligitur, bene ac velociter ſcribendi.* FESTINA LENTE) *Aug. Imp. & dicere*

in

in ſermonibus, & ſcribere in epiſtolis ſolebat, σπεῦδε βραδέως. *Per quod monebat, vt ad rem agendam ſimul adhiberetur & induſtriæ celeritas, & diligentia tarditas. Gell.lib.10.cap.11. Atque hoc dictum nummis quoq; ſuis exprimebat, cum terminum fulmini coniungeret, ſicuti anchoram delphino Titus Imp. Crebro etiam iactabat illud: ſat celeriter fieri, quidquid fiat ſatis bene. Sueton. Octauio, cap. 25. Catonis quidem eſt: ſat citò, ſi ſat bene. Quintilianus lib.1. cap.1. verſus huiuſcemodi morales pueris ad imitandum in ſcriptura proponendos ſuadet. Non otioſas velim, inquit, ſententias habeant, ſed honeſtum aliquid monentes. Proſequitur hæc memoria in ſenectutem: & impreſſa animo rudi, vſque ad mores proficiet.* NOVISSIMO LOCO) *Gell.lib.10.cap.21. hoc verbum Ciceronem fugiſſe narrat, vti etiam aduerbium, nouiſſimè, quibus tamen plures illa ætate vterentur, quod ea veluti non latina haud probaret. Priore nihilominus vſus eſt pro Q. Roſcio. Alterum inuenias epiſt. 24. lib. 10. Planci ad Ciceronem.* SVA MANV PRÆCEPTOR MEAM) *Vide quæ ſint hac de re apud eundem eodem cap. Quintilianum inquam.*

PRO-

PROGYMNASMA DECIMVM.

Orthographia.

SEPTIMIVS, ANSELMVS.

SEPTIMIVS. Si tibi faciendum videtur, Anſelme, conferamus inter nos, quæ ante meridiem à Magiſtro de orthographia accepimus. A. Ordire, ego cœpta perſequar. S. Tu maior, & plura tenens memoria. Si quid effluxerit iam tibi, fortaſsis id mihi occurret, tum repente ſubiiciam. A. Affirmabat igitur, illam ſe ſtatuere orthographiam probatiſsimam, & præcipuè complectendam, quæ cõſtaret perbene formatis literarum figuris, quæ haberet verſus ad amuſsim extenſos, minimeq́; velut à recto tramite vſquam deflectentes. S. In hiſce duobus ipſemet magno nobis exẽplo eſt: quis enim eo pingit venuſtiùs? quis tam recta linea? Verùm hæc potiùs ornamẽta ſunt quædam orthographiæ, quæ ne doctis quidem ſingulis contingunt, nec illi magnoperè inflammato eorundem ſtudio rapiuntur. A. Sic eſt vt ais. Attamen cùm ornamenta hæc amemus & admiremur in aliis, quid eſt quòd ipſi nõ conſectamur? S. Quod erat tertium? A. Quod? ſcire quæ cùm Latinæ ac Romanæ, tùm Græcę, hoc eſt, è fontibus Græcorum in latinitatem deriuatæ transfuſæq́; voces (quarũ innumerabilis eſt mul-

titudo)diphthongo; quæ vocali, & quanam ſcriberentur; quibus conſonantibus vbi addendum aſpirationis indicium. Quid ſequebatur? S. De tonis ſeu accentibus neſcio quid. A. Iam recordor. Noſſe etiam quo tono, acuto, graui, inflexo vbi vtendum. Adhæc de interpunctionibus, quæ videlicet nota hypodiaſtoles diſiungenda, quæ per ὑφ' ἓν coniungenda, quando demum ſyllaba porrecta ſuper ſe puſilla linea inſignienda, quando ſemilunula inferiore ad breuitatem indicandam, quando comma, quando puncta, quando bina puncta, ſeu colon, quando interrogationis ſignum, quando parentheſeos nota adhibenda. S. Dicebat in orthographia locum eſſe non deriuationibus duntaxat, notationibus, ſiue etymologiis, originibus, ſed conſuetudini etiam; videndumq́; quid ſolerent eruditi: qui ſi diſcreparent, & alij hoc, alij alio modo verbum idem ſcriptitarent, plurium valere oportere iudicium. A. In reprehenſionem deniq; vocabat eos, qui cum peruicacia manuſcriptis codicibus, ſaxis ac numiſmatis vetuſtis adhærerent; quoniam illi ſculptores, ſcalptores, monetarij ſæpius illiteratiſsimi fuiſſent. Locutos quidem latinè, vti nos omnes patria lingua Teutonicè loquimur, non tamē idcirco ſciſſe Grammaticam; & ita falsò putari myſterium atq; auctoritatem grauiſsimam, quæ eſſet alicuius idiotæ opificis mera inſcitia. S. His addebat inſpiciendos crebrò decoris typis in typographio deſcriptos libros, illosque imitandos. A. Vltimum proponebat hoc pręceptum. Non ſolùm formas literarum decoras ſtudiosè

con-

contemplari, ſed aſtare etiam ſcriptoribus librariis, & ductus atque tractus quàm diligentiſsimè obſeruatos intimis ſenſibus mandare. Hoc quale eſſet, ſimilitudine ante oculos ponebat. Vt enim viua vox magis nos afficit quàm lecta in libris & muta; ſic ipſa manus ſcriptoris multò vehementiùs imprimit in animo ideam elementi: ſeu potiùs rationem ipſius conformandi, quàm ipſum ſolum iam in charta abſolutum, & relictum elementum. S. Hæc ferè audiuimus hodie: cras & deinceps reliqua exſpectemus. A. Non omittendum illud præterea conſilium quod dabat. Vt orthographicos libellos Aldi Manutij Pauli F. aliorumq́ue voluéremus. S. Diu eſt cùm hoc factito.

ANNOTATIONES.

HOC *progymnaſmate aliquot, & quidem, vt videmur, bona, nec difficilia orthographiæ præcepta complexi ſumus, quæ Magiſter induſtrius diſtinctè diſcipulis, & paucioribus verbis ediſcenda commendabit. Noſtri autem propoſiti non eſt hæc & ſimilia ex inſtituto perſequi. Quin autem nonnulla ὁδοῦ πάρεργον, & tanquam aliud agentes tractemus, facere nequimus: quãdoquidem Latinitatem in re literaria διαλογικῶς perſequimur.* IN TYPOGRAPHIO) τυπογραφεῖον *locus eſt, in quo formis æneis libri deſcribuntur, inuento duorum fratrum apud Moguntiam, primiq́ue omnium excuſi Lactantius Firmianus, & Auguſtinus de ciuitate Dei. Typographia ipſa deſcriptio, ſeu γραμματόθεσις.*

Ineptè igitur ac falsò, In typographia fui, ſi locum intelligas. Verùm hæc & alia id genus infinita, quæ in lingua latina quaſi herba irrigua ſuccreuerunt vberrimè, quorumq́; licet meſſem metere maxumã, vt eſt apud Plautum, curioſius emendare velle ac diligentius, vereor ne ſit docere cancros rectà ingredi.

PROGYMNASMA VNDECIMVM.

Dimißio improuiſa.

GORGONIVS, THEOBALDVS, EVSEBIVS.

GORGONIVS. De ſcholáne? T. De ſchola. G. Proripuiſtis vos inde, an poteſtatem abeundi obtinuiſtis? T. Neutrum. G. Quid igitur exeũdi tempus antecapitis? nec dum enim ſecundam audiuimus, & exiri ſolet ad quartam demum. E. Quin taces? non diſplicebit tibi ſimul rem intellexeris. Bonum factùm te in nos incidiſſe, lætitia & lubentia onuſti incedimus. G. Expedite breui. E. Præceptor nos dimiſit luſum. G. Hui, luſum? Dies Mercurij præſtitutus eſt, ad quem exerceantur ludi, non dies Martis. T. Sciſcitare ex aliis ſi lubet, & ſi inueneris ſecus, mentitos dicito. G. Ain' tandem ita eſſe vt dicis? T. Quidni aiam? G. Quapropter dimiſit hodie? quid natum eſt noui? quid viro in mentem venit? E. Duplex

Duplex cauſſa, G. Cedò. E. Vna, quia miſit ſanguinem è brachio dextro, quod videbamus illum geſtare in mitella bombycina & nigra. T. Altera, quia hodie dabit natalitia. G. Mulſa loquimini: iam aſſentior. Eſt enim vtraque cauſſa perquam veriſimilis; & in memoriã regredior aliâs quoque nos ideo iuſſos redire domum, quia cum amicis diem ſuum natalem acturus erat. T. Nobis nec opinantibus hæc fortuna obtigit: ſiquidem ita ingreſsi eramus gymnaſiũ, tanquã veteri more exituri. G. Eu, probè. Nemo igitur hanc gratiam extorſit? E. Nemo, quod ſciam: ſponte ſua benefecit nobis. G. Omnium quantũ eſt qui viuunt hominũ optimus eſt homo. Verùm in iſto conceſſu ſeu liberalitate ſui magis quàm noſtri rationẽ duxit: nam hæc lux, qua ipſe primùm lucem hanc aſpexit, & vitales auras hauſit, omnino hilaris ei, & ſine vlla perturbatione moleſtiáque ſumenda eſt. E. Nos luſum vadimus rectà. G. Siccine eſt ſententia? E. Sic. G. Celeriter reuertar, & adiungam me vobis tertium. T. Vola curriculò: hunc diem ſuauem & amœnum agitabimus.

ANNOTATIONES.

BONVM FACTVM TE) *Plin. de viris illuſtribus, vbi de Scipione Africano. Bonum factum ſi in Capitolium eamus. Sueton. Vitellio ca. 14. Et Chaldæos dicere, bonum factũ ne Vitellius Germanicus intra eundem Kalendarum diem vſquã eſſet. Plaut. Pœnulo. Bonũ factum eſt, edicta vt ſeruetis mea. Horum verborum vſus erit propriè in edictis, quibus illa veteres boni ominis*

cauſſa præponere ac præſcribere præfariq́ ſolebant. Tertull. Edictum cui adſcribi non poterit, bonum factum. Turneb. lib. 3. cap. 22. & alij. EV, PROBE) *Particula approbantis ſeu laudantis, Græcè* εὖ, *bene, rectè, optimè.* QVANTVM EST QVI VIVVNT HOMINVM) *Catullus creber eſt in illis. Et quantum eſt hominum venuſtiorum. O quãtum eſt hominum beatiorum. pro, quotquot ſunt, ſeu quàm multi ſunt homines venuſti, beati. Sic Plaut. Perſa. Exi è fano, quantum eſt hominum ſacrilegiſsime.*

PROGYMNASMA DVODECIMVM.

Serus in ludum aduentus.

MAGISTER, DISCIPVLVS.

MAGISTER. Quouſq; tandem hoc feſtiuiſſimum lepidiſsimumq; fruſtum diſcipuli ad me audiendum, multo iam die, vltimũ omnium ventitabit?

Tota mihi dormitur hyems, & pinguior illo
Tempore ſum, quo me nil niſi ſomnus alit.

inquit apud Martialem glis. Eho, adſpice ad me, ſomni mancipium. Videte vt illi turgent oculi, vt ſoporis adhuc pleni ſunt. Impexũ eſt caput, illota facies, non apparet circum collum intima tunica, pendet indecorè in ſiniſtrũ latus palliũ. Quid eſt quod ſtata hora nunquã expergiſceris? auſcultate,

vt opplebit aures meas vaniloquentia. D. Credas mihi affirmãti, tam matutinus hîc adeſſem, quàm iſtorum vllus, ſi quiſpiã domeſticorũ è ſomno me vellet excitare. M. Eia verò, lauda te aliquantulũ. Quid tu ais? non te ad quintã, ſerò vtiq;, capit dormiẽdi ſatietas: vt è lecto allubeſcat ſurgere, explicata relegere, ediſcenda ediſcere, quò paratior ſcholam intres? D. Enimuerò non poſſum profectò vltro expergiſci. M. Null9 ergo domi tuæ ſeruus, nulla eſt ancilla, quæ te ſtertentem excitet? D. Sunt famuli, ſunt ancillæ: at enim ne ipſi quidem primo diluculo ſuos lectulos deſerũt, ſomnoq́;, vt nos pueri, æquè paſcuntur. M. Vah, iſta ratio põderoſa eſt. Parentes autẽ quî tandem hoc patiuntur? D. Neſcio, conniuent. M. Auſim ſponſionem facere, ni tu ab illis excitere. Sed illa ipſiſsima cauſa eſt: è ſtrato, vbi concaluerit, inuitiſsimè te moues, nunc potiſsimùm ſumma hyeme, ne conglacies. D. Ama me, illa veriſsima cauſſa eſt quã expoſui, nec alia. Proinde iram tuã mollire velis, & animum in me quietiorem accipere. M. Tu igitur (infandùm) ex tanta diſcipulorũ frequẽtia repertus es vnicus, qui neq; per te euigiles, neq; per aliũ. Quàm timeo ne mihi verba des. D. Non te circũuenio. M. Dedam alicui negotiũ, qui domi quęrat num ita ſit, vt tute narraſti modò. Si mentitũ deprehendero, neq; fidem in poſterũ dictis tuis tribuam, & pro fallacia iſta meritã tibi mercedẽ dabo. Iam ne hoc tenes? D. Oppidò. Fortaſsis nõ fatebuntur illi culpam ſuam. M. Immò fortaſsis fatebuntur culpam tuam, & dicent te ab ancilla clarè inclamatum nihil conſueſſe reſpondere; ſimiliter

militer ac ſi etiam tum arctè, & grauiter dormires. Quid ſi iteratò clamet & minetur, te nonnihil ſurrigere caput, & ſtridulo gutture quidpiam murmurare, velut porta in cardine; rurſumq́ſuper puluinum illud demittere, ac placidè, vt antea, ſopori indulgere: & hanc eſſe vigilantiam tuam, videriq́; aut præacutis ſudibus te fodiēdum, aut faces tibi admouendas. D. Quod libido eorum feret comminiſcantur: ipſi tamen gallos canentes nihil morantur; non ſurgunt. M. Tu verò ne poſt crebram quidem ancillarum vociferationem potes ſomnum excutere, ô pigerrime homuncio. Sed nunc intempeſtiuè de ſomnolentia tua longo ſermone vtimur, diemq́; conficimus. Cognoſcam de domeſticis tuis. Si fueris verax, rem tuam feceris meliuſculam: ſin erit, vt vanitatis in te culpam admiſeris, tuipſe clamore tuo omnes Endymionas vigilantiſsimos præſtabis. Aſſequeris, puto, quorſum hęc ſpectet comminatio. D. Admodum, Præceptor.

ANNOTATIONES.

FRVSTVM DISCIPVLI) *Qui non eſt integer, qui non eſt totus diſcipulus, non verus, nō germanus diſcipulus. Cauſſa patet. Plaut. Rud. propriè & per hyperbolen. Loquere tu etiam fruſtum pueri? Id eſt, qui propter breuiſsimam ſtaturam tuam magis dicendus es pars pueri, quàm puer.* INTIMA TVNICA) *Sic Gellius libro 10. cap. 15. Vulgò induſium, ſubu-*

ſubucula. Quidam non inſulsè, linea, & lintea tunica. AVSIM SPONSIONEM FACERE) *Quid ſit ſponſio, quibus verbis conciperetur vide Sigonium lib.1. de iudiciis, cap.21. & Budæũ in Pandect. Exponit etiam, quid ſit ſponſionę & ſacramento contendere, Manut. in ep.21. lib.7.* NE CONGLACIES) *Verbum glaciare tanquam actiuum extulit Horat. ode 10. lib.3. Et poſitas vt glaciet niues Puro numine Iupiter? Cic. conglaciandi verbum abſolute 2. de nat. Deor. Tum aquæ declarat effuſio, quæ neq; conglaciaret frigoribus, neque niue pruináue concreſceret. Cælius ad Cic. Curioni noſtro tribunatus conglaciat. Obſeruauit Lamb.* GALLOS CANENTES) *Martial. lib.14. Criſtatas lucis aues pulcherrima periphraſi appellat.*

Surgite, iam vendit pueris ientacula piſtor,
Criſtataq; ſonant vndiq; lucis aues.

Ouid. autem 2. Faſt. Iam dederat cantum lucis prænuntius ales. Plin. lib.10. cap.21. Proximè gloriam ſentiunt & hi noſtri vigiles nocturni, quos excitandis in opera mortalibus, rumpendoq; ſomno natura genuit. Norunt ſidera, & ternas diſtingunt horas interdiu cantu. Cum ſole eunt cubitum, quartaque caſtrenſi vigilia ad curas laboremq; reuocant. Nec ſolis ortum incautis patiuntur obrepere, diemq; venientem nunciant cantu, ipſum verò cantum plauſu laterum. Et alia ibidem pulchra de gallis gallinaceis. Iam verò cauſſam, cur ante lucem galli canant ex Democrito his verbis reddit Cicero lib.2. de Diuinat. Depulſo enim de pectore, & in omne corpus

diuiſo & modificato cibo, cantus edunt, quiete ſatiati: qui quidem ſilentio noctis, vt ait Ennius, fauent faucibus. Lege fabulam Æſopi de muliere vidua & ancillis, quas ad gallorum cantus excitare ad opera conſueuerat. ENDYMIONAS) *Canunt poëtæ Endymionem à Ioue ſomnum petiiſſe perpetuum, & captum amore Lunæ, quoniam hominum primus, vt ait Plinius lib.2. cap.9. motus eius varietatem ac diſsimilitudinem deprehendit. Cic.1.Tuſcul. Quaſi verò quiſquam ita nonaginta annos velit viuere, vt cum ſexaginta confecerit, reliquos dormiat. Ne ſues quidem id velint, non modo ipſe. Endymion verò, ſi fabulas audire volumus, neſcio quando in Latmo obdormiuit, qui eſt mons Cariæ, nondum (opinor) experrectus.*

PROGYMNASMA
DECIMVMTERTIVM.

Silentium & attentio.

SIGISMVNDVS, COELESTINVS.

SIGISMVNDVS. Dupliciter peccatur in gymnaſio quotidie, ab aliis hoc, ab aliis illo modo. C. Quæ ſunt iſta peccata? S. Confabulari, & Præceptori non attendere. C. Qui prius deſignant, vtroque tenentur. S. Ita prorſus exiſtimo. Verùm qui aliud agunt, alibi oculis curioſè diuagantur, pingunt animalia, equites, ſtultos, libellos ineptos

ineptos legunt, chartas & ſcamna conſcindunt, illi in poſteriore genere culpam caſtigabilẽ committunt. C. Verè dictum ſentio,& noui quorum iſta eſt conſuetudo. S. Tu ipſe vnus de illis es. C. Egóne. S. Ita,nę. C. Falsò hoc in me vitium confers. S. Mentiri non eſt meum. C. Attentiſsimè audio. S. Non ſemper. C. Si quando eorum quę tu commemorâſti aliquid ago, quaſi ſi quid per tranſennam inſpicerem, & leui brachio id fit. S. Vt eleuat hic peccatum ſuum? C. Haud eleuo: vt loquor,ita res eſt. S. Quin eſt quando ſermunculos feras cum proximis. C. Demiror tantum tibi eſſe otij à rebus tuis, vt aliena cures. S. Tam ſine pudore id perpetratis,vt non poſsim non notare; videret vel cæcus,audiret etiam ſurdus. C. Viciſſim te captabo. S. Capta, non capies tamen. Sed extra iocum: deſiſte,ſi te amas, ab huiuſmodi virtutibus, & noli cùm teipſum priuare tantarum vtilitatum fructu, tùm alios impedire. C. Quos alios impedio, cum tenuiſsimo ſono loquar? S. Qui propiùs tibi aſsident, dextrà, ſiniſtrà,& à tergo. C. Apage cum ſuperſtitioſa iſta religione tua. S. Amicè monenti volens obſecunda, & boni conſule: alioqui coactus, non mihi, ſed Magiſtro flagris te operienti obſecundabis. C. Adeo infanda hæc tibi peccata videntur? S. Magna procul dubio ſuo in genere. Nam quid indignius,ac turpius in ſchola delinqui poſsit, haud diſpicio. C. Niſi aut ego mutus fiam, aut tu obſurdeſcas, difficilè pax inter nos erit. S. Tu conſidera quorſum eas, & quid tibi futurum ſit. Auceps quando concinnauit aream, offundit cibum; aues aſſueſcunt,

ſcunt,ſæpe edunt:ſemel ſi ſunt captę,rem ſoluunt aucupi. C. Intelligo parabolam. Opere maximo dabitur opera,ne fraudi ſit hoc aucupium.

ANNOTATIONES.

PER TRANSENNAM) *Prouerbium, ortum à negotiatoribus & mercatoribus, qui cancellos vimineos, aut ligneos mercibus obiiciunt, quæ tranſennæ dicuntur, quod per eas aſpectus tranſeat. Per huiuſmodi igitur tranſennas non ſigillatim, ſed ſummatim, nec prope, ſed procul res videntur. Cic. 1. de Orat. Quin tu igitur facis idem, quod faceres, ſi in aliquam domum plenam ornamentorum veniſſes? ſi ea ſepoſita, vt dicis, eſſent, tuq́; valde ſpectandi cupidus eſſes; non dubitares rogare dominum, vt proferri iuberet, præſertim ſi eſſet familiaris: ſimiliter nunc petes à Craſſo, vt eam copiam ornamentorum ſuorum, quam conſtructam vno in loco quaſi per tranſennam prætereuntes ſtrictim aſpeximus, in lucem proferat, & ſuo quidq́; loco collocet. Vt igitur per tranſennam aliquid inſpicere, eſt non prope, nec diligenter, & in tranſitu inſpicere, ſic quaſi per tranſennam aliquid agere, erit idipſum agere obiter: tranſlatione ab oculis ad ſenſus alios, id quod ſæpe fit.* LEVI BRACHIO) *Hoc, vt etiam illo, molli brachio, opera indiligens ſignificatur. Hinc molli brachio aliquem obiurgare, leui brachio aliquid agere. Cicero ad Atticum. Tranſlatum à parentibus & magiſtris fortaſſe, qui remiſſius filios ac diſcipulos verberant.* QVID TIBI

FVTV-

FVTVRVM SIT) *Quod admirantes, aut de malo aliquo ſiue accepto ſiue accipiendo interrogantes dicere ſolemus, Quid illi contigit? quid de illo fiet? quid mecum agetur? quid de iſto faciam? & ſimilia.* Latini *ſic multò venuſtius; quid illi quid mihi fiet? quid illi, aut, illo factum eſt? per dandi ſcilicet atq; etiam auferendi caſum, omiſſa præpoſitione.* Cic. *epiſt.* 1. *lib.* 14. *Si nos premet eadem fortuna, quid puero miſero fiet?* Ibid. *epiſt.* 4. *Quid Tulliola mea fiet?* In Verr. *Quid hoc homine facies?* Terent. And. *Quid me fiet?* Plaut. Trinum. *Si quid eo fuerit.* NE FRAVDI SIT HOC AVCVPIVM) *Fraus pœnam quoque, damnum, periculum & incommodum veteribus ſignificat, non modo deceptionem, fallaciam, atque dolum.* Liuius *lib.* 1. *Rex, facíſne me tu regium nuntium pop. Rom. Quiritium? Quod ſine fraude mea, populíque Romani Quiritium fiat, facio.* Cic. *ad Lentulum epiſt.* 5. *Si quid ex his rebus, quas tibi fortuna largita eſt, nonnullorum hominum perfidia detraxerit, id maiori illis fraudi quàm tibi futurum.* Et pro Cluent. *Quæ res nemini vnquam fraudi fuit. Id eſt, nunquam pœna dignam exiſtimarunt, vel, nunquam damno fuit.* Terent. Heaut. *In eandem fraudem ex largitate nimia, atque ex parſimonia incides. Id eſt, vtrumq; perinde damnoſum eſt.*

PRO-

PROGYMNASMA DECIMVMQVARTVM.

Suggeſtio.

MAGISTER, STEPHANVS diſcipulus.

MAGISTER. Sæpenumero cum minis ſeueriſsimis interdixi vobis pueri, ne ſuggereretis recitantibus: vos nihilominus, qui mos eſt veſter, idem peccatum peccare non deſinitis, & patientia mea nimium abutimini. Iam poſtremùm moneo, prædico, & antè denuntio, tibi præſertim capillate, tibi bone Stephane, quem obſeruaui pręter cęteros in iſta noxia contrahenda diligentiſsimum, niſi temperaueritis ab iſta intempeſtiua beneuolentia, non ego mihi temperabo ab iracundia. S. Non ſoleo tam frequenter. M. Non ſoles? nemo quiſquam frequentiùs. Proſpice rebus tuis: nam acriter vlciſcar te, ſi vel ſemel ampliùs ſuggerentem conſpexero. S. Spero mitiora. M. Spera quę vis, quod acciderit patienter ferto. S. Oportet me gratum eſſe aduerſus bene meritos. M. Etiam tu taces? Illa merita tua merebuntur, quod dixi, præmium. Itaque niſi finem datis mutuò bene merendi, & imperium meum minuendi, faciam ego vt huius diei, lociq́ꝫ, meiq́ꝫ in omnem vitam memineritis. Et ego quidem verberando, vos vapulando defatigabimini. S. Crudele promiſſum. M. Nihil hoc genere puerorũ pernicioſius in ſchola. Quid enim? dum

hinc

hinc inde, dextra leuáque, antrorſum, retrorſum ſuggerunt, quæ recitantes obliti ſunt, illos reddunt ignauiſsimos, & ipſi exſpectatione ſimilis beneficij, ſocordia ſocordiores fiunt. Quiſque ſui memor, vt pœnam ne ſentiat, punienda ne deſignet.

ANNOTATIONES.

IDEM PECCATVM PECCARE) *Atticiſmus eſt* χαίρειν χαρὰν, φόβον φοβεῖσθαι σπονδὰς σπένδεσθαι, *Æſchyl. Promet.* ἔα με νοσεῖν τὴν δὲ τὴν νόσον, *& ſimilia multa, quæ etiam non luculenter græcè doctus nouit. Latini eodem modo, furere furorẽ, gaudere gaudium, canere cantilenam, currere curſum, ſomniare ſomnium, metere meſſem, pugnare pugnam, ludere ludos, aut ludum, quo poſtremo vſi ſunt Plaut. Moſtell. Terent. Eunuch. Horat. Ode 29. lib. 3.* CRVDELE PROMISSVM) *Hoc quaſi non audiente magiſtro, ſummiſſa voce, aut auerſo ad condiſcipulos vultu dici intelligendum eſt, vt ſæpe fit apud Comicos. Tale fuit, quod dialogo ſexto in extremo poſuimus, cum puer mendax iam cædendus ita loquitur. Miſer, ah miſer, cui tam malè vertit dolus.*

PROGYMNASMA
DECIMVMQVINTVM.

Abſentes.

BENE-

BENEDICTVS, AVGVSTINVS.

BENEDICTVS. Multorum dierum interuallo non te vidimus in gymnaſio, Auguſtine; nec tamen fuit, quod miratus ſum vehementer, cum Præceptor te requireret, aut mitteret, qui, vbi eſſes, & quid ageres inueſtigaret. Cur abſuiſti? A. Malè me habebam: idq; vt ne lateret Magiſtrum, curaui, quo bona cum eius venia, & tutò abeſſe liceret. B. Meritiſsimò non apparuiſti; ſi quidem eſt, vt autumas. Conualuiſtine? A. Nondum plane me confirmaui. B. Quamdiu ægrotaſti? A. Quamdiu me in ſchola non conſpexiſti. B. Haud equidem recordor quantum temporis abierit. A. Dies compluſculi, vndeuiginti omnino. B. Quid erat morbi? A. Febricula. B. Quo medicamento ei ſubueniſti? A. Inedia prope ſola, qua maximos quoſq; morbos, & grauiſsimos depelli ſolere, aiebat Magiſter auctores in medicina claros & nobiles aſſerere. Vacuus mihi venter crepitare: ego flocci pendere. B. Facili negotio conſequêre, quæ interim præcepta nobis & explicata ſunt. A. Sic mihi perſuaſi; & in eam rem, ſi non recuſas, vtar tuis ſuppetiis. B. Repetam tibi omnia, & rectiſsimis tuis atque optimis ſtudiis non grauatè obſequar. Quãdo te rediturum cenſes? A. Secundum natalia Domini. At tu quid vagaris? cur non es in ludo? B. Eram in itinere cum libris: ecce tibi, pompa procedit ferentium inſtrumenta pugillatus. Ego illos ſequi in aulam curię: ibi ludicrum illud certamen certantes ſpectaui voluptate mirifica. Nam vbi ætas maturuerit, eandem artem addiſcere cogito: quandoquidem diſci-

diſciplinis liberalibus non eſt aliena. Noui perplures literatos, eoſdemq́ꝫ pugiles non ſpernendos. A. Craſtina luce quam expurgationem habebis? B. Intendenda erit aliqua fallacia, quæ me virgarum periculo eximat: nox dabit conſilium. Si mendacium dixero, ſolens meo more fecero. A. Timeo ne aliorſum cadat res, & tu propter hanc curioſitatem ſpectandorum pugilum ſine vibicibus à Magiſtro non dimittare. B. Euaſi non ſemel, confictis cauſsis abſentiæ. A. Beſtiæ quædam cùm canibus bis, ter, quater elapſæ fuerint, tandem capiuntur & pereunt. B. Oh, non adimet mihi vitam iſta verberatio. Gymnaſium flagrorum me appelles licet, quibus mea cutis induruit, vt ſi ad fumum pependiſſet. A. Tua res agitur. In quem exempla fient, quiq́ꝫ clamauerit vſqꝫ ad rauim, illi, puto, aliquid dolebit.

ANNOTATIONES.

VNDEVIGINTI) *Sic vndetriginta, vndequadraginta, vndequinquaginta, & deinceps. Vnum de viginti ſi auferas, manent decem & nouem: ita in aliis. Similis modus eſt, duodeuiginti, duodetriginta, duodequadraginta. Ambobus crebro boni auctores vtuntur.* QVO MEDICAMENTO EI) *Primum eſt cauere, ne in morbum delabamur. Cauebimus ſi ſeruemus quæ de tuenda valetud. à Plutarcho, à Marſilio Ficino, & ab aliis ſcripta ſunt. Proximum vt ex illo conualeſcamus; quod quidem ſi non per inediam ſolam, at certè nunquam ſine inedia videmus fieri. Cauſſa enim*

ſublata, etiam effectus tollitur. Atqui morborum cauſſæ quæ ſunt aliæ, niſi humores vitioſi, ac nimij? humores autem vnde niſi è cibis oriuntur? Quorum moderationem ac delectum qui adhibent, & rarius ægrotant, & citius curantur. NOX DABIT CONSILIVM) *Et muſæa, inquit Plutarch. lib. de Curioſit. quam maximè procul ab vrbibus collocabant, & noctem (velut amicam intelligentiæ) vocabant euphronen, videlicet arbitrãtes quietem & aſsiduitatem illam, nullis interpellantibus aliarum rerum curis, multum habere momenti ad inuentionem eorum quæ inquiruntur.* SI MENDACIVM DIXERO) *Inter mendacium dicere, & mentiri Nigidius apud Gellium hoc intereſſe vult, quod qui mentitur, ipſe non fallitur, ſed alterũ fallere conatur. Qui mendacium dicit, ipſe fallitur. Vir bonus præſtare debet ne mentiatur, prudens ne mendacium dicat. Nihilominus hæc ſæpe confunduntur.* NON ADIMET MIHI VITAM) *Exemplum proiectæ in puero audaciæ. Tax tax tergo meo erit, inquit ille in Perſa, non curo.* GYMNASIVM FLAGRORVM) *hominem in quo aſsiduè verberando flagra & virgæ exercentur. Salutatio duorum ſeruorum in Plauti Aſin. hæc eſt.* LE. *Gymnaſium flagri ſalueto.* LI. *Quid agis cuſtos carceris?* LE. *O catenarum colone.* LI. *O virgarum laſciuia.* IN QVEM EXEMPLA FIENT) *Puniendorum peccatorum rationes tres adducit Gellius lib. 6. cap. 14. Tertia ratio vindictæ eſt, inquit, quæ* παράδειγμα *à Græcis nominatur: cum punitio propter exemplum neceſſaria, vt cæteri à ſimilibus peccatis, quæ probi-*

prohiberi publicitus intereſt, metu cognitæ pœnæ deterreantur. Idcirco veteres quoq; noſtri exempla pro maximis grauiſſimiſque pœnis dicebant. Iam, Latini dicunt exemplum prodere in aliquo, vt Cic. pro Flacco. In aliquo exemplum ſtatuere, vt idem in 4. Verr. Exempla cruciatus edere in aliquem, vt Cæſar 1. de bello Gall. Exempla edere, vt Terent. Eunuch. Exempla faciam ego in te; aut ſine præpoſitione (vt quidam legunt) eſt apud Plaut. Moſtell.

PROGYMNASMA
DECIMVMSEXTVM.
Accuſationes.

HIERONYMVS, FELIX, MAGISTER, ALEXIVS, PANTALEON, BERNARDVS, EVARISTVS, GERVASIVS, CYPRIANVS, DAVID, IONAS.

HIERONYMVS. Papæ, quid tu audaciſsime locum alienum occupas? F. Alienum? H. ita loquor, alienum. F. Tuúmne. H. Meum inquam. F. Non eſt hic locus tuus. H. Cuius eſt? doce me. F. Meus. H. Age ſi quid agis. F. Quid ego agam? H. Reſtitue meum mihi locũ, quem inuolaſti. F. Si tuus ſit, reſtituam. Aufer hinc iurgium, ſi ſapis. H. Pręceptor, iſte mihi iniuriam infert. M. Quid illic clamoris exoritur? H. Felix, dum ego aliquanto poſt tẽpus venio in ſcholã, impudenter vendicauit locum meũ. F. Falsò me accuſat: teneo

locum meum. M. Quid tu ad hæc? H. Quia honoratior eſt locus, idcirco me abſente auſus eſt in alienam poſſeſsionem irruere. F. Non irrui. H. Irruiſti: reſtitue debitum. F. Nihil debeo. M. Dirimam litem. Meridianis horis parati inſtructiq; ad concertationem eritis. Tum ſi tu Felicem, Hieronyme, diſputando viceris, infimo ipſum loco, prope ianuam collocabimus, vt ei tutelam gerat, & humilietur qui ſe nouo exemplo exaltauerit. Sin ipſe te ſuperârit, retinebit hunc locum; quoniam te dignior omnium punctis cenſebitur qui hîc ſedeat, & iuſtè eum repetere non poteris, mea quidem ſententia. F. Æqua conditio. H. Non detrecto hanc pugnam. Commutabo tibi nomen hodie, ſi viuam, vt pro Felice Infelix vocere. F. Minas tuas floccipendo. M. Quos ego poſt tergũ meum confabulantes audio? Heus, quinam modò inter ſe confabulati ſunt? A. Pantaleon & Bernardus. M. linguati pueri, quare non ſilentio ediſcitis, quæ mox recitetis? P. Non ſumus confabulati. A. Eſtis, & diu ſatis. B. Reuera non garriuimus. M. Quid fuit igitur? P. Interrogabam nonnulla Bernardum, quæ minùs intelligebam. M. Qua in re? B. In Catechiſmo. A. Hoc ſe facere ſimulabant illi quidem, verè autem de ſuis quibuſdam nugis ſermonem miſcebant. P. Te tam audacter aſſeuerare? M. Hem aſtutiam: fatŭrne rem Alexius? B. Certè hic minimè. A. Conuincam vos argumento palàm: Etenim ſententias quaſdam retineo de ſermunculo veſtro. M. Premit aduerſarius. Fateamini quod res eſt, & culpa vos ſoluam. Si pergitis inficiari, virgas cernitis: iis non tam

tam ob ruptum ſilentium, quàm ob mendacium tangam vos vſq; ad necem. B. fatemur: de prandio heſterno, in quo ſimul accubuim⁹, colloquebamur. M. Cauete, aliôqui peſsimè cœnatos dimittam. E. Eſt quod exponam, Pręceptor. M. Expone. E. Heri Geruaſius & Cyprianus ſe conuitiis alternatim conſectabantur, viciſsimq; pugnis ſe onerabant egregiè. M. Vidiſtin'? E. Vidi cum fortè fortuna in eos ambulãs incidiſſem. M. Quo tempore? E. Haud multò pòſt quàm ſolutæ ſunt ſcholæ. M. Quo in loco? E. In publico, ante domum Cypriani. Mirabantur prętereuntes, & conſiſtebant. Quin his auribus audiui qui dicerent: O pueros malè moratos. Vtinam aliquis Magiſtro rem indicet, vt is ambobus pro dignitate ſtipendium numeret. M. Tantúmne eſt? E. Tantùm. M. facinus improbum. Surgite & prodite in medium bellicoſi homuli. Hánccine diſciplinam aut à parentibus veſtris, aut à me percepiſtis? hæccine vos flagitia conſciſcere? contumelias intorquere, & obſerere pugnis ſodales ſuos? G. Coëgit me Cyprianus. C. Tu me coëgiſti. M. Vtrumq; nequitia ſua coëgit, ambo furore & amentia impulſi ab officio diſceſsiſtis, de hoc nulla eſt quæſtio. Me tamen cogitis vobis pro iſto conflictu mercedem liberalem, præſenti & probata pecunia tribuere. Expedito mihi virgam Euariſte de virgis melioribus, actutum. E. Curabitur. M. Quæ porrò controuerſia conflauit hoc duellum? G. Irridebat me ſuſpenſo naſo Cyprianus, quod per caligas induſiũ dependebat, & riſu pænè emoriens, multis qui fortè circumſtabant audientibus: En,

inquit,iſte tam auidè cibum vorauit,vt ipſas quoque mappas deglutiuerit. M. Magna verò & ſine dubitatione intolerabilis iniuria. Cur ad ſartorem ſubligaculum reficiendum non deportaſti? G. Non aduerti eſſe lacerum. M. Non aduerti. Sat arguméti, te morum ciuilitatem non attigiſſe vel extremis digitis. Ad ruſticanos cum iſto Geruaſio, qui cum vrbanus ſit, vrbanum nihil habet. Iam,quas tibi contumelias impoſuit? C. Nebulonem &proditorem me appellabat. M. Quibus tu Geruaſium epithetis contrà conhoneſtâſti? G. Bubulcum & aſinum me nominabat. M. hoc fuit tubis ceciniſſe,deinde extemplò ſecutum eſt pręlium, ventum ad manus,contudiſtis alterutrum: nónne? G.Factum.heu. C.Ac niſi me in pedes dediſſem,cerebrum mihi diminuiſſet; ſic iracundia & furore exarſerat. M. Ego, vt munificus Imperator,iſtis duobus tam ſtrenuis bellatoribus propter generoſiſsimam velitationem dabo congiarium. Et quia Gerüaſius ob cauſſam leuiorem tantoperè non debuit excãdeſcere, dabo illi maius.Te quoq; docebo Cypriane, huiuſmodi ſcurrilibus iocis, & intempeſtiua dicacitate abſtinere de cætero. Ite,& ad præmia capienda reſolutis ſingulis vos comparate. P. Præceptor,Alexius pingit. M. Alexi quid facis? A. nihil. M. nihil?at iam faciam tibi aliquid. Exhibe chartam. A. nihil eſt. M. oſtende ſine mora. A. Quæſo. M. videam. O Alexi, ecquando in ludum pictoris iuiſti? quam graphicè adumbras canes & ceruos? Suppone ſiniſtram ferulæ:ſuppone,ecquid audis? A. ah, ah. M. Concerpito. Si rurſus deprehendero pingentem,

tem,ſcis quid tibi depicturus ſim? A.Scio. D. Præceptor,licétne pauca? M. Quid dicturus? D. Ionas non habet librum. M. Vbi eſt liber tuus? I. Amiſi. M. Siccine rem tuã cuſtodis?Domí ne,an in ſchola,an in via? I. Neſcio. M. Quæſiuiſti? I. Tanquam ſi aciculam quærerem. M. Niſi tu ante noctem repereris,cras in te exemplum edetur, vt ne quis deinceps perdat libros ſuos.

ANNOTATIONES.

OMNIVM PVNCTIS) *Horat.ad Piſones.Omne tulit punctum,qui miſcuit vtile dulci.Omne punctum ferre, eſt omnibus omnium ſententiis atq; ſuffragiis aliqua re dignum, ſeu in aliquo præſtantem iudicari,ſeu placere vniuerſis.In ſuffragiis,in quibus magiſtratus, vel leges, vel tale quid rogabatur, binæ, niſi fallor, tabellæ ſingulis ſuffragiũ laturis dabantur: quarũ altera punctum ſine dubitatione,altera nihil,vt ego puto,ſcriptum habebat. Itaq; qui fauebant, tabellam puncto inſcriptam: qui aduerſabãtur,alteram in ciſtam coniiciebant.*Hinc Cic.*pro Plancio dixit:tribus nonnullas punctis totidẽ tulit.*Idem Tuſcul.4.*Quid de noſtris ambitionibus,quid de cupiditate honorum loquar? Quæ flamma eſt , per quam non cucurrerint ij, qui hæc olim punctis ſingulis colligebant?* Corrad.in Brut. PVGNIS SE ONERABANT) *Plaut. Amphit.Onerandus eſt pugnis probè. Sic onerare maledictis, in Pſeud. Onerare lætitia ſenem in Cap. Cic.epiſt.10.lib.3. Onerare aliquem mendaciis. Plauti ſunt etiam,pugnum impingere Bacch.Pugnis ali-*

quem contundere,ibidẽ.Pugnum in os impingere,pugnis pectere,pugnis aliquem incurſare Rud.& Pſeud. Pugnis cædere Amphit.Pugnis conciſus,ibidem. DABO CONGIARIVM) *Munus ſeu donum quod populo dat Princeps ſeu Imperator, dicitur Congiarium, de quo Sueton. in Octauio,cap.41.& Caligula cap.17.Quæ autem largitio fit in milites,vltra ſtipendia,videlicet ob victorias,adoptiones,inaugurationes Cæſarũ,ea donatiuum vocatur. Budæus in Pandect. Steuechius ad cap.20.lib.2.Vegetij. Attamen idem Suetonius,non malus latinitatis auctor, libello de claris Rhetorib. cap.3.cum de Sex.Clod. agit, vocem,congiarium,pro dono vſurpat,quo quis priuatim à Principe afficitur,his verbis.A quo(Antonio)mox Cõſule ingens etiam congiarium accepit,vt ei Cic. in Philippicis obiicit. Eodẽ modo in Iulio cap.27. Et in Veſpaſiano cap.18.& Cœlius ep.1.lib.3.Plancus,inquit,magno congiario donatus à Cæſare.Seneca item.ep.29.Scrutabitur ſcholas noſtras, & obiiciet philoſophis congiaria, amicas,gulam.Sic videtur Cic.vſus,ep.6.lib.10.ad Att.* ANTE NOCTEM REPERERIS) *Quod Grammatici quidam ex verſu Ouidij 1. Metamorph. Tu non inuenta reperta es, inter inuenire & reperire hoc diſcriminis eſſe volunt,vt illud ſit cum labore diu quæſitam rem aſſequi: hoc, fortuitò oblatam nanciſci,iſthuc nihil eſt: Nam & reperio clariſsimi ſcriptores dixerũt pro eo, quod eſt opera ſtudioq; adhibito adeptus ſum, & inueniri ab iiſdem dici videas, quod non eſt quæſitum; legendus Alex. ab Alexand. & in eum Tiraquellus lib.4.cap.17.*

PRO-

PROGYMNASMA DECIMVMSEPTIMVM.

Petitio luſus.

PHILIPPVS, MAGISTER, PVERORVM TVRBA.

PHILIPPVS. Memoriter memini, Præceptor, dixiſſe te aliquando nobis, neceſſariam eſſe in rebus viciſsitudinẽ, nec durare poſſe, quod alterna requie careat. M. Quid tum poſtea? quam ob cauſſam tu id mihi nunc ſubiicis? P. Haud ſanè inconſultò, ac temerè tuam vſurpaui ſententiam. M. Ergo cur vſurpas? dic. P. Quoniam res quædam eſt, quam me à benignitate tua impetratã auferre volo. M. Memora puer. P. Si moleſtè non es laturus. M. Niſi tu iniuſtum quid à me petas, indignè non feram, quidquid petiueris. Nam vt iuſta ab iniuſtis petere inſipientia eſt; ſic iniuſta à iuſtis impetrari non decet. P. Ne tibi lubeat ſiniſtrum ſuſpicari. Iuſtè ab iuſtis iuſtus ſum orator datus, & aduenio omnibus lubentibus, vt quod in rem noſtram communem ſit, hoc à tua lenitate obtineam. M. Eloquere, quid eſt quod obtinere geſtis? P. Paullùm eſt. M. Quin tu vno verbo dic, quid eſt? P. Iam diès effluxêre complures, ex quo libris ſemper affixi fuimus. M. Trabalibus clauis opinor. Subolet quorſum euaſurus ſis. Benè habent tibi principia. Pertexe telam, ſed aptè, vt ne compellam te

retexere. P. Et exercitationibus auditionũ, ſcriptionum, recitationum, concertationum pænè exhauſti ſumus. M. Itáne verò? Exhauſti? O me in diſcipulos atrocẽ, ô crudelem. P. Nec vnquã nobis vel ad momentum reſpirare, vireſq́ue feſſas reparare datum eſt. M. Vt res ſuas exaggerat? quodq́ue contritum eſt vetuſtate prouerbium: ex muſca elephantum. P. Quare vehementer etiam atque etiam te rogamus, Præceptor noſter, pomeridianis horis ad luſum remiſsionemq́ue animi deſcendere tuo conceſſu licitum ſit. M. Æquiſsimum poſtulas. Verùm ego his cõditionibus hanc poteſtatem largior. Vt abſq; tumultu ludatis, néue quis alteri turbas ciere inſiſtat. Vt ante quintã ad libellos redeatis. Vt deinceps manibus pedibusq́ue, cum haſta, cum ſcuto, quod aiunt, ad veſtra ſtudia incumbatis. P. Iuſtæ conditiones: accipimus, vt pro tota ſchola reſpondeam. M. Capeſſe curſum, cõdiſcipulos affice tam bono nuncio. P. Gratias magnas, ingentes tibi agimus, humaniſsime atque optime Præceptor. Heus heus pueri. Pv. Nunquid nam apportas noui? frontem exporrexiſti, hoc omen placet. P. Oneratum lætitia pectus apporto. Ego veſter hodie orator & exorator fui apud Magiſtrum. Pv. In quo? P. In ludendi venia. Pv. Voluptatem magnam nuncias. Habemus ergo rem factam? P. Factam. Pv. Benè factum & volup' eſt. Deus te bene amet. Ludemus igitur? P. Niſi mauultis inhærere libris. Pv. Valeant libri. Ludamus ſocij, euge ludamus. P. Silete, nõ permittit gratis ludere. Pv. Qua mercede? P. Vt abſq; inconditis clamoribus, abſque ſtre-

ſtrepitu, crepitu, fremitu; ſic enim interpretor quod dicebat de tumultu & iurgio vitandis. Pv. Fiet. P. Vt ante quintã ad libros nos recipiamus. Pv. Fiet. P. Vt deinceps neruis omnibus diſcamus. Pv. Hîc melius eſt reſpondere, fiat, quàm fiet; optare, quàm promittere.

ANNOTATIONES.

PETITIO LVSVS) *Quomodo ſtirpes mediocribus aquis aluntur, abundantibus ſuffocantur: ſic animus moderatis creſcit laboribus, nimiis obruitur. Danda eſt ergo pueris à continentibus laboribus reſpiratio: idq́ in animo habendum, totam vitam noſtram in remiſsionem eſſe, ſeriumq́ ſtudium diuiſum. Plutarch. de lib. educand. Quintil. lib. 1. cap. 3. Danda eſt tamen omnibus aliqua remiſsio: non ſolùm, quia nulla res eſt, quæ perferre poſsit continuum laborem: atq́ ea quoque, quæ ſenſu & anima carent, vt ſeruare vim ſuam poſsint, velut alterna quiete retenduntur: ſed quod ſtudium diſcendi voluntate, quæ cogi non poteſt, conſtat. Plura ibidem de luſib. puerorum.* NECESSARIAM IN REBVS VICISSITVDINEM) *Seneca epiſt. 36. Obſerua orbem rerum inter ſe remeantium. Videbis in hoc mundo nihil extingui, ſed vicibus deſcendere ac reſurgere. Æſtas abit, ſed alter annus illam adducit. Hyems cecidit, referent illam ſui menſes. Solem nox obruit, ſed ipſam ſtatim dies abiget. Stellarum iſte diſcurſus quidquid præterierit, repetit. Pars cœli leuatur aſsiduè, pars mer-*

mergitur Plutarch. de lib. educand. Quam ob cauſſam non vigilia modò, ſed & ſomnus inuentus eſt, neq; bellum duntaxat, ſed & pax; neq; ſine ſerenitate tempeſtas: neq; ſeria negotia tantum, ſed & feriæ. Vtq; in vnã ſummam contrahamus, requies laborum eſt condimentum, & quæ ſequuntur. ALTERNA REQVIE CAREAT) *Ouid. Quod caret alterna requie durabile non eſt. Pub. Syr. Iucundum nihil eſt, niſi quod reficit varietas.* TRABALIBVS CLAVIS) *Claui trabales grandes claui ſunt, quibus configuntur trabes. Figere aliquid trabali clauo, prouerbium. Cicer. in Verr. vt hoc beneficium (quemadmodum dicitur) clauo trabali figeret: id eſt, confirmaret & conſtabiliret. Telum trabale 12. Æneid. eſt ingens & magnum telum, inſtar trabis.* NE COMPELLAM TE RETEXERE) *Alluſum ad dictum vetus, Penelopes telam retexere, id eſt, inanem operam ſumere, & deſtruere quod effeceris. Homer. Odyß. 2. Caſtißimam illam fidißimamq; viro ſuo Penelopen procos connubium eius flagitantes, & impotenter iam inſtantes hoc modo eluſiſſe fingit. Promittit ſe nupturam, vbi telam, quam tum haberet in manibus pertexuiſſet. Quam conditionem cum illi non repudiaſſent, callida mulier, quod per diem texuerat, per noctem diſſoluebat. Bellè autem ea de re Propert. eleg. 8. lib. 2.*

Coniugium falſa poterat differre Minerua,
Nocturno ſoluens texta diurna dolo:
Viſura & quamuis nunquam ſperaret Vlyſſem,
Illum exſpectando facta remanſit anus.

IN LVDENDI VENIA) *Hæc vox non ſemper ad culpam refertur, ſæpius etiam poteſtatem & petitionis conceſſionem approbationemq́; notat. Cic. pro Archia. Quæſo à vobis, vt in hac cauſſa mihi detis veniam. 1. de Orat. Date nobis hanc veniam, vt ea, quæ ſentitis de omni genere dicendi, ſubtiliter perſequamini. Cornific. in 4. ad Herennium. Veniam ad vos, ſi mihi ſenatus det veniam. Plaut. Trin.*

LY. Ob eam rem hæc, pater, autumaui, quia res quædam eſt quam volo,
Ego me abs te exorare. PH. Quid eſt? veniam iam dare geſtio.

Æmil. Probus in Themiſtocle. Huius Rex animi magnitudinem admirans, cupiensq́; talem virum ſibi conciliare, veniam dedit. annum videlicet ei cõceſſit, quem petebat, ad diſcẽdam linguam Perſicam. Iterum in Pauſania. Quod ſi eam veniam ſibi dediſſet. Sic, cum verbum, licentia, in vitio ſemper putetur eſſe, proferaturq́; è Terent. Deteriores omnes ſumus licentia, id ſecus eſt. Aliquando enim honeſtam poteſtatem ſignificat, & dare licentiam eſt ἐξουσίαν διδόναι. Cic. 1. Offic. Nec quemquam hoc errore duci oportet, vt ſi quid Socrates aut Ariſtippus contra morem conſuetudinemq́; ciuilem fecerint, locutíue ſint, idem ſibi arbitretur licere. Magnis enim illi, & diuinis bonis hanc licentiam aſſequebãtur. Et in 3. Nobis autem Academia noſtra magnam dat licentiam, vt quodcunque maximè probabile occurrat, id noſtro iure liceat defendere. His duobus locis

haud

haud exiſtimo rectè facturum, ſi quis licentiæ nomen inimoderatam libertatem, impunitatemq; interpretetur.

PROGYMNASMA DECIMVMOCTAVVM.

Idem argumentum.

PHILIPPVS, MAGISTER.

PHILIPPVS. In memoria mihi eſt, cōmendaſſe te aliquoties nobis requietem & otium à cōtinuatis ſtudiorū occupationibus, cum, haud ſcio ex quo poëta, verſiculum illum recitares; Interpone tuis interdū gaudia curis. M. Optimum eſt: vellem perinde fixiſſes animo tuo alia permulta, quæ non ſemel de me audiuiſtis. P. Dedita opera ad te venio. M. Quapropter venis? P. Vt quidpiam abs te auferam. M. Vt aliquid auferas? hem. Ergo furatum huc veniſti, quantum intelligo. Scin' quomodo ſe tibi res habet? tute auferaris faxo, cum te in manifeſto facinore deprehenſum, loris adeo benignè cooperuero, vt veſtigium facere non poſsis. P. Ridicularia nihil moror; alio & interiore ſignificatu hoc verbum cœpi, quod præteruectum eſt mentem tuam. M. Impetrabundus, vt ſic dicam, ingreſſus es, quod ſenſi equidem à principio. P. Facultatem ludendi vt abs te impetrarem, ideo huc adi-

aditum tuli. M. Morem antiquum atq; ingenium hic adoleſcens obtinet: magis de ludo & ſomnio, quàm Alexander Macedo de orbe terrarum ſub imperium ſubiungendo cogitat. Cum dies ſtatus venerit, tum ludes ad laſsitudinem, contradicente nemine. P. Mi Præceptor, ſine nos luſitare ſecundum meridiem. M. Non ſino. P. Quare tam præcisè recuſas? M. Quod vos ſimiliter ſatis præcisè indiligentes, & ignaui eſtis. P. Immò certè diligentes. M. Quàm iniquè comparatum eſt, vt nemo vnquam libenter ſemetipſum fateatur malum? omnes ſeſe amant. P. De reliquo ſenties nos quàm ſtudioſiſsimos. M. Quod promittunt pueri, in vento & rapida ſcribere oportet aqua. P. Obſecramus (nam ego totius ſcholæ perſonam recepi) ne te hodie inexorabilem præbeas. M. Res de compacto geritur, quod ſentiebam equidem à principio. Actum agis, abi. Tempus diſcendi, tempus ludendi. P. Hodie ſudum ad deambulandum per amœna camporum, & vmbroſa vallium nos inuitat, qua commoditate hoc toto mēſe caruimus: quippe cum in ſingulos pænè dies pluuiam tolerauerimus. Opprimenda videtur quæ præter ſpem obuenit occaſio. M. Non moriemini, Philippe, hac quidem de cauſſa, ſi luſionem differatis in perendinum. P. Sed ſi rurſum cadant pluuiæ, & cogamur domi reſidere, tanquam ſi dati ſimus in carcerem? M. Tum vos indignisſimè vexatos prædicabunt etiam ipſi lapides. Licet domi quoque ſub tecto, & ſecurius ludere. P. Licet ſanè quidem, at foris ſub dio longè iucundius; vbi certamus curſibus in ſtadio, vt Olympio-

lympionicæ,& venationes inſtituimus, aliaq́ delectamenta, quæ præſens ſæpe vidiſti. M. O importunum flagitatorem. Sit poteſtas ambulandi foras, & ludendi. Dicite Hypodidaſcalo verbis meis, vti vos proſequatur, proſpiciatq́ ſedulò, ne quid poſtea querimoniarum ad me deferatur. P. Deus det tibi, Præceptor integerrime, quidquid voles.

ANNOTATIONES.

INTERPONE TVIS INTERDVM) *Danda eſt remiſſio animis, meliores acrioresq́ requieti ſurgent. Vt fertilibus agris non eſt imperandum: citò enim exhauriet illos nunquam intermiſſa fœcunditas: ita animorum impetus aſſiduus labor frangit. Vires recipient paullùm reſoluti & remiſſi. Naſcitur ex aſſiduitate laborum, animorum hebetatio quædam & languor. Lege cap.15. Senecæ. de Tranquill. animi.* ADEO BENIGNE) *Vſum quendam reconditum & elegantem huius aduerbij, cum videlicet ei, qui nobis aliquid offert, ſignificare volumus, gratiam quidem ipſi habere nos, ſed tamen eius dono nolle vti, explicat Muret. ex Horat. annotat. in Eunuch. in Terent.* IN VENTO ET RAPIDA) *locus erit in promiſſis, & rebus inconſtantibus, quæq́ nihil habent firmitatis. Græci* ἐς τέφραν γράφειν *in cinere ſcribere. Nam & cinis à vento facilè diſpellitur, & commiſſa non retinet. Contrarium eſt, in mente inſculpere, quod Cicero ſæpius, & Græci dicunt*

γράφειν

γράφειν ἐν φρεσίν. *Terent. And. etiã nunc mihi ſcripta illa dicta ſunt in animo Chryſidis. Victor. lib. 9. cap. 13. Sed de ſuperiore locutione pergamus dicere.* Catull. *ad* Ortalum.

Ne tua dicta vagis nequicquam credita ventis
Effluxiſſe meo fortè putes animo.

Tibull. *eleg. 5. lib. 1.*

Hæc mihi fingebam, quæ nunc Caurusq́ Notusq́
Iactat odoratos vota per Armenios.

Lucret. *lib. 4. Tu fac ne ventis verba profundam. Virg. Æneid. 9. Sed auræ Omnia diſcerpunt, & nubibus irrita donant.* Et *10. Nec ferre videt ſua gaudia ventos.* Horat. Ode 26. *lib. 1.*

Muſis amicus triſtitiam & metus
Tradam proteruis in mare Creticum
Portare ventis.

Ouid.

Quæ tibi ſunt facienda tamen cognoſce, nec Euris
Da mea nec tepidis verba ferenda Notis.

Exiſtimabant enim antiqui ventos interpretes & nuncios eſſe, noſtrasq́ preces et vota ad deorum aures deferre, & noſtra verba in ſumma omnia. Hinc eclog. 3. Partem vtinam venti diuûm referatis ad aures. Et Ouid. *10.* Metamorph. *Detulit aura preces ad me non inuida blandas. Quæ autem vota non eueniebant, & irrita cadebant, ea ad deos nõ eſſe perlata à ventis, ſed vel diſſipata, vel procul in regionem lõginquam auecta arbitrabantur.* Hinc: *quæ nunc Caurusq́ Notusq́, &c. atque horum ſimilia.* Deniq́ *quidquid euenire nolebant, aut auerſabantur & abominabantur, vento differri diſiiciq́ optare ſolebant,*

aut eius pernici curſu procul amãdari & aſportari iube-bant. Tibull.lib.3.eleg.4.

> *Hæc Deus in melius crudelia ſomnia vertat,*
> *Et iubeat tepidos irrita ferre Notos.*

Turneb.lib.1.cap.23. SVDVM) *Sine vdo, cœlum ſere-num, ſine nubibus, aut certè non pluuium.* Nonius. *Su-dum dicitur quaſi ſemiudum, vt eſt aër poſt pluuias; ſe-renus & liquidus.* Cicer.ad Tironem lib.16.Horologium mittam & libros, ſi erit ſudum. Plaut.Milite.

> *Curate vt ſplendor meo ſit clypeo clarior,*
> *Quàm ſolis radij eſſe, olim cum ſudum eſt, ſolent.*

Idem Rud. *Quin pertegamus* villam *dum ſudum eſt. Virg. 8. Æneid. Arma inter nubes cœli regione ſerena, Per ſudum rutilare vident. Omittant ergo adoleſcentes dicere; eſt pulchrum tempus, eſt bona aura, iam ſplendet ſol, ſimileſq́ modos inquinatiſſimos.* AMOENA CAM-PORVM) *Græci ſubſtantiuum patrio caſu ſolent efferre* σπουδαῖα τῶν πραγμάτων, μεγάλα τῶν ξύλων, οἱ σοφοὶ τῶν ἀνθρώπων, αἱ πλεῖσται τῶν πόλεων. *Huiuſmodi apud Poëtas quàm plurima. Virg.1. Aeneid. Miratur portas, ſtrepitumq́ & ſtrata viarum, pro, ſtra-tas vias. Sic Lucret. lib.1. Strataq́ iam vulgi pedibus detrita viarum Saxea conſpicimus. Idem, clauſa, opaca domorum, rara viarum, vt Virg. Anguſta viarum. Apud Horat. Amara curarum, vana rerum, abdita rerum. A-puleius vno loco habet hæc omnia; Ardua montium, lu-brica vallium, roſcida ceſpitum, gleboſa camporum. Plinius dixit, Ouorum oblonga, & nigræ lanarum,*

cap.

cap.48. lib.8.Liuius, Subita rerum, incerta caſuum. Vides latinis adiectiuum mutari in genus neutrum? idq́ pænè perpetuum eſt.

PROGYMNASMA DECIMVMNONVM.

Ludus ex pacto conceſſus.

MAGISTER, PVERI VII.

MAGISTER. Nimis crebrò ludendi copiam, perinde, vt ſi quæratis cibũ ante famem, potum ante ſitim, requiem ante laborem: vultis enim remittere cogitationes, priuſquam eas poſt remiſsionem rurſum intenderitis. Itaq; vereor ne facilitas mea veſtros corrumpat animos. P.I. Tantũmodo duas horas largire nobis in gratiam D.Caſsiani, quẽ à diſcipulis pueris, librariis ſcalpellis, ſtylisq́; æneis immiſericorditer vita & ſpiritu priuatum perhibent. M. Permittã equidem ludere, ſed qua conditione? Pv.II. Hoc tuæ poteſtatis eſt. M. Hac nempe, vt è vobis ſeptẽ ludant ij, qui vel apophthegma, vel ſimile, vel ſententioſum ex poëta verſiculũ, vel Ciceronis gnomicum aliquid, vel tria prouerbia, vel Æſopicam fabellam ex memoria protulerint. Pv. I. Ego, ſi placet, fabellam narrabo. M. Audio. Pv.I. Hœdus fortè à grege cùm deerraſſet, ſeq́; lupus inſequeretur, conuerſus eum ſic eſt affatus, Mi lupe,

quandoquidem tibi eſcam me futurum ſcio, quo iucundiùs moriar, quæſo, primùm cane tibia, vt ſaltē. Lupus canere cœpit, & ſaltare hœdus. Tum canes id audientes, lupū acerrimè inſtiterunt perſequi. Is ſeſe ad hœdum vertens: Meritò, inquit, hoc patior; oportebat enim me, cocus cum ſim, tibicinem non agere. Docet apologus, eos qui negligunt ad quæ natura ſunt idonei, & quæ aliorū ſunt exercent, in incommoda ſæpius incurrere. M. Dicat ſecundus. Pv. II. Virg.

Optima quæq; dies miſeris mortalibus æui
Prima fugit, ſubeūt morbi, triſtisq; ſenectus,
Et labor, & duræ rapit inclementia mortis.

Pv. III. Cicero. Graue eſt homini pudenti petere aliquid magnum ab eo, de quo ſe bene meritum putat: ne id quod petat, exigere magis, quā rogare, & in mercedis potius, quàm in beneficij loco numerare videatur. M. Elegans, & veriſsima ſententia. Pv. IV. Ignis non extinguitur igni. M. Explica. Pv. IV. Malum malo nō emendatur: iram non ſedat iracundia, ſed lenitas: aduerſos caſus reddit leuiores patientia; iniuria ſuperatur beneficio. M. Bellè: Iam ſecundum profer, nam tria imperaui. Pv. IV. Annoſa vulpes haud capitur laqueis. In eos valet, qui ob longinquam ætatem multarumq; rerum vſum callidiores ſunt, quàm vt arte dolisq; decipi queant. M. Optimè. Pv. IV. Canis ſæuit in lapidem. In eos, qui mali ſui cauſſam non veris auctoribus adſcribunt. M. Audiamus iam quintum. Pv. V. Nihil occurrit mihi. M. Nihilne? hem. Pv. V. Nihil prorſus. M. Ne luſe-

luſeris. Sextus. PV. VI. Vt grauiore pœna multandi cenſentur, qui venenum non in vnum aliquem craterem, ſed in fontem iniiciunt, vnde omnes bibunt: ſic ſceleratiùs peccant, qui Principum, quàm qui priuatorum ingenia peruertunt. M. Præclarè dictum, à Plutarcho ſcilicet. PV. VII. Diogenes formoſas mulieres, quæ pudicitiã in propatulo habent, ſimiles dicebat mulſo letalibus ſuccis temperato; quòd afferrent quidem initiò voluptatẽ, ſed quam perpetuus dolor conſequeretur. M. Senſibus hæc imis, res eſt non parua, reponite. Fugite fornicationem, & templa Dei ne facitote membra meretricis. Ergo omnes, dempto illo vno, qui fuit ἀσύμβολος, ad ludendũ properate: veruntamen, vt poſtulâſtis, horas non amplius vnam & alteram. PV. I. Præ gaudio vbi ſim neſcio.

ANNOTATIONES.

QVI VEL APOPHTHEGMA) *Tale precium luſus à pueris magiſtri poſtulent, quo ipſi potius dantes, quàm accipientes rem faciant, atq; ita etiã iudicia eorum exerceant, vt non ſint quouis apophthegmate, verſiculo ſententioſo, fabella, prouerbio contenti, ſed iis demum, in quibus plus acuminis, leporis, grauitatis, vtilitatis ineſſe videatur.* COCVS CVM SIM) *Idem contigit lupo, qui aculeum roganti aſino, quem deuoraturus erat, ſummis dentibus è pede extraxit. Cum enim illiſa calce frontem & naſum ei comminuiſſet, denteſq; excuſſiſſet, & iam celeriter aufugeret: meritò, inquit*

lupus, hæc mihi merces redditur; Quoniam qui didici iumentorũ eſſe lanius, cur eorum volui eſſe chirurgus? OPTIMA QVÆQVE DIES) *Hos tres verſus interpretatur Seneca lib. de breuitate vitæ, cap. 9. his verbis. Clamat ecce maximus vates, & velut diuino furore inſtinctus ſalutare carmẽ canit. Quid cunctaris? inquit, quid ceſſas? niſi occupas, fugit: cum occupaueris, tamen fugiet; Itaq; cum celeritate temporis velocitate certandum eſt. Velut ex torrente rapido, nec ſemper caſuro citò hauriendum eſt. Hoc quoque pulcherrimè, ad exprobrandam infinitam cogitationem, quod non optimam quãq; ætatem, ſed diem dicit. Quid ſecurus, & in tanta fuga temporum lentus, menſes tibi, & annos & longam ſeriem, vtcunque auiditati tuæ viſum eſt, exporrigis? de die tecum loquitur, & de hoc ipſo fugiente. Lege cætera vſque ad fin. cap. Epiſt. porrò 108. docens quo pacto Grammaticus hos verſus, & quo Philoſophus conſideret, rurſus illos doctiſſimè explanat.* QVI PRINCIPVM, QVAM QVI PRIVATORVM) *Cic. de leg. Nec tantum mali eſt peccare Principes (quanquam eſt hoc magnum per ſeipſum malum) quantum illud quod permulti etiam imitatores Principum exiſtunt. Nam licet videre quæcunque mutatio morum in Principibus extiterit, eandem in populo ſecutam, &c.* PERPETVVS DOLOR) *Notum illud Demoſthenis de Laide:* οὐκ ὠνοῦμαι μυρίων δραχμῶν μεταμέλειαν. *Vulgò: Pœnitere tanti nõ emo. Gell. lib. 1. cap. 8. En quid in prouerb. Salomon ſapientiſſ. de muliercula*

ſula meritoria. Inclinata eſt ad mortem domus eius, & ad inferos ſemitæ ipſius. Nulli autem, vt Seneca ſcribit cap.6.de breuit.vit.turpiùs occupati ſunt, quàm qui nulli rei niſi vino & libidini vacant, cæteri etiamſi vanæ gloriæ imagine teneantur, ſpecioſè tamen errant. Licet auaros mihi, licet vel iracundos enumeres, vel bellatores, omnes iſti virilius peccant. In Venerem & libidinem proiectorum inhoneſta labes eſt, &c.

PROGYMNASMA VICESIMVM.

Nox tranſacta.

GABRIEL, LAVRENTIVS, NAZARIVS.

GABRIEL. Saluere iubeo ſodales meos, te Laurẽti,& te Nazari. L. Nos te viciſsim. Vt vales? valuiſtin? nam te quatuor ipſos dies nunquam oculis vſurpauimus. G. Paullò deteriùs, quàm heri, & nudius tertius, quartus, quintus. N. Quamobrẽ? G. Propterea quod iſta nocte, quę præceſsit proxima haud placatè dormiui. L. Malè narras. Aliquo fragore nimirum iterum iterumq́ expergefactus. G. Fragor quidẽ nullus me perturbauit: ſed. N. Sed quid? G. Mirum atq́ inſcitũ ſomniaui ſomnium. N. Quod ſomnium? G. Terriculamentorum pleniſsimum. L.

Somnia fallaci ludunt temeraria nocte,
Et pauidas mentes falſa timere iubent.

G. Non eò dico, quia nunc metuam: ſanè quidem nouo metu fractus omnino ac debilitatus cohorrui, ſteteruntq́; comæ, & vox faucibus hæſit. Videbar enim (oblitus ſum perpetrati piaculi) ad ſubſellia iudicum ſeueriſsimorum raptari à lictoribus, inde cōdemnatus ad mortem duci. Iam carnifex romphæam diſtringebat, vt caput meū à ceruicibus amputaret. Amabo, quid vos animi in illo omnium grauiſsimo præſentiſsimoq́; periculo haberetis? L. Ingenuè dicā quod ſentio. Ego qui vel muſcas prętervolantes horréo, ante mortem ipſam morerer. N. Abeant ſomnia in malum cruciatum; nos vota Deo faciamus, vt mala ſomniorum tenus, & bona quæq́; vigilantibus nobis eueniant. G. Quid verò? vos hac nocte quieuiſtis ex ſententia? N. Ab octaua veſpertina ad ſeptimā matutinam iucundiſsimè; & toto proflabam pectore ſomnum. L. O factum pulchrè. Macte noua virtute puer, ſic itur ad aſtra. Ego ad intempeſtam noctem legi, donec me lucerna deſeruit. N. Tu alter Demoſthenes eris. Prô diſcēdi ardorem inſolitū. L. Tibi inſolitum, & gregalibus tuis, qui libidinem in ſomno habetis. N. Parciùs iſta viris tamen obiiciēda memento. Laurenti, nos, vt noris, quieti noctē, labori diem impendimus, ad naturæ præſcriptum ſcilicet: cui repugnare, quid eſt aliud, quàm gigantum more cum diis bellare? ait apud Ciceronem Cato. L. Apage cum iſtac propugnatione ignauiæ tuæ. Nam hoc, crede mihi, nunquam obtinebis, vt te ſomniculoſum, & laboris fugitantem ne iudicem. N. Quod lubet. Ideóne aut ero qui non ſum, aut non ero qui ſum?

G. Qui

G. Quî deinde, mi Laurenti, ſomnum inire potes, cum ita peruigiles? L. cœna terreſtris eſt mihi; quocirca inter me & ſomnum perbene conuenit. G. Malim equidem tuas vigilias, quàm huius ronchos. N. Ecce autem ſecundum aduerſarium. Noli tu quoq;, Gabriel, me ludos facere, cum hoc Laurentius affatim præſtiterit, & in iſto officio te anteuerterit. Quod niſi deſiſtitis, Magiſter mox aderit, quo diſceptatore bellum vtrique indicam. Ibi cognoſcetur, quantum veſtris peruigilationibus conſecuti ſitis. G. Caueto ne iſtos tibi ſpiritus comprimamus. N. Veſtras ego linguas ita occludam, vt de ſomno meo ne muſſare quidem audeatis. L. Eris mihi magnus Apollo. G. Res ipſa iam erit teſtimonio. Audióne aduenientem quempiam? Præceptor eſt, verè eſt, ipſus eſt.

ANNOTATIONES.

QVATVOR IPSOS DIES) *Quatuor integros dies. Locutio antiquis ſcriptoribus vſitata. Cic. ad Attic. lib. 3. epiſt. 21. triginta dies erant ipſi, cum has dabam literas. & epiſt. ad Cælium. Ego cum Athenis decem ipſos dies fuiſſem. Et epiſt. 8. lib. 6. ad Att. Detraxit viginti ipſos dies.* MALE NARRAS) *cum quid lætum & animis gratum nunciaretur, diceretúrue, benè narras dicebant, cum triſte, aut quod nollent, malè narras. Item vbi quid accidiſſet proſperè & optato, O factũ bene. Bene hercle factum, & gaudeo. Factum optimè. In contrariis: O factum malè. Malè factũ. Exempla multa in Plaut. Terent. Catull.* SOMNIAVI SOMNIVM)

de ſomniis & ſomniorum generibus conſule Macrob. in Som. Scip. lib. 1. cap. 3. Valerium lib. 1. cap. 7. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 26. Nihil autem tam præpoſterè, tam inconditè, tam monſtroſè cogitari poteſt, quod non poſſimus ſomniare. *Cic. 2. de Diuinat.* Vnde ſomnia tetra, ex Platone idem lib. 1. explicauit. Somniare nos autem ea plerunque, quibus deditiſumus, & in quibus animo, cum vigilaremus, occupati fuimus, docet his verſibus ornatiſſimis Lucret. lib. 4.

Et cui quiſq; ferè ſtudio deuinctus adhæret,
Aut quibus in rebus multum ſumus antè morati,
Atq; in qua ratione fuit contenta magis mens,
In ſomnis eadem plerunq; videmur obire.
Cauſidici cauſas agere, & componere leges,
Endoperatores pugnare, & prælia obire,
Nautæ contractum cum ventis gerere bellum,
Nos agere hoc autem & naturam quærere rerum
Semper, & inuentum patriis exponere chartis.

NOVO METV) Seruius in Eclog. 3. ad illum verſum: Pollio & ipſe facit noua carmina, exponit (noua) magna & miranda. Et rurſum Eclog. 9. nouas lites, id eſt, magnas. Cic. nouum cum vocibus inauditum, inuſitatum, admirabile coniungit. ANTE MORTEM IPSAM MORERER) talia dicuntur ὀξύμωρα, id eſt, ſententiæ, quæ ita ſunt acutæ, vt videantur fatuæ. Apud Græcos frequenter occurrunt. Eurip. Hecuba. νύμφην ἄνυμφον παρθένον ἀπάρθενον. Sophoc. Aiace ἐχθρῶν δῶρα ἄδωρα. Ariſtoph. βίος ἄβιωτος. Huiuſcemodi ſunt Ciceroni, cũ tacent clamant. 1. Catil. inſepulta ſepultura 1. Philipp. Eloquentia obmutuit, in

Brut.

Brut. inſaniens ſapientia, Horatio. Ode 34. lib. 1. Magnas inter opes inops. Od. 16. lib. 3. Concordia diſcors ep. 12. lib. 1. Plaut. Aulul. in opibus magnis pauperes, Et ſitibundos in medio Oceani gurgite. Ouid. de fortuna. Et tantum conſtans in leuitate ſua eſt. Vide Victor. lib. 10. cap. 12. ALTER DEMOSTHENES) Vigilabat multum Demoſthenes, & ad lucernam orationes ſuas diligentiſsimè elaborabat. Id cum ei Pythias per iocum obiiceret, ac diceret orationes ipſius ἐλλύχνιον ὄζειν, lucernam olere, reſpondit; melius hoc quidem, quàm ſi hircum. Idem interrogatus quo pacto tantam ſibi eloquentiam comparaſſet; plus olei, inquit, quàm vini conſumpſi. Celebrantur præterea lucernæ Ariſtoph. Grammat. & Cleanth. Epicteti autem Stoici lucernam fictilem tribus drachmarum millibus emptam tradidit Lucianus. Ac ſolent certè inter ſtudioſos literarum qui ardentius amant ſuas artes, atque in iis cupiunt excellere, ad lucernam lectitare & ſcribere. Hinc prouerb. de re meditata, magnaq; cum ſedulitate facta; lucernam olet. Niſi fortè à Demoſth. aliorumq; lucernis natum eſt. Non queo præterire, quod Niceph. de Theodoſio iuniore ſcriptum reliquit. cap. 3. lib. 14. Sacrorum librorum eorundemq; interpretum congerendorum adeo fuit ſtudioſus, vt ea laude Ptolemæo inferior non eſſet. Noctu eis legendis operam nauauit, lucerna ſe ſponte ſua, machina quadam mouente, ſibiq; ipſi oleum infundente: vt ne quis miniſtrorum eius in laboribus huiuſmodi moleſtiam quampiam ſubiret, neque vim naturæ cum ſomno colluctans inferret.

inferret. IDEONE AVT ERO) *Ariſt.lib.de interpretat.* οὐ γὰρ διὰ τὸ καταφαθῆναι, ἢ ἀποφαθῆναι ἔσαι, ἢ οὐκ ἔσαι. *Non quia affirmatum, aut negatum ſit, ideo res erit, aut non erit. Apud Plaut. in Capt.* Cum *Hegio ſenex mortem Tyndaro ſeruo minaretur, à quo deluſus fuerat, illeq́; ſubiecisſet: Qui per virtutem peritat, non interit, excipit ſenex:*

Quando ego te exemplis excruciauero peſsimis,
Atq; ob ſutelas tuas te morti miſero,
Vel te interiſſe, vel periſſe prædicent.
Dum pereas, nihil interdico, dicant viuere.

COENA TERRESTRIS) δεῖπνον ἄιμα οὐκ ἔχον, *cœna ſine ſanguine, conſtans ex iis, quæ è terra naſcuntur, ex herbis & leguminibus, vilibus dapibus inſtructa, ob quam nullæ cæſæ animantes, erátque pauperum, & plebeiorum hæc cœna. vide Victor. lib. 7. cap. 16.* MVSSARE) *Ex litera μῦ, v pronunciato, vt Galli, v, fiunt mutire, muſſare, muſsitare. Et quoniam μῦ, ſeu mu, proprium eſt mutorum, qui hanc ſyllabam proferre ſolam poſſunt, ſignificant illæ voces μῦ ſeu mu facere; id eſt, tacere, obmuteſcere, hærere, quid dicas non habere. Nonius. Muſſare eſt hominum occulta & depreſſa voce loquentium, quod celatum velint. Nunc teſtes aliquot producamus, ad vſum vocis cognoſcendum. Plaut. Milite. Ergo ſi ſapis, muſsitabis. Et Caſina. Ita omnes ſub arcis, ſub lectis latētes metu muſsitant. Lucret. lib. 1. Sed quia multa ſibi cernunt contraria, muſſant. Virg. 12. Æneid. muſſat Rex ipſe Latinus, Quos generos vocet, aut quæ ſeſe ad fœdera flectat. Expone igitur (ne muſſare quidem) vt eſt*

in

in adagio, ne μῦ quidem facere; quod eſt, omnino tacere; quamquam & μῦ ſeu mu dicere, eſt nihil loqui.

PROGYMNASMA VICESIMVMPRIMVM.

Virgæ.

VALENTINVS, SIMON.

VALENTINVS. Túne ignoras, Simon, Magiſtrum heſterno die pomeridianis explicationibus finitis, pueros aliquos virgatum miſiſſe in ſuburbanum nemus? S. Prô dolor, qualem hiſtoriam, quam terribilem auditu? Quis retulit? V. ipſemet vnus fui de illo ternario. S. Multáſne confeciſtis? V. Bene multas, bene craſſas, bene longas. S. Væ, væ. V. Haud libenter vtique, in eam rem locaui operam. Sed quid agas? accerſit, accurrendum; prçcipit faciendum; vetat, intermittendum eſt. Niſi extemplo pareas, primódum acris increpatio, increpationem acriores plagæ comitantur. Ego verò præoptarim quamuis multas ex arboribus defringere & colligare virgas, quàm virgarum cauſſa virgis lacerari. S. Non improbo quod mandâti parueris, cum ipſemet non aliter facturus fuerim. Recentibus & flexilibus virgis, atque vt tute confirmas, tam craſsis peius metuo, quàm arefactis, gracilibus vſuq; ipſo detritis. Huiuſcemodi tres quatuórue elapſa hebdomade, cum primus ſcholam introgreſſus, nullum

lum præter me conſpicarer, confregi, confractas in hortum de feneſtra abieci. V. Nulla te religione tactum, tam periculoſum facinus? S. Haud te præterit, non fieri ſine periculo magnum & memorabile facinus. Non multum interceſsit temporis, cum Magiſter ira inflammatus auctorem & conſcios noxæ inueſtigauit. Negantibus reliquis, ego quoq; negare liquidò, & fingere alia omnia. V. Cur non es confeſſus veritatem? S. Rogitas? quia mercedem nimis grandem huic confeſsioni deſtinatam, ſummum ſcilicet in cruciatum me venturum eſſe intelligebam. V. Ne chorda oberres eadem: nam in tales (nec ipſorum immerito) ſæuire mos eſt Præceptoribus: videntur quippe oſores & inimici iuſtitiæ. S. Volebam gratificari meo corpori, vobisq; ſingulis. V. At nullus exſtitiſſet, qui ſi ob commiſſa verberibus accipiendus fuiſſes, ipſe ſuum corpus pro te ſuppoſuiſſet. S. Rectè. Omnes ſibi melius eſſe malunt, quàm alteri. V. ceterùm non eſt quod timeas; prius exareſcent omnes virgæ, quàm tu cædare: eò tolerabiliores erunt. S. Ecquis præſtabit me vel vnum diem forè tutum? frequenter vna interrogatiuncula, cui reſpondere nequeas, in extremum te periculum adducat. V. Quam vellem reperiretur aliqua via euadendi iſtas percuſsiones, ſeu carnificinam potius. S. Alia nulla eſt, niſi vt diſcamus quàm diligentiſsimè, quò ab iſtis plagoſis & eiulantibus ſcholis, ad felices illas tranquillas, & quaſi beatorum inſulas transferamur. V. Hoc intra triennium non erit. S. Eheu. V. Deterrimo loco ſumus. S. Attamen eo quo fuerunt quondam, qui nunc

nunc ſunt Iurecos. Philoſophi, Oratores, quo fuit ipſe Præceptor; ſiquidẽ in pueris fuerunt omnes. Adhæc non eſt nobis dedecori multari virgis à doctoribus in gymnaſio. Populo inſpectante per vias oppidorum cædi atrociter à carnificibus, ob edita ſcelera, hoc eſt in turpiſsimum ſempiternúmque dedecus incurrere. Quod ſi vocifereris elatiſsimè, minus ſentiuntur ictus. V. Tantò ferit ille validiùs, quantò tu clamas horribiliùs. S. Ob clamoris magnitudinem ceſſare interdum cogitur. V. ô vafritiem. Caue ne os tibi obturet, aut lignum tranſuerſum inſerat. S. Hic eſſet Phalariſmus meo quidem animo. Preces & obteſtationes item nõ mediocri emolumento ſunt illo tempore. V. Aſſentior, & nunc redeo in memoriam, te non ita multos ante dies ideo percuſſum leuiter, paucisq́ ictibus, quòd te ſtatim moriturum clamares, & per diuina humanaq́ omnia, perq́ extremi Iudicij diem, vt temperaret obſecrares. S. Vnde vnde auxilium, Valentine, in tam horrendo diſcrimine accerſendum eſt. Egomet mihi, ſibi quisq́ eſt charus.

ANNOTATIONES.

VIRGATVM) *Vt aquatum, lignatum, pabulatum, frumentatum, quæ ſunt bonis ſcriptoribus vſitata. Nouauimus igitur hoc verbum ſimilitudine. Sic virgatores. Plaut. Aſin. Cæſar. lib. 1. de bell. ciuil. Cuius etiam ſunt, lignator, aquator; vt Liuij pabulator.* FINGERE ALIA OMNIA) *Dictum, vt, ire in alia omnia, quod*

quod eſt epiſt.2.lib.1. & apud Cælium lib.8. ad Ciceronem. Sic præco clamabat boni ominis cauſſa, pro, qui non cenſetis. vide explanat. Manutij. OMNES SIBI MELIVS) *Terent. And. Plato 5. de leg. Hoc eſt quod dicunt, vnumquemq́; ſibi naturà amicum eſſe, idq́; rectè fieri. Ariſtot. Ethic. lib.7. Nonnullis videtur quemq́; ſibi potiſſimùm amicum eſſe.* PRÆSTARE) *Præſtare interdum Iurecoſ. pro exitum rei in ſe recipere, vel alienæ culpæ diſpendium velle luere: vt præſtare euentum, præſtare promiſſum alienum. Sic Cicero ad Vatinium epiſt. 11. lib.5. De ſeruo Dionyſio, ſi me amas, confice, quamcunq́; ei fidem dederis, præſtabo. Et 1. de Orat. perge verò, Craſſe; iſtam enim culpam, quam vereris, ego præſtabo. Id eſt, ego in me recipio. Græci* ἐγγυᾶσθαι. *Budæus in Pandect.* BEATORVM INSVLAS) *Plaut. Trinum.*

Sicut fortunatorum memorant inſulas,
Quo cuncti qui ætatem egerunt caſtè ſuam
Conueniant.

Vbinam ſitæ ſint iſtæ inſulæ, & qualis earum natura, Muretus politiſſima deſcriptione docebit, cap.1. lib.5. Horat. Ode.16. Epod. Homerus Odyſſ.4. Strabo lib.1. Plin. lib.6. cap.32. MINVS SENTIVNTVR ICTVS) *Clamore corpus intenditur: intenta autẽ quàm remiſſa magis reſiſtunt plagis & pulſibus. Etiam qui armis & ferro concurrunt, hanc cauſſam habent, cur vociferentur. Nobiſcum faciunt illa Cic. Tuſcul.2. Nec verò vnquam ne ingemiſcit quidem vir fortis, ac ſapiens, niſi*

fortè

fortè vt ſe intendat ad firmitatem, vt in ſtadio curſores exclamant quàm maximè poſſunt. Faciunt idem, cum exercentur, athletæ. Pugiles verò, etiam cum feriunt aduerſarium, in iactandis cæſtibus ingemiſcunt: nõ quod doleant, animóue ſuccumbant, ſed quia in profundenda voce omne corpus intenditur, venitq́; plaga vehemẽtior. PERQVE EXTREMI IVDICII DIEM) *Videamus num iſtud (extremus dies, ſiue extremum iudicium) pluribus & ornatius, planéque oratoriè dici poſsit. Dies ille formidoloſus, quo die vniuerſi mortales in iudicium vocabuntur, totius vitæ rationem reddituri. Dies ille, quo hominum corpora è ſomno mortis ad lucem alterius vitæ excitabuntur. Dies, quo nobis omnibus iterum dabuntur vitæ lumina, & ad Chriſti oẽs tribunal ſiſtemur.*

PROGYMNASMA
VICESIMVMSECVNDVM.
Colloquium in ſchola.

GEORGIVS, THOMAS.

GEORGIVS. Oho Thoma, iam vlciſcar me. Frequẽter abs te accuſatus, paria reponam. T. Aliquoties accuſaui te, non eo inficias: ſæpius, nego. G. Quare autem vel aliquoties? T. Quod commerueras, & mihi quoq; non plus eſt parſum ab aliis. G. Nunquam te læſi. T. Imò reum me feciſti. G. Nunquam. T. Quid eſt porrò quod

me cogitas accuſare? quid culpæ contraxi? G. Scamnum cultello ſcriptorio conſcindis, quod prohibuit Præceptor; & tuũ nomen incidis, quod grauiùs prohibuit, eáq; de re flagris alios accepit. T. Oro te, tace; cera complebo ſulcos illos, aut radam lignum, ne appareant literę. G. Vah conſiliũ callidũ. Quid dabis in loco mercedis? T. Summiſſè, ne audiat Magiſter. Pulcherrimum de globulis meis. G. an tuliſti tecum? T. non omnes. G. Quot habes? T. Septem. G. Monſtra, ſi placet. T. En. G. Sunt elegantes. Facíſne mihi copiã eligendi quem præcipuè probauero? T. Facio. G. Hunc eligo. T. Iſtum eligeres; meo enim iudicio relinquit alterum præſtantia. G. Non tam aptus eſt ad manum meam propter magnitudinem. T. Ergo iſtum, paullò minorem. G. Sine tentem. Nimium paruus eſt. T. Retinebis igitur, quem primũ omnium ſumpſeras. G. Ita faciam. Quàm venuſtè nigro albóque diſtinctus, venulas quaſdam oſtentat? Emiſtíne, an lucro acquiſiſti? T. Lucro. G. à quo? T. A Leonardo noſtri vicini filio, qui cum perſæpe ludo. G. Si tam ſcitè factis abundat globulis, prouocabo illum ego ſimiliter ad certamen. T. Vix aliquando vincitur: peritiſsimus enim huius ſcientię puer eſt. G. Et me luſorum non vltimum eſſe cognoſcet. At at, comprimamus orationem: Pręceptor de cathedra deſcendit, ne confabulantes inueniat, & ad pœnam vocet. Profectò haud multùm abeſt à nobis infortunium.

ANNO-

ANNOTATIONES.

NAturæ puerilis & in hoc, & in aliis præterea quã-plurimis vtriuſque voluminis dialogis ſpero à me adumbratam, ſi minus expreſſam & depictam imaginẽ. Mirum ſanè, quam illa iniuriarum impatiens, ad par pari referendum, ad delicta celanda, ad ludendum ingenioſa atq; prompta ſit, quæ quidem hoc loco à nobis inſinuata ſunt. Quæ autem aliis, & ſparſim, earum teſtem aduocare viſum eſt Cic. V. *de finib. Eos, inqnit, parui agnoſcunt, à quibus educantur: deinde æqualibus delectantur, libenterq; ſe cum his congregant, dantq; ſe ad ludendum, fabellarumq; auditione ducuntur: déque eo quod ipſis ſuperat, aliis gratificari volunt: animaduertuntq; ea quæ domi fiunt, curioſiùs, incipiuntq; commẽtari aliquid, & diſcere: & eorum quos vident nolunt ignorare nomina, quibusq; rebus cum æqualibus decertant, ſi vincunt efferunt ſe lætitia: victi debilitantur, animosq; demittunt, & quæ ſequuntur.*

PROGYMNASMA VICESIMVMTERTIVM.

Arma ſcholaſtica.

MICHAEL, AMBROSIVS.

MICHAEL. Scholam petentibus nobis in dies ſingulos, ac pænè incolentibus, cum inſtrumenta, vt aliis cuiuſuis generis arti-

ficibus ſua neceſſaria ſint,illorumq́; appellationes quędam mihi exciderint,obſecro,quod ſine moleſtia tua fiat, redige illas in memoriam meam, & velut ſub vnum aſpectũ ſubiice vniuerſa. A. Forſitan nõ ſubibunt animo omnia;quanquam adeo multa non ſunt. Verùm ſi quid neſciero,ait Plautinus Soſia,id neſcium tradã tibi. M. Non vertam vitio,aut non recordari,aut neſcire te,quod ipſemet vel neſciam, vel non meminerim in præſentia. A. Interroges licet,quò commodiùs accipias, quæ cupis. M. Sic agam,& ad duo capita, quò diſtinctiùs res agatur, argumentũ totum reuocabo. A. Ad quę? M. Scholaſtici aut legunt aut ſcribunt; quocirca duorum generũ inſtrumentis indigent; vnis quæ ad lectionem ipſis inſeruiant;alteris quę ad ſcriptionem. Videórne opportunè diſtribuiſſe? A. Et valde quidem. M. Enumera iam quę referuntur ad primum genus. A. Liber,libellus,quò ſpectant pagina , pagella , margo ſeu ora libri , inuolucrum ſeu operculum,quo veſtiuntur libri,vt ab iniuria vetuſtatis & puluerum conſeruentur. Huc filum , acum, ceram, quorum apud nos non infrequens eſt vſus,referre potes. Eòdem pertinet pluteus. M. Quid eſt pluteus? A. Pluteorum alius dicitur armarium ſiue repoſitorium librorũ , qui etiam in forulis reponuntur. Alius eſt tabula ſeu ſcrinium, quod ſibi ſcribentes ſubiiciunt; barbaris pulpitum. M. Habeo iſta: procede ad cætera. A. Reſtant nomina ſecundi ordinis. M. Quænam illa? A. Charta ſiue papyrus. Iam chartarum alia vocatur auguſta,tenuis nempe & candida,ad epiſtolas accommodata;appellata ſic eſt ab Auguſto.

Alia

Alia dentata,alia bibula,quę trāſmittit literas:alia Claudiana,regia,imperialis,amplo folio &craſſa: alia emporica,mercibus inuoluendis idonea,vnde cuculli fiunt: alia charta virgo, ex qua nullum eſt deſcriptum exemplar:alia pura,in qua nihil eſt literarum:alia pergamena,quoniam apud Pergamum Aſiæ vrbem inuenta ſit; etiam membrana dicitur.Hæc de chartarum generibus. Atramentum ſcriptorium ſiue librarium. M. Cur addidiſti ſcriptorium ſiue librarium? A. Quòd aliud eſt atramentum fuligineum,quo vtuntur typographi, aliud ſutorium : quanquam conſuetudo , quæ eſt verborũ domina,nihil ſolet adiicere.Atramentarium , calamus abſolutè ſeu calamus ſcriptorius. Cultellum graphiarium ſeu ſcalpellum,ſcalprum librariũ vocat in Vitellio Suetonius , vt docti annotârunt. Theca calamaria ſeu graphiaria , theca ſiue pixis pulueraria,ſiue arenaria. M. Annon putas aliis quibuſdam armis nos indigere? A.Immò: ſed præcipua recenſui.Sunt ergo inſuper forfices, clepſydra, regula, circinus æneus,& nonnunquā, pręſertim in ęſtate,cum Sirius ardor findit agros, & verſiculi cõponuntur,moderatus vini hauſtus.

Ingenium potis irritat Muſa poëtis,

Bacche ſoles Phœbo fertilis eſſe tuo;

inquit Propert. M. Optatiſsimũ verò inſtrumentum: nominaſſes hoc primo loco. A. Nam quia carmina lætum ſunt opus,vt cecinit Ouid.vinum exhilarat animum. Et ſæpe audiſti illud Eccleſiaſtici:*Vinum lætificat cor hominis.* M.Probabilius dixiſſes, pecunia quoque vt inſtrumento , opus eſſe ſcholaſticis,idq; non interdum , ſed continenter;

qua ſuppeditante, multò hilarior fit mens, quàm vini potu: & pecunia vinum emi poteſt, vino pecunia non emitur, emi certè quidem non dicitur. Nunc de hoc in me collato beneficio multum te amo, tibiq́ gratias ago.

ANNOTATIONES.

Arma Scholastica) *Armorum nomine non bellica modò, verùm etiam quarumuis artium atq; rerum inſtrumenta intelliguntur. Agricolarum arma ſunt ligones, ſarcula, plauſtra, vomeres, &c. Nautarum rudentes, vela, antennæ. Virg. Georg. 1. Dicendum & quæ ſint duris agreſtibus arma. Æneid. 5. Colligere arma iubet, validisq; incumbere remis. Et ſua item piſtorum. Æneid. 1. Tum Cererem corruptam vndis, cerealiaq́; arma, Expediunt feßi rerum. Cocorum ollæ, ſartagines, cochlearia. Studioſorum libri, calami, &c. Sacerdotum breuiaria quæ vocant, miſſalia, calices, &c. Cic. in Bruto, ingenij, auctoritatis, in Oratore, prudentiæ, in Catone, arma aptißima ſenectutis artes & exercitationes. Quintil. arma facundiæ dixit.* Alia vocatvr Avgvsta) *De hoc, vt item de aliis chartarum generibus Hieratica, Liuia, Saitica, Teneotica, Corneliana, Fāniana, legendus Plinius lib. 13. cap. 12. & Turneb. lib. 7. cap. 2.* Alia dentata) *Apri, aut etiam equi dente læuata. Quod item nunc, vbi quid ſcribimus accuratius, facere ſolemus, ad inæqualitatem chartæ complanandam: quo calamus quaſi currat expeditius. Hæc Manut. in ep. 14. lib.*

lib.2.ad Q.F. *Reprehendit deinde Eraſmum, qui charta dentata, pro acerbè, & iracundè ſcripta interpretatus ſit.* ALIA EMPORICA) *Hac mercatores vtuntur pro inuolucris & integumentis mercium, tanquam ad ſcripturam inutili, & craſſa nimis.* ALIVD SVTORIVM) χάλκανθος *Græcis, à quibuſdam vitriolium. Galenus inter maximè noxia pharmaca numerat; nec tutò iis medicamentis admiſceri putat, quæ per os aſſumuntur. Significat item colorem, quo corium ſutores ad calceos faciendos imbuunt.* Cic.ep.21.lib.9. *Hoc verò qui Lilybæi à Pompeio noſtro interfectus eſt, improbior nemo meo iudicio, fuit. Iam pater eius accuſatus à M. Antonio, ſutorio atramento abſolutus putatur. Quem locum aliter explanat Manut. aliter Turneb.lib.6.cap.1.* SIRIVS ADOR FINDIT) *Caniculæ exortæ accendi ſolis vapores quis ignorat? cuius ſyderis effectus ampliſſimi in terra ſentiuntur.* Plin.lib.2.cap.40. MODERATVS VINI HAVSTVS) *Vinum parcè ac moderatè ſumptum, ingenium acuit, vt alia multa bona quæ affert omittam. Immodicè immoderatéq; hauſtum rationem perturbat, intellectum hebetat, memoriam imminuit, omnem animi vigorem quodammodò eneruat atq; interficit. De hilari autem animo ad verſus pangendos neceſſario, & de enthuſiaſmo in hunc modum* Cic.ad Q.F.epiſt.4.lib.3. *De verſibus quos tibi à me ſcribi vis, deeſt mihi quidem opera, quæ non modo tempus, ſed etiam animum vacuum ab omni cura deſiderat: ſed abeſt etiam* ἐνθουσιασμός. *Non enim ſumus omnino ſine cura venientis anni.* Ep.5.

Opus eſt ad poema quadam animi alacritate, quam planè mihi tempora eripiunt.

PROGYMNASMA VICESIMVMQVARTVM.

Inuitatio Magiſtri.

DISCIPVLVS, MAGISTER.

DISCIPVLVS. Pater mihi pro imperio dixit, amãtiſsime doctor, vt ſimul ac docendi finis eſſet factus, & dimiſſus auditorum cœtus, nec latum pedem abs te diſcederem, niſi mecum ires domum noſtram ad prandium. M. Pręter opinionem iſta vocatio, penitusq́; inſperata accidit. Egóne ad prandium? Renuntia ſalutem à me patri tuo: tũ iſti eius humanitati verbis meis gratias age, & narra; Præceptorem tuum de veteribus amicis in hunc ipſum diem expectare quendam inuitatum ad prandium; timereq́;, ne ille poſtea in ſe illuſum arbitretur, ſi inuitatorem ſuum non inuenerit. D. Legitimam excuſationẽ tuam haud contemnet pater, vt reor. Veruntamen vt vnà eſſe velis hodie in cœna, te impensè, mi Præceptor, rogamus. M. Alienum eſt moribus meis cœnare foris, niſi quàm rariſsimè, & ſi quis precibus me fortè expugnauerit. D. Qua de cauſſa? M. Rogas? Quoniam cum non plus ferè quàm acetarium cum minutis piſciculis, cum fruſtulo agninæ aut vitulinæ cœnitare conſueuerim, vereri

vereri ſoleo, ne conuiuis hilarioribus ob iſtam, vt apparet, Xenocrateam victus moderationem aliquid moleſtiarum aſpergam: ſæpius item ſtomachi auerſionibus laboro. D. Vt ita ſit, & te ſine arte menſa delectet, tamen (quod ex ore tuo audiui centies) ſermo feſtiuus, qui in conuiuiis adhibetur, etiam quidam cibus eſt, quo velut cōdimento epularis illa amicorum accubatio commendatur. Proinde ſi comedere de patinis omnibus minùs libuerit; at patrem, & qui vnà diſcubuerint tuorum leporum ſuauitatibus, illiſq; rerum geſtarum, quibus multum dediſti ſtudium, vtiliſsimis iuxta atq; deſideratiſsimis commemorationibus recreare etiam atq; etiam poteris. M. Gaudétne parens tuus rerum antiquarum notitia? D. Vt qui maximè. Quidquid ipſi vacui, ac liberi tēporis conceditur, perire non ſinit, hiſtoriis legendis conſumit. M. Pluréſne affuturi ſunt in cœna, & qui? D. Cur iſtud quæris? M. Imitor Chilonē, quem narrat Plutarch. cum vocaretur, non ante foras promiſiſſe, quàm eorum qui eôdem inuitarentur nomina ſingulatim cognouiſſet. D. Quam ob cauſſam? M. Dicebat quibuſdam neceſſe eſſe vnà nauigare aut militare, eorum etiam moleſtò comitatu atque contubernio vtendum eſſe. Vltro autem qualibuſcunq; ſe admiſcere conuiuis, non eſſe ſani hominis. P. Præter patruū, auumq; maternū, qui crebriùs adſunt, nemo mortalium. M. Qui vtrumuis nôrit, ambos nouerit: viri ſunt honeſti & graues. Referes ergo patri, me hominem eſſe non multi cibi, ſumptuoſiſq; cœnis non amiciſsimum: atque ad eum, quando ita vult, col-

loquendi potius, quàm edendi cauſſa ſub veſperam eſſe vẽturum. D. Quacunque gratia ad domicilium noſtrum acceſſeris, tuo aduentu omnibus nobis magnam es lætitiam oblaturus.

ANNOTATIONES.

VOCATIO) *Vocare dicebant veteres, nihil adiicientes, cum ad cœnam, ſeu prandium ſubintelligerent. Plaut. Aſin. Vocet conuiuam neminem, illam tu voces. Catull. ad Fund. Qui tunc vocat me, cum malum legit librum. Vocatores quoq; ſeruos nominabant, quorum opera in vocandis conuiuis vterentur. Ipſam præterea inuitationem vocationem. Catull. ad Porcium, & Socrat.*

Vos conuiuia lauta ſumptuosè
De die facitis, mei ſodales
Quærunt in triuiis vocationes.

Sic Græci κληθέντες, *ſubintelligentes* ἐπὶ δεῖπνον, *&* κλήσεις *ipſas vocationes ſeu inuitationes huiuſmodi Victor. lib. 5. cap. 17.* VT VNA ESSE VELIS) *Donat. illud Terent. And. fortè (ita vt fit) filium perduxere illuc ſecum, vt vnà eſſet meum, exponit, vt ſimul cibum caperet, priore natura producta, à verbo edo. Sic in Eunuch. vt de ſymbolis eſſemus, id eſt, vt commeſſaremur. Apud aliquem autem cœnare, non eſt cum illo cœnare, ſed in eius ædibus. Et poteſt aliquis cum aliquo, nec tamen apud eum cœnare. Plura Manut. in epiſt. 13. lib. 4. ad Att.* CVM FRVSTVLO AGNINÆ) *Imbe-*

cillo

cillo ſtomacho omnes pæne cupidi literarum. Celſ. lib. 1. cap. 1. Illis itaque cibi ad concoquendum difficiles dandi non ſunt. Arnob. lib. 7. Ne ſtomachum fatiget inualidum, hic bubulam duriciem vitat, & lactentium lenitatem, quo digerat expeditiùs, ſumit. Negauit Cleanthes vllum cibum eſſe tam grauem, quin is die & nocte concoquatur: cuius etiam in reliquiis ineſt calor iis, quas natura reſpuerit. Cic. 2. de natur. Deor. XENOCRATEAM VICTVS) *Singularis fuit philoſophi huius frugalitas, qui ſæpius obſonia iam rancida facta abiecit: nec rarò cum cadum aliquem vellet relinere, vinum acidum factum inuenit. Prouerbium, Xenocratis caſeolus; quod non ad cibum duntaxat, ſed ad veſtem, libros, aliasq́ res, quibus ita parcè cauteq́ vtimur, vt quã diutiſſimè durent, accommodabitur. Laudatur & moderatio Platonis. Qui cum in Academiam inuitaſſet Timotheum Cononis filium, Principem in Athenienſium Repub. frugali eum cœna accepit. Itaq; videns ſequenti luce philoſophum Timotheus, veſtræ cœnæ, inquit, non in præſens modò, verùm in poſterum quoque diem ſunt iucundæ. Ælian. lib. 2. cap. 18. reuerſum à cœna ſuis dixiſſe tradit: Qui cum Platone cœnant, etiam poſtero die bene habent. Ipſi autem Platoni poſtera luce: Vos ô Plato melius cœnatis ſequenti die, quàm præſenti. Meminit etiam Cic. Tuſcul. 5. Plutarch. de tuend. valetud. Victor. lib. 18. cap. 3.* SINE ARTE MENSA) *Hoc vnum ex illis eſt, quæ pulcherrimo carmine vitam beatiorem facere canit Martial. lib. 10.*

PRO-

PROGYMNASMA VICESIMVMQVINTVM.

Ludimagiſter defenſus.

KILIANVS, IOACHIMVS.

KILIANVS. Etiamnum, Ioachime, corium doleo, ita me blandis modis permulſit Magiſter. I. Mihi verò vola toties impacta ferula adhuc feruet. K. Quantum datur perſpicere, moroſus eſt homo iſte, & infeſtus tardioris ingenij pueris. I. Non, ſed tardioris diligentiæ pueris. Et certum ſcio, ſanctéq; adiurare poſsim, ſuapte natura ad manſuetudinem eſſe propenſiſsimum, ac perſonam tetricam vultuoſamq; induere noſſe, viciſsimq; deponere, cùm vſus venerit. Non ſolùm enim multa doctrina, ſed plurimo etiam rerum vſu, ſummaq; prudentia eſt. K. Sæpiſsimè cholera incenſum ac frementem notaui. I. Quia nimirum ſæpiſsimè exſtiterunt, qui ipſi bilem cierent: parcè ac molliter cæteroqui iraſcitur. K. Mihi Deum ſatis fuiſſe iratum ſcio, qui hunc virum nactus ſim, à quo acciperem diſciplinam. Qualis qualis ſit, vtinam meus Præceptor non ſit. I. Garris, cur iſtuc precaris tibi? K. Quia præſtat verbis, quàm verberibus puniri. I. Præſtat: atqui vtrumq; vſurpandum eſt, cum alterutro nihil efficitur. K. Quo tãdem modo Ioachime? I. Eſt apud quem verbis, eſt apud quem plagis vti, eſt quem acriùs obiurgatum nihilo-

minus

minus virgis pulſare neceſſe ſit. K. In illis primis profiteor nomen meum. I. Exiſtimo totam rem doctoris iudicio reſeruandam eſſe: qua ſcilicet ratione nos erudiat, & merentibus pœnam irroget. In ſua cauſſa nemo incorruptus arbiter. Ac Senecæ quidem nulla videtur dura curatio, cuius effectus eſt ſalutaris. K. Vereor ne aliquà ad familiam hoc permanet, me percuſſum in gymnaſio, & ita inſuper irridear, vt malum malo geminetur. I. Quod tu times, propulſabo facilè. Nullus mortalium indicium faciet, niſi fortè inſaniat. K. Valde abhorret à me voluntas hominis; acerbè odit me, inquam, Præceptor: nunquam tamen ſciens commerui, vt illum meritò caperet odium mei. I. Quo argumento id affirmas? K. Toties ingerit verbera. I. O Chryſippeum acumen: perinde quaſi non etiam parentes filios dicto minùs audientes pulſent frequentiſsimè, quos nihilominus amant, charosq́ꝫ habent. Nunquam pater pugnos tergo incuſsit? K. Etiam in capillos inuolauit frequens, meumq́ꝫ caput impleuit fuſtibus. Poſtulas ergo, vt cùm pœnas de me ſumit Magiſter, ego hoc ſignum amoris interpreter? I. Certè. K. Si Suadæ medulla ſis, non perſuadebis. I. At ſaltem ſignum ſollicitudinis. Nam ſi neqꝫ amaret, neque noſtri cura tangeretur, haud aliquãdo interrogaret nos, haud vnquam errantes corrigeret. K. Tu quantus quantus nihil niſi ſapientia es. Age, iam credo non ſine cauſſa ipſum virgas tam crebrò in meam pellam expedire. De cetero ſtudebo, vt ne tanto in me amori occaſionẽ ſæuiendi offeram. I. Si pluſculum ſedulitatis in diſcẽdo

ſuſce-

ſuſceperis, tute tibi conſules, alioqui nugas magnas egeris. K. Vel ad mortem diſcam, dum iſtis execrabilibus virgis corpus meum eripiam. I. Fac ſis verba ad rem conferas, ne audias; Promiſsis diues.

ANNOTATIONES.

TOTIES INGERIT VERBERA) *Lege hiſtoriam planè grauem & iucundam quam de Plutarcho & ſeruo Philoſopho verberari iuſſo Taurus eiuſdem Plutarchi diſcipulus Gellio auditori ſuo narrauit. lib.1. cap. 26. & diſce quo pacto ſimiliter conquerentibus reſpondeas.* CHRYSIPPEVM ACVMEN) *Ingenioſiſſimus & acutiſſimus fuit Chryſippus, atq; in dialecticis adeo excellens & inſignis, tantaq; apud omnes opinione, vt pleriq; dicerent, ſi apud Deos eſſet vſus Dialecticæ non alius quàm Chryſippeæ futurum. Laërt.* SI SVADÆ MEDVLLA SIS) *Ennius M. Cornelij Cethegi eloquentiam prædicans, poſt cetera de eodem ita ſcripſit: Flos delibatus populi, Suadaq; medulla. Vocat medullam, qua voce res reconditas & ſuaues ſolemus appellare, quod quæ talia ſunt, natura intimè recondat, vti medullas. Suadam porro Græci* πειθὼ, *Quintilianus perſuadendi Deam, Horat. ſuadelam, Cic. leporem. Simile eſt illud Ariſtophanis.* οὐ γὰρ πείσεις, οὐδ᾽ ἂν με πείσῃς. *Non perſuadebis, ne ſi perſuaſeris quidem.* VT NE TANTO IN ME) *Vt ne, eandem vim habet, quam, ne. Cic. Fides tua patietur, vt ſocrus adoleſcentis*

rea ne ſiat. Plaut. Mercat. At ego expurgationem habebo, vt ne ſuccurrat. Terent. And. Si poterit fieri, vt ne pater per me ſtetiſſe credat. Eunucho. Vt ne impunè in nos illuſeris. PROMISSIS DIVES) *Verſiculus eſt Ouid. Promiſſis diues quilibet eſſe poteſt. Mos eſt Ciceroni, quos ex auctoribus adducit locos, primis duntaxat verbis indicare, quem licet imitemur, vbi tamen legētibus noſtra loci illi noti fuerint. Obſeruauit hoc Manut. in epiſt. 18. quæ eſt ad Leptum. lib. 6.*

PROGYMNASMA
VICESIMVMSEXTVM.

Dies remiſſionis.

POLYCARPVS, IGNATIVS.

POLYCARPVS. O dies Mercurialis, credibile non eſt, quàm optatus & charus illuxeris, vt aliâs in hebdomadas ſingulas. Celebritatis, venuſtatisq́; plenus es. I. Pernoui cogitationes tuas. Quia luſurus es, idcirco tam amicè ſalutas præſentem diem. P. Vellem alternis reuertere; nam continens biduum nauſeabundus tracto literas. I. Votum aſinorum; qui, ſi loquerentur, optare ſe dicerent cum Polycarpo meo, vt alternis tantum dorſa onerati incederent. P. Non ego hoc ſolus, Ignati, complures mecum deſiderant. I. Nempe ſic eſt profectò vt dicam tibi: multi tecum

tecum magis amant catellos ſuos, quàm ſtudia bonarum artium, creduntq́ ſibi dormientibus omnia confecturum Deum. P. Dum latinè loqui ſciam modò, Ariſtotelem & Euclidem tibi & aliis relinquam. I. At tu ne latinè quidem aliquando diſces, ſi audiendi, legendi, loquendi, ſcribendi quandam perſeuerantiã non adhibeas. P. Quorſus hæc tetrica & iucunditatis omnis expertia, vt Catones aliqui fabulamur? Hodie inſigniter ludendum eſſe aio, inſtaurandasq́ vires, quas labor tam longus delaſſauit. I. Nec Ignatius ludũ quietemq́ neceſſariam recuſauerit: quin paratus ſum hac ipſa hora tibi colludere; nulla tibi hoc quidẽ in negotio à me difficultas erit. Remiſsiones crebras & extraordinarias odi; ſiquidem honeſtis moribus, optimarumq́ artium ſtudiis detrimentoſæ ſunt. P. Tu fac, & ſenti quod collibuerit, mihi indulgentia vacationum nihil poteſt contingere gratius. Magiſtri viderint quid, quibus, quando indulgeant: noſtrarum partium eſſe ſtatuó, quod conceditur non inuitos accipere, quotieſcunque conceditur. I. Olim cognoſces te nimium luſiſſe. P. Et tu perſpicies olim, te nimium ſtuduiſſe; quãdo, inquam, oculi caligabunt, ventriculus cibum malè concoquet, corpus totum pallor & macies obſidebunt. Nimia omnia nimium exhibent negotium hominibus. I. O falſidicum vatẽ. Haud ita me intemperanter ingurgito literis, vt iſtas prædictiones formidare oporteat. Audiui etiam eruditos plurimos, ad decrepitam ætatem æuum extendiſſe, cùm aſsiduè in libris literisq́ eſſent volutati. P. Ipſe Thales ad ſapientiam tuam merus

rus nugator eſt. Deſine philoſophari: hæc lux hilariter conſumenda eſt. I. Qua tandem ratione conſumenda? P. Viſne in prata virentia concedamus, ibiq; pila experiamur palmaria? I. Volo ſanè: vtile & iucundum eſt hoc ludendi genus. Aſcende è veſtigio in conclaue, & defer amborum pallia cum pila. P. Vbi eſt pila? I. In pluteo, aut certè in capſa ductili ſub menſa. P. Eo vt afferã. I. Actutum redi, hîc te expectauero. P. Illic ſum, atque hîc ſum.

ANNOTATIONES.

SIBI DORMIENTIBVS OMNIA) *Alluſio ad picturam, qua pingebant inuidi dormientem Timotheum Cononis filium fortunatiſſimum Athenienſium ducem, & vrbes vltro in ipſius naſſam ſe induentes. Quã rem iniquo animo tuliſſe fertur, cùm ſua egregia facinora victoriasq; non fortunæ, ſed virtuti adſcribenda putaret. Refert Plutarch. in apophthegmat. Regum & Impp. additq; hoc dictum illius. Si tantas ego vrbes per ſomnum capio, quid me vigilantem putatis facturum? Item ad poëtarum commentum, qui ſe ex ſomniis Heſiodi & Ennij fabulantur in monte Parnaſſo dormientes vna nocte poëtas fieri. Nihil hoc ſomno celebratius.*
AVDIENDI, LEGENDI, LOQVENDI, SCRIBENDI) *Alit lectio ingenium, & ſtudio fatigatum nõ ſine ſtudio tamen reficit: Nec ſcribere tantum, nec tantum legere debemus. Altera res contriſtabit & vires exhauriet:*

hauriet: de ſtylo dico: altera ſoluet ac diluet. Inuicem hoc illo commutandum eſt, & alterum altero temperandum, vt quidquid ratione collectum eſt, ſtylus redigat in corpus. Seneca, epiſt. 84. VT CATONES ALIQVI) *Vtriuſq; Catonis, Cenſorij, inquam, & Vticenſis grauitas, ſapientia, & virtus nota eſt. Poſterior in Stoicis numeratur, & à Cicerone pro Murana in eum ſectamq; ſuam multa iocosè dicuntur, ſoletq; hoc nomen pro ſeuero & rigido vſurpari; quemadmodum illa philoſophica diſciplina tetrica ac moroſa fuit.* VENTRICVLVS CIBVM) *Medicorum ſententia, qui in ſtudiis acres & aſſidui ſunt, ſtomachos habent debiliores parumq; calidos, quod illa cogitationum & animi contentio calorem diſſipat & labefactat.* PLVRIMI AD DECREPITAM ÆTATEM) *De Platone, Iſocrate, Gorgia, Cic. de ſenect. in hunc modum: Eſt etiam quietè, & purè, & eleganter actæ ætatis placida ac lenis ſenectus: qualem accepimus Platonis, qui vno & octogeſimo anno ſcribens mortuus eſt: qualem Iſocratis, qui eum librum qui Panathenaicus inſcribitur, quarto & nonageſimo anno ſcripſiſſe dicitur, vixitq; quinquennium poſtea: cuius Magiſter Leontinus Gorgias centum & ſeptem compleuit annos, neq; vnquam in ſuo ſtudio atq; opere ceſſauit. Democritus centum & quatuor annos vixiſſe traditur. Hippocrates quartum vltra centeſimum ſuperaſſe. Galenum accepimus ad centeſimum quadrageſimum perueniſſe. Deniq; longæuos, eoſdemq; eruditos in Catone iterum adducit non paucos his verbis M. Tullius.*

Num

Num igitur hunc (Sophoclem) num Homerum, num Heſiodum, num Simonidem, num Steſichorum, num, quos antè dixi, Iſocratem, Gorgiam, num Philoſophorum principes Pythagoram, Democritum, num Platonem, num Socratem, num poſtea Zenonem, Cleanthem, aut eum, quem vos etiam Romæ vidiſtis, Diogenem Stoicum in ſuis ſtudiis obmuteſcere ſenectus coëgit? an non in omnibus iis ſtudiorum agitatio vitæ æqualis fuit? IPSE THALES AD SAPIENTIAM) *Septem ſapientes fuerunt, Solon Athenienſis, Thales Mileſius, Chilo Lacedæmonius, Pittacus Mitylenæus, Cleobulus Lindius, Bias Prienenſis, Periander Corinthius. Eorum vitam perſecutus eſt Laert. Dicta ſingulorum verſibus incluſit Auſonius. Eſt autem locus, ad quem fit alluſio, in Capteiuis hic.* T.

Euge pol, Thalem talento non emam Mileſium.
Nam ad ſapientiam huius ille nimius nugator fuit,
Vt facetè orationem ad ſeruitutem contulit?

PROGYMNASMA
VICESIMVMSEPTIMVM
Emendatio ſcriptionis.

DISCIPVLVS, MAGISTER.

DISCIPVLVS. Perbreuem epiſtolam, Præceptor, ad parentem effeci, eam ſi tibi eſt otium, corrigere, quæſo, ne abnueris. M. Quod eſt argumentum? Qua de re ſcribis? D.

Explico rationem valetudinis meæ: hinc argentum partim ad nomina diſſoluenda, partim ad libros coëmendos peto. M. Lege initium. D. *Andreas Prætorius Nicolao Prætorio amantiſſimo parenti S. P. D.* M. Rectiſsimè, iam progredere. D. *Quanquã haud ita pridem literas ad te dedi, mi pater.* M. Vox (quanquam) indicandi ne modo, æquè vt coniunctiuo iungitur? Nonne dicendum erat: quanquam dederim? D. Probè indicatiuo iugatur. M. Profer idonei ſcriptoris teſtimonium, ſi recordare. D. Etiam plurium. M. Tullius ad Curionem. Quanquam me nomine negligẽtiæ ſuſpectum tibi eſſe doleo. Et pro leg. Manil. Quanquam mihi ſemper frequens conſpectus veſter multò iucundiſsimus, hic autem locus ad agendũ ampliſsimus, ad dicendum ornatiſsimus eſt viſus. Virg. 2. Æneid. Quanquã animus meminiſſe horret. Terent. Eunuch. Quanquam illam cupio abducere. M. Sic enitere ſemper, vt quod loqueris aut ſcribis, bene latinũ eſſe confidere poſsis. Quid ſequitur? D. *Quibus te certiorẽ reddidi.* M. Emenda, certiorem feci. D. Atqui ego ſæpius memini me legere, certiorẽ reddere, & doctos ita loquentes non ſemel audiui. M. Si pro Latinis ea ducamus, quæ vbicunq; legimus, & à quibuſuis audimus, nihil erit inquinatũ, nihil parum proprium, nihil barbarum, omnia nitida, propria, & quaſi ex hortulis Gratiarum delibata. Videndum diligenter, quæ verba quibus copulẽt Cicero, Salluſtius, Liuius, Cæſar, Virgilius, Terentius, Plautus, & reliqui auctores, qui latinitatis lautum copioſumq;

patri-

patrimonium nobis reliquerunt: horum ſermoni aſſuefacti qui erunt, etiam volentes non poterunt niſi latinè & ornatè loqui. Quare ipſorũ pulcherrima ſimulachra ceu pictoribus ante oculos noſtros in omne tempus verſabuntur. Hoc primum. Deinde obſeruãdum ſtudioſè, quid homines noſtri, non tantùm eruditi (nõ enim eſt ſatis) ſed etiam caſti illius, incorrupti, minimè infuſcati, & natiui ſermonis periti, aut amplectantur aut aſpernentur. Quare Paulus Manutius in explanatione epiſt. 4. lib. 2. negat latinè dici, certiorem reddere: cuius viri tanta eſt apud me auctoritas, vt ea ſola ad credẽdum impellar. Lege cetera. D. *Quibus te certiorem feci de omnibus, quæ te ſcire velle non dubitabam: tamen cum mihi præceperis.* M. Varia illud (præceperis). D. Iuſſeris, in mandatis dederis, imperaueris, iniunxeris, impoſueris. M. Perge. D. *Cùm mihi impoſueris, vt quàm frequentiſſimas ad te literas darem.* M. Duo peccata. Primùm, quamuis, præceperis, iuſſeris, & reliqua duo cum particula, vt, & Optatiuo & Subiunctiuo non vitioſè coagmententur, tamẽ voces, iniungere, imponere, niſi cum accuſandi caſu non ſignificant quod tu ſentis: dicendum quippe, iniungere aut imponere alicui munus, onus, neceſsitatem, prouinciam, ſeruitutem & ſimilia. Itaq; loquitur barbarè vulgus, cum ait; Philippus iniũxit mihi, vt ſe expectarẽ. Pater impoſuit filio, ne noctu eat ambulatum. Alterum, cùm ſupra dixiſſes, ad te literas darẽ, mutanda erat locutio, vt diceres; quàm frequentiſsimas, ſeu creberrimas ad te epiſtolas

mittere. Oportet enim te non ſolùm purè, nō ſordidè, propriè, non impropriè, verùm etiā copiosè loqui, ſcriptaq́ue tua verborum varietate, ac modis ſeu formis loquēdi diſtinguere. Similitudo namque tædium legentibus generat, & ſenſus aurium eſt faſtidioſiſsimus. D. *Et cum haberē certum tabellarium, omnino ſcribendum putaui. Quod ad valetudinem meam attinet, quam tibi & ſuauiſſimæ matri magnæ ſollicitudini eſſe nō me clam eſt, valeo rectè, & Chriſto Saluatori.* M. Conſiſte. Offendit pleroſque omnes Ciceronianos iſta vox, Saluator, pro ea vtuntur Seruator. Verū accuratiſsimus ille Manutius comment. in lib. 2. Act. 2. in Verrem, ſeu Verrinam quartam, docet non idem declarari hoc nomine, quod illo altero Chriſtiani declarant, & Saluatoris voce Græcum σωτὴρ exprimi. Eum leges cum tempus venerit. Apud Arnob. lib. 2. eſt Soſpitator quæ etiā in Chriſtum conuenit. D. *Chriſto Saluatori grates ago, qui me viuum ac ſoſpitē hucuſque clementiſſimè conſeruauit.* M. Cōmodè, ſuauiter, religiosè. D. *De victu veſtituq́ue meo nihil eſt quod cogites, Pater, non egeo. Pecunia nō ſuppeditat, qua libros ſtudiis meis, in quæ menſe Octobri me ingreſſurū ſpero, oratoria videlicet, vtiles ac neceſſarios parare queā. Adde quòd ob eā cauſſam æs alienū conflaui. Id etſi pauxillū eſt, nihilominus eo quamprimùm exire cupio: atque id te quoque velle mihi perſuaſiſſimū eſt. Quapropter 12. aureos in præſens te rogo pater mi chariſſime. Quos ſi miſeris (mittes autē) filium me habebis ex ſentētia.* M. Mirificè lætus ſum

iſta

ſta induſtria, quã te in diſcendo adhibuiſſe claret. Fac ne abs te ipſo deſciſcas. D. *Vale*. M. Aliter. D. Valebis, cura vt valeas, valetudinẽ tuam cura diligenter, da operã vt valeas. M. Quo pacto adſcripſiſti locũ & tẽpus? D. *Auguſtæ Idib. Februariis Anno M. D. LXXXIX.* M. Ecquid legendo obſeruâſti, quemadmodũ à noſtratibus ſcriptoribus hoc idẽ variè efferatur? D. Maximè. Anno poſt Chriſtum natũ, Chriſti nati, anno à Deipara virgine, à puerpera virgine, à partu virginis, à ſalute humana, hominũ generi data, reſtituta, recuperata, ſalutis per Chriſtum reſtitutæ. M. Dignus es qui lauderis laudibus, & ad cuius exemplum ceteri omnes ſeſe componere ſtudio ſibi habeant.

ANNOTATIONES.

NEMO *nos iure accuſet, opinor, ſi, cùm in hoc progymnaſmate, & deinceps ſequenti Præceptorem breuiter doceamus, quo pacto is ſuorum ſcripta emendet, aliquot ſuper hoc officio leges, à nobis è doctiſſimorum commentariis de ratione docendi ſtudioſè collectas, hoc loco, vbi id quàm commodiſſimè videtur poſſe fieri, in medium proferamus.*

1. *Inter emendandum vacet omni acerbitate & contumeliis Magiſtri oratio.*

2. *Si quis emendatus iraſcetur, ipſe nihiloſecius emẽdet: ceterorũ enim ducenda eſt ratio, qui recta cenſebunt eſſe, quæ Magiſter non emendata reliquerit.*

3. *Condonandum aliquid ætati, & ad vitia quædam*

conniuendum, quoad ingenium iudiciumq́; confirmentur: ne videlicet ob emendationis ſeueritatem deſperent, doleāt, & exercitationem cum Magiſtro oderint; dumq́; omnia timent, nihil conentur. Non adhibent teneris frondibus falcem agricolæ.

4\. *Sit hilaris & iucunda emēdatio, vt remedia alioqui inſuauia parumq́; grata leniātur. Quædā commendet, alia mutet, alia ferat, alia illuminet, nonnunquam ſua interponat, rationē etiam facti aliquando reddat. Sed quæ bene poſita fuerint, ea interdum laudet palam; quo & ipſi adoleſcentes hac gloriola deliniti in curſu alacriores fiant, & reliqui eiuſdem honoris expectatione exemploq́; ad diligentiam incitentur.*

5\. *Conſueuerunt medici nonnulla in ægrotis laudare, nō quia talia ſunt, ſed quo facilius talia eſſe poßint. Ita conuenit Magiſtrum tardiores negligentioresq́; nonnunquam hyperbolicis laudationibus ad acrius bene ſcribendi ſtudium inflammare.*

6\. *Dum vnius epiſtolam ſeu ſcriptionem corrigit, aliquando de improuiſò alios de iis quæ in manu ſunt interroget: quo & iudicium ipſorum cognoſcat, & attētos faciat, eademq́; opera conſequatur, vt interim in ſuis ipſi ſcriptionibus aliquid emendent.*

7\. *Qui tam ſegniter vitioſeq́; & ineptè inelleganterq́; ſcripſerit, vt emendari ſcripta non poßint, eum eadem de re de integro ſcribere iubeat: data ſignificatione ſpei, illum, ſi diligentiam modò adhibuerit, melius ſcripturum.*

8\. Sunt

8. *Sunt quædam vitia, quæ in adoleſcentibus diſplicere Magiſtris non debent, vt ſublimior ſpiritus, verborum luxuries, nimis exquiſitæ voculæ, ſublecta hemiſtichia, aut integri verſus, apertior imitatio, parua quædam furta, compoſitio curioſè numeroſa & ſimilia. Dicendum, laudare nos iſta adhuc, venturum tempus, quo ea non concederemus. Sic & ingenio gaudebunt, & iudicio non errabunt.*

9. *Seu quid laudes, ſeu quid reprehendas, vtrúmuis modicè & variè. Lauda in hoc ſermonis puritatem, in illo perſpicuitatem, in alio leporem, in quibuſdam inuentionem, in aliis diſpoſitionem, in his grauitatem, in illis ornatum. Contraria in vituperatione ſeruabis.*

10. *Quorundam illiberalibus ingeniis ac ruſtico pudori blanda & priuata monitione ſuccurrendum.*

11. *Ne celeritatem compoſitionis requirat Magiſter. Danda opera, vt quàm optimè ſcribamus, celeriter deinde vt ſcribamus, conſuetudo dabit. Et citò ſcribendo non fit vt bene, bene ſcribendo fit vt citò.*

PROGYMNASMA
VICESIMVMOCTAVVM.

Diuerſarum ſcriptionum emendatio.

MAGISTER, DALMATIVS, GERARDVS, RODOLPHVS diſcipuli.

MAGISTER. Quæ præterito die Lunæ ſuper varietate exercitationis in vtraq; oratione, ſoluta nimirum ac libera, & pedibus deuincta ſiue ligata à me diſputata fuerunt, ea ſi minùs vniuerſa, at complura meminiſſe vnumquemq; veſtrûm exiſtimo. Pedetentim ad ſingula genera aggrediemur, & modò in hoc, modò in illo conſuetudinem capiemus, vt facultatem nobis quàm expeditiſsimam ad ſcribendum comparare poſsimus. Et quoniam triduum effluxit, cum dictaui quibuſdam, quem breuiter & planè explicarent, ſeu complecterentur apologum; aliis verſiculos aliquot de Ouidio; aliis Germanicam epiſtolam, quam in linguam latinam transferrent; volo nunc tandem experiri, & reipſa cognoſcere, qui veſtri conatus fuerint, quiq; datum ſibi penſum felicius confecerint. De primo igitur ordine ad me accedat Dalmatius. Recita ſcriptionem tuam: D. *Olim, cùm animalia loquerentur, ouis dixit domino ſuo: Miror quod nihil vnquam præbes nobis.* M. Miror quòd, puto quòd, & ſimilia non eſſe barbaros & illotos loquendi modos, vt plerique ex inſcientia latinitatis putant, prolatis è Cicerone, Varrone, Liuio, Suetonio, Plauto, Catone, teſtimoniis docuit Paulus Manutius explanans epiſtolam 28. lib. 7. ad familiar. & vltimam lib. 9. item 4. lib. 10. ad Atticum. Latiniùs fortaſſe dicitur cum infinito modo, aut participio: Miror nihil vnquam nobis abs te præberi, puto hoc ita eſſe, credo te facturum. Tu, heus, qui extremus ſedes

ſcamno

ſcamno tertio,& cum vicino confabularis,attende, ac ſi quid tale peccâſti, corrige, antequam ad me adeas corrigendus. D. *Nihil vnquam nobis abs te præberi, compelliq; miſeras è terra victum petere, herbas ſcilicet & gramina.* M. Politum hoc, victum è terra petere, olet roſas. Terent. E flamma cibum petere te poſſe arbitror. D. *Cum tamen nos lanam tibi, caſeos & ouiculas ſuppeditemus.* M. Scribe, agnos, pro ouiculis. Quę eſt differentia, Petre, ecquid audis? tibi dico, Petre, quod eſt diſcrimen inter iſta duo? P. Ouicula, parua ouis, ein Schäflein/agnus, recentior partus ouis, ein Lämblein. Virg. Depulſos à lacte domi quę clauderet agnos. M. Aptè reſpondiſti. Procede vltra Dalmati. D. *Canibus autem, vnde horum fructuum nihil percipis, de menſa tua panem porrigis. Tum canis qui aſtabat, & hæc auribus acceperat.* M. Venuſtum & hoc. Nota etiam illud Ciceronis, qui ex Odyſſea quoſdam verſiculos conuertens, quod in græco eſt, ἵνα νωϊτέρην ὄπ' ἀκούσῃς, ad verbum, vt noſtram vocem audias, ſic extulit. Auribus vt noſtros poſsis agnoſcere cantus. D. *ſic locutus fertur. Non iniuriâ id ſit: nam ego & domum, & dominum, & vos etiam ipſas, veſtramq; gregem cuſtodio, ne vel in ſylua à graſſatorib⁹ furemini.* M. Ne pecces, mi Dalmati. Furor, furaris, deponens eſt, & agendi non patiendi notione effertur: verùm obrepſit hoc tibi imprudenti. Fac vt ſit; à graſſatoribus inſidiis excipiamini, quomodo Virgil. eclog. 3.

Non

Non ego te vidi Damonis peßime caprum
Excipere inſidiis, multum latrante Lyciſca?

D. *Ne vel in ſylua à graſſatoribus inſidiis excipiamini, vel à raptoribus lupis auertamini. Quod ſi veſtri curam non gererem, præ metu mortis ad paſcua exire non auderetis. His dictis oues poſtmodum æquo animo paſſæ ſunt canes apud herum potiores partes obtinere.* M. Non videtur contemnendus labor tuus, & auguror te magnorum oratorum in numerum aliquando venturum. Lege adhuc quod addere iuſsi ἐπιμύθιον, de vſu ſcilicet fabellæ huius. D. *Sic populum, ſeu multitudinem, atq; ignobile vulgus.* M. Copia. D. *iraſci nõ oportet, ſi magiſtratus & Principes, à quibus regitur & cuſtoditur, in honoribus rerumq; affluentia, impoſitis per domos & oppida vectigalibus vitã agere cernat, cum Rectores ſubiectis omnium commoditatum ſint auctores.* M. Acquieſco in hac diligẽtia. Ades Gerarde cum paraphraſi tua. G. Principium elegiæ 2. lib. 1. Ouid. Naſonis de Triſtib. παραφραστικῶς ſolutis verbis expreſſum. Dij maris & cœli, &c. *O dij, quiq; cœlo, quiq; mari imperitatis, vos ſimul omnes (quando aliud quod agam, tanto in periculo ſalutis meæ conſtitutus, præter vota nihil relictum eſt mihi) vos ego obteſtor per numen maieſtatemq; veſtram, ne ſinite quam conſcendi nauim terribili procella iam conquaſſatam ac fatiſcentem diſſolui, ac me, vectoresq; omnes miſerandum in modum hauriri fluctibus.* M. Euge, dimidium facti, Gerarde. Quàm grauiter? quàm nume-

numeroſè? quàm latinè? G. *Nolite, nolite Auguſti Cæſaris in me concitatum furorem iſta grauiſſimæ tempeſtatis indulgentia vno conſenſu approbare; cùm etiam vos ipſi ſæpe non omnes eoſdem oppugnaueritis, ſed alius aduerſus alium alios tutatus ſit.* M. Quod hoc genus ſchematis Antoni? A. Traductio. G. *Vulcanus & Pallas Troianis erant inimici atq; infeſti, Apollo contra & Venus amiciſſimi. Æneam perſequebatur Iuno, pro quo Venus propugnabat. Quoties Vlyſſem Neptunus conatus eſt perdere? atq; hunc ſæpius patrui inſidiis liberatum Minerua conſeruauit. Quanquam autem nos cum Ænea & Vlyſſe viris laudatiſſimis comparandi non ſumus, tamen cur aduerſus Cæſarem veluti quendam in terris Deum ab aliquo ſaltem minorum gentium Deo non defendamur? O me perditum, nihil precibus efficio. En vt mihi iteratis aſperginibus caput totũ permaduit? Eheu, diſcerpunt verba mea venti, & quas fundo preces, ad Deorum aures allabi non permittunt. Ita cùm nauim iactitent pro ſua libidine, & precationem meam diſsipent, dupliciter me affligunt.* M. Non video quid hîc emendandum ſit. G. *Ah, ah, nunc fluctibus inſtar montium ingentibus ad ſydera extollimur: quis non exhorreſcat? nunc diſcedente mari prope ad ipſos inferos deſcendimus: quis mente conſiſtat? Quocunq; oculos conuerto, cœlum vndiq; & vndiq; pontus.* M. Quomodo habet Ouidius? G. Nihil eſt niſi pontus & æther. M. Fortaſsis illud Virgilianum, quod tu de 3. Æneidos mutuatus es, Naſoni occurrebat. Appoſitè

ſitè ſanè hoc hemiſtichium inſeruiſti. G. *Et hic quidem vaſtis fluctibus, illud tonitribus & fragore horrendo præſentem nobis mortem intentat. Medio autem venti fremitu horriſono terrificant animos: ipſum æquor cui parendum ſit neſcit.* M. Propemodum ſine cortice nare, & tuo ſucco viuere iam poteris Gerarde. Attuliſti hac tua ornatiſsima paraphraſi tibi magnum fructum, mihi lętitiam, iſtis exemplum. Rodolphe. R. Quid eſt, Pręceptor? M. Quid eſt? aduola cum epiſtola, quam latinè de Germanico reddidiſti. R. Adſum. M. Lege priùs Germanicã. R. Wie meine Sachen geſchaffen ſeyn/ hett ich dir gern vor långſt mündtlich erklårt/ Dieweil ich aber bißher in ſolchem meinem Fürnemen verhindert/ hab ich mir fürgenommen daſſelbig ſchrifftlich zuuerrichten. Von Jugendt auff hab ich ein ſonders groſſen Luſt zů den Studiis getragen/ vnd bin denſelben obgelegen jetzt mehr dann ſiben Jar wie ich vermeyn/ vnd zwar nicht ohne Nutz. Weil aber mein Vatter der an Hab vnd Gůt nicht der reichſten einer/ vnnd neben mir vil Kinder hat/ vermercket/ daß meine Studia gröſſern Vnkoſten bedürffen/ dann er mir fürſtrecken kan/ vnd auch zimlich lange Zeit/ hat er beſchloſſen/ mich von denen abzufordern/ vnnd einen Handtwercker auß mir zumachen/ welches mir hefftig wehe thůt/ vnnd von Hertzen leyd iſt/ der ich auff der Welt nichts liebers gehabt/ dañ eben die Studia. Nun weiß ich daß du denen ſehr günſtig biſt die da ſtudieren/ derhalben ich mein Zůflucht zů dir hab/ vnd bitte dich auffs höchſte/ du wölleſt meinen Vattern/ bey dem du in groſſem Anſehen biſt/

vnd

vnd mit jhme groſſe Gemeinſchafft haſt / von diſem Fürhaben abwenden. Jch hoffe gäntzlich du werdeſt mich meiner Bitt gewehren / wie einem ſo freundtlichen vnd groſſen Mæcenati wil gebüren. Sollichs ſteht mir allezeit nach vermögen zuuerdienen. Hiemit Gott beuolhen. M. Conſideremus tuam interpretationem. R. *Quo pacto ſe res meæ habeant, libenter tibi iam pridem præſens expoſuiſſem, ſed quia huc vſq; in tali propoſito meo impeditus fui, propoſui mihi idipſum ſcriptis efficere.* M. O Teutſcher Michel / cur ita inhæres verborum ordini? ſententiam ſententia, non verbum verbo oportet reddere: id munus eſt fidi interpretis, & voces appendere lectori, non annumerare, vt, inquit, Cicero. Perge. R. *A Puero erga ſtudia literarum valde ſemper affectus fui, illisq; ſupra ſeptimum annum vacaui, ni fallor, cum vtilitate non ſpernenda. Quia verò pater meus, qui parum diues eſt, & præter me multos habet filios, animaduertit non exiguos ſumptus, omninóque maiores, quàm ipſe tolerare poſſit, & plurimum temporis requiri ad doctrinam acquirendam, decreuit auocatum me à literis ad opificium aliquod diſcendum mittere: quæ res cordi meo dolet quàm maximè, & magnoperè me excruciat, quem hactenus in rebus nihil æquè ac ſtudia delectarunt.* M. Hui, tam citò expolitus? R. *Quæ cùm ita ſint, & ſciam te eorum, qui ſtudia diligunt, non vulgarem eſſe fautorem, ad te confugio, teq; inprimis rogatum volo, vt patrem à ſententia detorqueas, pro auctoritate, qua apud illum vales magna, &*

amici-

amicitia. Spero planè, te hanc petitionem meam non reiecturum, ſed pro eo ac tam humanum, & tam magnum Mæcenatem decet, admiſſurum. Hoc quibus potero officiis compenſabo. Vale. M. Poſterior pars priorem bonitate ſuperauit. Noſtis me ſolere nonnunquã de iiſdem argumentis, quæ vobis præſcribo, epiſtolam contexere, eamq́ ad vos cumulatiùs inſtruendos (ne tantùm ſcilicet verba ſingula aut phraſes emendentur, ſed totum filum orationis qualenam eſſe debeat videatis, & ideas animo concipiatis) in tabula iſta omnibus legendam, & cum ſuis conferendam deſcribere, quod nunc quoque faciam. Non oberit tamen antè eam legi. Aſcende ſuggeſtum Gerarde, & recita diſtinctiſſimè, articulatiſsimè, clariſsimè, en chartã meam.

Exemplum Præceptoris.

Quò minùs coram tibi ſtatum rerum mearum iam pridem, vti cupiebam exponerem, ad hoc vſq; tempus impeditus ſum. Quocirca id nunc per literas agam. Iam inde ab adoleſcentulo ingenti Muſarum amore percuſſus, cum iiſdem toto ſeptennio rationem habui, profecique non mediocriter. Ceterùm pater meus, qui copiis familiaribus exiguis eſt, ac præter me complures ſuſcepit liberos, cum ſentiat mihi ad eruditionem conſequẽdam & ſumptu opus eſſe maiore, quàm tenuitas eius patiatur, & tempore longinquiore,

re, quàm vt exſpectare poſsit, deliberauit a-uulſum me à complexu literarum, ſordido atq; illiberali artificio alligare. Quæ res, quia in vita nullas delicias ſtudiorum ſuauitatibus anteposui, ſummum mihi acerbiſsimumque dolorem inuſsit. Quapropter cum te ſtudia colentium nobilem eſſe patronũ haud ignorem, tuum imploro auxilium, te oratum volo, vt pro coniunctiſsima neceſsitudine, quæ tibi cum patre meo eſt, & pro auctoritate, qua apud ipſum potes plurimum, cauſſam hanc meam recipias, hominẽ à ſuſcepto conſilio deducas. Spe firma ſum, te huic petitioni meæ locum relicturum; te, inquam, Mæcenatem humaniſsimum atque illuſtriſsimum. Me viciſsim gratum, beneficiique memorem cognoſces. Vale.

ANNOTATIONES.

QVIS DIXIT DOMINO) *Hæc fabella è Xenophontis lib. 2.* ἀπομνημονευμάτων *petita eſt, ad quam illuſtrandam valde opportuna erunt, quæ ſcribuntur à Seneca lib. 1. de Clement. cap. 3. & 4. Docet enim ibi quo pacto Magiſtratus, Principes & Rectores populo vtiles ſint ac neceſſarij.* MIROR QVOD) *Quotuſquiſque de Ciceroniana gente, aut eorum ſaltem, qui purioris latinitatis alumnos ſeſe profitẽtur, hoc pro barbaro non ducit, ac proinde non exſibilat? Atqui Manut.*

noſter plurimorum ſtipendiorum, veteranusq́; miles vſq; ad ſatietatem è primæ claßis auctoribus exempla congeſſit, quibus rem certißimam apud tam multos, dubiam, vel potius in partem contrariam certißimam faceret. Cautè igitur & cunctabundi aliquando barbaros reprehendamus: perſuadentes nobis, in ipſo Cicerone inueniri nonnunquã, quæ ſi ego aut tu diceremus, germaniſmos loqui putaremur. Et ſunt in hoc ſermone noſtro quotidiano (quo tamen nihil incultius atque vitioſius) quædam è medio Plauto, Terentio, Cicerone & aliis, quod non rarò notauimus. CVM PARAPHRASI TVA) *Euphraſis eſt pura & dilucida enarratio. Paraphraſis vberior explicatio, vt cum auctore quaſi contendere videaris. Metaphraſis pleraque mutat, & nunc grandiora, nunc humiliora, nunc longiora, nunc breuiora efficit.*

PROGYMNASMA VICESIMVMNONVM.

Leges.

DIOMEDES, PHILOPONVS Magiſtri.

DIOMEDES. Iubeo Philoponum neceſſarium & collegam meum. P. Et ego te chariſsime Diomedes. D. Quò te agebas? P. Ad te rectà. D. Vide, & ego me capeſſebam ad te. Pro monſtro eſt, quod vterque ad alterum abire ſtatuerat. P. De noſtra quam gerimus Repub. vole-

volebam, & volo commentari tecum, ſiquidem modò à ſcholis eſt otium: niſi eſt, vt aliter tua ſit ſententia. D. A tuo nihil quidquam diſcrepat conſilium meum, eadem mihi ſententia, in commune conſulamus. P. Ventum gaudeo, ſperoq́ue, & opto nobis hanc commentationem fauſtam, felicem ac fortunatam fore. D. Erit σὺν θεῷ. Tui diſcipuli vt valent? P. Bellè omnes diuino beneficio. Súntne tui frequentes? ſúntne aſsidui in ludo? D. De frequentia tibi hoc reſponſum habeas, eſſe frequentiſsimos. De aſsiduitate hoc affirmo: viciſsim abſunt multi, ob cauſſas tàm commentitias & falſas, quàm veras ac ſinceras. Nam quid facias huic hominum generi? Abhorrent à ſchola pueri, & orationi vanitatem aſpergunt: nec tamen, vbi reſciui, impunitas à me peccãtibus conceditur. P. Mei vtrumq́ue facinus perĕquè conſciſcunt. D. Vt porro diſcunt? F. Quidam ſatis ſtudiosè, quod mihi voluptati ac ſolatio eſt; quidam ſomniculoſiùs: pauciores verò Theopompos, quàm Ephoros numero, & cogor equis aſellos iungere. D. Non inſcitè dictum. Intelligo te in gymnaſio tuo Iſocratem & Platonem factum. Nõ eos cohortaris? non minas intentas? non verberibus inſurgis? P. Horum nihil egregiè præter cetera, & tamen omnia hæc mediocriter. D. Rectam inſtas viam: modus tenendus eſt in omnibus. Maior pars meorum, eſt literarum cupidiſsima, meóque imperio audiens: Deo ſint gratiæ. P. Nondum me quidem tanta eſt amplexa felicitas; ſed confido me quoque beatum aliquando futurum, quamuis Auſonius neget Grammaticos fe-

lices vnquam aut eſſe, aut fuiſſe. D. Sit fas iocari Poëtis, quibus, vt pictoribus, quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas. P. Et nunc id operam do, vt eſſe queam felix quamprimùm. Cogitaui autem leges ipſis nonnullas ferre ad eruditionem comparandam idoneas; quas partim in ſchola dum verſantur, partim domi obſeruent, non hoc anno tantùm, verùm quamdiu in diſciplinis ætatem habere voluerint. Ea in re quæſo te etiam atque etiam conſilio atque opera me adiuues. D. A me omnia in te ſtudia & officia exſpectes velim: neque enim quiſquam apud Diomedem Philopono plus valere poteſt vel auctoritate vel voluntate. Ac me vt hoc tantò præſtem libentiùs, incredibilis amor in iſtas manſuetiores Muſas, & in fidem noſtrã traditæ iuuentutis rationes, & iſtius noſtræ ciuitatis gloria exſtimulant. P. Tenes iam quid velim. Cùm euolueris autem plurium de docendi ratione commẽtarios, non dubito quin præclara quædam iſtius generis in aduerſaria tua congeſſeris. D. Sæpe ac multùm legi quos dixti libros, & Germanis noſtris haud vulgarem laudem impertiendam duco, qui ad amplificanda, ornanda, & propaganda diſciplinarum ſtudia, iſtiuſmodi volumina conſcripſerunt. Inueni quas deſideras leges, bonas, mirificéque frugiferas. P. Res igitur mihi iam in vado, & animo eſſe otioſo licet. D. Licet verò, mi Philopone. P. Si me tantùm amas, quantùm profectò amas, aut vbi eas legam indica; aut exſcriptas, abs te mihi deſcribendas da; aut ſi memoriæ mandauiſti recita. D. Hoc malo; recitabo, & nihilominus poſtea per

amanuen-

amanuenſem meum ſcriptas tibi tranſmittam. Ego verò quemadmodum ad Lucilium ſcribens de ſe profitetur Seneca, omnia cupio in te tranſfundere, & in hoc gaudeo aliquid diſcere, vt doceam: nec me vlla res delectabit, licet eximia ſit, quam mihi vni ſciturùs ſim. Si cum hac exceptione detur ſapientia, vt incluſam teneam, nec enunciem, reiiciam. Nullius boni ſine ſocio iucûnda poſſeſsio eſt. P. Quid humanius dici, quid amantius fieri poteſt? Sed de modo vt placet, ego ad audiendum ſum paratiſsimus.

D. Sapientiam à numine aſsiduiſsimè efflagitanto: interim ita laboriosè diſcunto, vt ſi à ſedibus æthereis nihil exſpectent.

Doctorem non ſecus quàm parentem colunto.

In ludum quoad fieri poterit ſerius ne ingrediuntor: ante tempus ſi poſsint adſunto.

In gymnaſio modeſtè conſidento, idque tantum agunto & cogitanto, cuius cauſſa locum peteſſunt.

Ne dormiunto, ne fabulantor, ne nugantor, ne contendunto, ne vlla ratione doctorem perturbanto.

Quotidianam Magiſtri auſcultationē priuato ſtudio anteponunto; ac niſi ſumma neceſsitate, ne ſemel abſunto.

Verbis ac ſermone cùm Magiſtrum, tum ſcriptores optimos qui explanãtur effingere ſtudento.

Si quid haud probè perceperint, aut ſi de quo dubitauerint, Magiſtrum adeunto, interroganto, conſulunto, pudorem ruſticum exuunto.

Quæ retinere memoria cùm audiunt, nequiuerint, chartis mandanto.

Quæ commodè calamo annotare non potuerint, cùm primùm domos repetiuerint, ſuis locis ſcribunto.

A ſchola digreſsi, non ſtatim omnem rerum auditarum curam & cogitationem abiiciunto: tempus aliquod iis tacitè reuoluendis, aut cum alio conferendis conſumunto.

Niſi cùm liber inſpiciendus, aut ſcribendũ eſt, aures atque oculos in Præceptorem diriguntọ.

P. Mihi gaudeo, qui te ad iſtas adeo iuſtas leges mecum communicandas elicere potuerim. Nunc illas audire aueo, quæ magis domi vſum habere videantur.

D. Quod hodierna luce diſci poteſt, in craſtinum ne differunto.

Néue eruditos ſe exiſtimanto antequam ſint, néue plus quàm ſint.

P. Aureum præceptum, & in templo Delphico ſcribendum. Venit in mentem illius; Senecæ an Plinij? (neq; enim ſatis recordor auctoris, immò iá recordor Senecę lib. de Tranquil. animi.) Multi ad ſapientiam peruenire potuiſſent, niſi ſe perueniſſe putauiſſent. Sed nolo curſum iſtum impedire.

D. Tem-

D. Tempore nihil pretioſius; proinde ne qua pars illius ſine fructu effluat prouidento.

Diem in certas horas partiuntor, & quid quaq; hora faciendum ſit, certum ac definitum habento.

Antelucana opificum induſtria vinci ſe ne patiuntor.

P. Demoſthenis hoc eſt, cuius vigiliæ cui non ſunt auditæ?

D. Et illius dicti itidem recordantor: Aurora Muſis amica.

Longioribus implicatioribusque ſtudiis honeſtam ac liberalem recreationem intermiſcento.

A menſa ad libros poſt interuallũ redeunto, nocturno ſtudio temperãto, valetudinem ne offendunto.

Prꝑter labores à Magiſtro imperatos, alios ſibi imperanto.

Multa & multùm ſcribũto, chartis & atramento neu parcunto.

Quos libros Eccleſia Catholica impietatis leuitatisq; damnauerit, aut Magiſter improbarit, eorum lectionem ceu peſtilentiam fugiunto: iſta enim occidit corpus, at illi animos.

Harum Philopone legũ memoria ſuppetebat. Si quas prꝑterea requires, ante veſperã faxo optata cõſequare ex iis ſchedis, quas per ſeruũ à manu

ad te miſſurũ promiſi. P. Quibus verbis tibi gratias agam nõ reperio. Fecit hic dies & congreſsio iſta me non paullò doctiorem. D. Nunquid aliud à me vis in præſentia? P. Nihil ſanè: aliâs inter nos agemus, de quibus agendum cenſebimus. Vale, & infirmitatem iſtam valetudinis intentiore ſtudio vexare noli. D. Egomet ſum proximus mihi, non me diſcendo ad mortem dabo, ne fruſtra ſis.

ANNOTATIONES.

VBI RESCIVI) *Qui factum aliquod occultius aut inopinatum inſperatumq́ cognoſcit, is dicitur propriè reſcire. legas cenſeo totum cap. 19. lib. 2. apud* Gelliũ. PAVCIORES VERO THEOPOMPOS QVAM EPHOROS) *E diſcipulis Iſocratis (cuius domus habita eſt officina eloquentiæ) quibus nemini vnquam plures fuiſſe ſibi gloriatur in Orat.* περὶ ἀντιδόσεως, *cùm tamen 10. minis, id eſt centum aureis doceret, ceteris inſigniores extiterunt, Hyperides, Timotheus Cononis filius, Aſclepiades, Theodectes, Leodamus, Lacritus, Iſæus, Theopompus, Ephorus. In hoc poſtremo calcaribus, in Theopompo frenis ſe vti ſolere aiebat Iſocrates. Cic. 3. de Orat. Eorundem & in Bruto meminit & in 2. de Orat. quo loco de hiſtoriæ ſcriptoribus differit. Cur autẽ Ephorum etiam* δίφορον *idem magiſter nominauerit, cauſſam vide apud Victor. lib. 4. cap. 20. Proditum eſt etiam hoc literis. Ephorum vt tardiorem, ſic probiorẽ, & Theopompum vt celeriorem, ſic improbiorem condiſcipulo ſuo extitiſſe. Quod etiam hodie in diſcipulorũ turbis apparet.*

EQVIS

EQVIS ASELLOS IVNGERE) *Plato conferens Xenocratem cum Ariſtotele, quorum ille ingenio tardior, hic celerrimus, cum idem dicebat quod Iſocrates, quodq́ poſtmodum etiam de Theophraſto & Calliſthene auditoribus ſuis Ariſtoteles; tum illud præterea:* Hui, *quali equo qualem aſinum coniunxi? Sed quod Plutarchus lib. de Auditione prodidit memoriæ de Xenocrate & Cleanthe, non tacebimus. Patiebantur ſe rideri ab ingenioſis, cum ipſi tardiores condiſcipulis non profugerent à diſcendo, nec animos deſponderent, ſed vltro in ſeipſos dicteria iaciebant: ſe vaſis anguſti orificij, & tabulis æneis ſimiles dicentes, vt qui ægrè doctrinam perciperent, perceptam firmiter conſtanterq́ retinerẽt.* QVAMVIS AVSONIVS NEGET) *Epigramma eſt hoc.*

Felix Grammaticus non eſt, ſed nec fuit vnquam,
Nec quiſquam eſt felix nomine Grammaticus.
Quod ſi quis felix præter fatum extitit vnquam,
Is demum exceſſit grammaticos canonas.

Vide epigrammat. græcorũ lib. 2. tit. εἰς γραμματικούς.
MANSVETIORES MVSAS) *Cic. epiſt. 9. lib. 1. ſcripſi etiam (nam etiam ab orationibus diſiungo me ferè, referoq́ me ad manſuetiores Muſas, quæ me maximè, ſicut iam à prima adoleſcentia delectarunt) ſcripſi igitur, &c. Sic vocat ibidem ſtudia, quæ domi celebrata & culta, ad manſuetudinem humanitatemq́ traducũt animos: cùm orationes in foro dictæ contentionem & lites habeant. epiſt. 12. lib. 16. Tu muſis noſtris para vt operas reddas. Pro literis abſolutè ad Att. epiſt. 5. lib. 2.*

Nunc verò quoniam quæ putaui eſſe præclara, expertus ſum quàm eſſent inania, cum omnibus Muſis rationem habere cogito. RES MIHI IAM IN VADO) *Vadum aquæ fundus, in quo qui conſtitit, periculum non eſt, ne ſubmergatur. Itaq; in vado eſſe, erit ſecurum, & in tuto eſſe; & quod eodem ſenſu dicitur, in portu nauigare.* Plaut. *Aulul. Hæc propemodum iam eſſe in vado ſalutis res videtur.* IN TEMPLO DELPHICO) Hu*ius templi toto orbe fama inclyta fuit, ad quod omnium gentium concurſus fiebant. Iſocrat. in Archidamo.* τὸ τοίνυν μαντεῖον ὃ πάντες ἂν ὁμολογήσαιεν ἀρχαιότατον εἶναι, κοινότατον καὶ πιστότατον. *Oraculum quod omnes & vetuſtiſſimum, & communiſſimum, & fide digniſſimum fatebuntur. Scribebantur in foribus à ſapientibus viris ſententiæ graues, & præcepta ſalutaria, quorum auctores cùm deinde ignorarentur, tributa ſunt Apollini, tanquam eo haud indigna.* Talis *ſit fortaſſe;* Noſce *teipſum, quod de cœlo cecidiſſe ait* Iuuenalis. *Quid dico fortaſſe?* Plato *certè hoc, & illud:* Ne *quid nimis, ſeptem ſapiētibus adſcribit; quaſi enim primitias quaſdam* Deo *dedicâſſe, & in eius templo ſcribi curauiſſe affirmat.* Plin. *&* Hier. Chilonem *auctorem prioris nominant.* Cic. *1.* Tuſcul. Hoc *ipſum adducens & explanans.* Hunc *igitur (animum) noſſe, niſi diuinum eſſet, non eſſet hoc acrioris cuiuſdam animi præceptum, ſic vt tributum* Deo *ſit. Acriorem quendam animum, virum nempe ſapientem, non Apollinem eius*

aucto-

auctorem facit. NE FRVSTRA SIS) *Liuius. Ne te falſa opinio teneat. fruſtra eſſe apud Plaut. Amphit. Bacchid. Mercat. eſt falli, errare, decipi.*

PROGYMNASMA TRICESIMVM.

Aſcenſus.

VINCENTIVS, TIMOTHEVS.

VINCENTIVS. Iámne erumpere hoc licet mihi gaudium? nunc pulchrè, nunc bene eſt Vincentio, circumfluo lætitiis profectò. Quis me vno viuit hodie felicior? quis fortunatior? T. Quid eſt quòd ſic geſtis? quænam hæc noua inſolitaq́; voluptas? V. O Timothee, optima opportunitate aduenisti. Hic me amœnitate amœna amœnus onerauit dies, maximas opimitates opiparasq́; obtulit mihi; laudem, lucrũ, ludum, iocum, feſtiuitatem, ferias. T. Quî tandẽ Vincenti? aut qualis eſt iſta fortuna, qua te fortunatiſsimum hodie euaſiſſe gloriaris? mihi enim conſecutus quidpiam videre, quod & diu expetiueris, & ſemper admiratus ſis. V. Rem acu. Publicum à Magiſtro, & iis qui ſtatis definitisq́; temporibus ſcholaſticorum progreſſus tentant (Examinatores vocamus) ſedulitatis & doctrinæ auferre teſtimonium, quæro, numerare num debeã in bonis? T. Ac ſummis quidem atque ampliſsimis. Quantum cõiicio, gradum ſtudiorum altiorem

rem aſcēdiſti. V. Aſcendi verò; quod mihi, parentibus, familiæq́; noſtræ felix fauſtumq́; eueniat. T. Gratulor tibi honorem iſtum ex animo, & tua cauſſa ego quoq; incedo lætitiis. Quotus eras? V. Non auſim dicere, ne tu arrogantiùs quàm veriùs id à me dici interpretere. T. Audacter enuntia: nam mihi ſuſpicionem mendacij, aut ambitionis mouere non potes. V. Tertius fui. T. Quot tecum aſcēderunt? V. Vndequadraginta. T. Non leue argumētum eruditionis, inter tot tam prope ad primam palmam acceſsiſſe. Quis veſter ſignifer & coryphæus erat? V. Longinulus ille noſter. T. Secundus? V. Fruſtrà nominem, quandoquidem non nôſti. T. Præſtans ingenium ſortitus eſt ille adoleſcentulus. V. Præſtantiſsimum. Stupore complebat præfectos examini, ita promptè & rectè reſpondebat ad quæſita ſingula, afficiebaturq́; ab iiſdem diuinis laudibus. Quoties me illius loco eſſe optabā? Quod ſi quid veritatis haberet, quam ſuperioribus diebus Magiſter narrabat inuexiſſe Pythagoram μετεμψύχωσιν, illius pueri animam cum ingenio ſuo & probitate in meum corpus vellem immigrare. Ceterùm anno vertente primas nulli ceſſero. Et quoniam amat victoria curam, non eſt mihi conſilium pati per ſocordiam vires, tempus, & ingenium defluere: legendo, ſcriptitando, ediſcendo etiam aliquid noctis aſſumam. Aliquando videlicet multùm ingenioſos à ſtudioſis ſuperatos & vidimus & accepimus. Quid multa? enitar ſumma ope me præſtare ceteris omnibus. T. At illud ſectatoribus literarum apprimè cauendum duco: ne quid nimis.

mis. V. Si periculum impendere ſenſero, moderabor cupiditati. T. Arbitror parentes tuos exſpectare huius felicitatis tuæ felicem nuntium. V. Hinc domum rectà propero: à me primùm faxo audiant, quod geſtum eſt; mihi ipſi perſoluant εὐαγγέλια. T. Ex gratulationibus vix eminebis. D. Domeſticos omnes mea gloria lætitiam ingẽtem agitaturos diuinat animus. Vale. T. Vale. ſed quid ais? V. Quid vis? T. Nempe otium à literis eſt hodie. V. Fugit te ratio. Madidúsne an ſiccus es, qui iſtuc me interroges? T. Tamen nihil obeſt.

ANNOTATIONES.

QVOD SIC GESTIS) *Feſtus. Geſtit qui ſubita fœlicitate exhilaratus, nimio corporis motu præter conſuetudinem exultat. Lætitia, voluptate geſtire Cic. quorum ſenſus idem eſt cum illo, quod ex veteri poëta adducitur. 2. de finib. Tanta lætitia auctus ſum, vt mihi non conſtem.* AMOENITATE AMOENA) *Plautus & Lucretius delectantur hoc loquendi genere, in quo nomen adiectiuum eiuſdem originis eſt, atque ſubſtãtiuum cui copulatur.* ΜΕΤΕΜΨΥΧΩΣΙΝ) μετεμψυχόω *animam ex vno corpore in aliud transfero, traduco: ipſa trãſlatio, & traductio huiuſmodi, ſeu animarũ in alia corpora immigratio* μετεμψύχωσις, *quaſi dicas, tranſanimatio. Hoc dogma Pythagoreorum fuit, aſſerentium animas hominum in corpora beſtiarum, atq; etiã aliorum hominum ſe recipere. Vide Crinit.*

SO. peccaueram
Nam Amphitruonis ſociennum me eſſe volui dicere.
ME. Sciebam equidem nullum eſſe nobis, niſi me, ſeruũ
Soſiam.
Fugit te ratio.

Catull. ſimiliter.

Iſtud quod modò dixeram me habere,
Fugit me ratio, meus ſodalis
Cinna eſt Caius, is ſibi parauit.

Sumptum credibile eſt à ratiocinatoribus, qui interdum in deducendis & ſubducendis rationibus errant. In Bacchid. Plaut. dixit. Vbi me fugiet memoria. Muret. & Lamb. MADIDVS AN SICCVS) Siccos latini nominant ſobrios, ab ebrioſitate alienos. Cic. in Rullum. Vtrum eſſe vobis conſilia ſiccorum, an vinolentorum ſomnia videntur? Idem in Academ. Dormientium, & vinolentorum, & furioſorum viſa imbecilliora eſſe dicebas, quàm vigilantium, ſiccorum & ſanorum. Horat. Ode 18. lib. 1. Siccis omnia nam Deus dura propoſuit. Et, Ode 5. lib. 4. dicimus integro ſicci manè die. Plaut. Perſa. Iam diu factum eſt cùm bibimus, nimis ſicci ſumus. Opponitur autem huic voci contraria notione madidus, & vuidus apud Horat. Ode proximè nominata. Plaut. Aulul.

EV. Non potem ego quidem hercle. ME. At ego iuſſero
Cadum vini veteris ad me afferrier.
EV. Nolo hercle, nam mihi bibere decretum eſt aquam.
ME. Ego te hodie reddam madidum, ſi viuo, probè.

Locus alius eſt in Aſin. perelegans, in quo vtramq; vocem habes.

ART. At ſceleſta, ego præter alios meum viri fui ratâ
Siccum, frugi, continentem, amantem vxoris maximè.

PA. At nunc dehinc ſcito illum ante omnes minimi mortales pretij,
Madidum, nihili, incontinentem, atque oſorem vxoris ſuæ.

PROGYMNASMA TRICESIMVMPRIMVM.

Præmia.

PAVLVS, GREGORIVS, FAVSTINVS.

PAVLVS. Iubemus te ſaluere Gregori noſter. G. Saluete ſuauiſsimi ſodales mei: quid agitur? F. Mirabamur paulò antè ego & Paulus vbínam deliteſceres: etenim circumferẽtes oculos in omnem partem, cernere te non poteramus eo in loco, quo loco, niſi me fallit opinio, nunquam fuiſſes quàm hodie libentius. P. Aliqua de improuiſo commotiuncula te ędibus exire, vt ſuſpicor, prohibuit. G. Nulla Paule. F. Quid ergo, amabo te, creauit hanc abſentiam? G. Dum per tabulata in ſummis ædibus curro incautiùs, claui cuſpide è vetuſto aſſere prominente me indui: id vulnus me vt claudum ſutorem reſidere domi ſolum adegit, & iucũdiſsimi ſpectaculi fructu priuauit. Sed vnde vos ad me? P. Celeri paſſu ex ipſo theatro huc nos contulimus. G. Frons

læta,& oculi ludibundi indicio ſunt rem cecidiſſe vt voluiſtis. P. Et ideo addito gradu ad te approperauimus,vt voluptatis te noſtræ participem faceremus. F. Haud aliquãdo æquè beati fuimus vt hodie. G. Audire expeto:præmia nempe,& ſecundam populi admurmuratione conſecuti eſtis. P. Qui bene coniiciet, hunc vatẽ perhibeto optimum. Ita ſanè, obtinuimus præmia. G. Vterq; ? P. Vterque:atq; vt nihil omnino dubites, rem ipſam tibi auctorem proferemus.Ecce libellum. F. Ecce meum. G. O venuſtos, ô verè aureolos libellos; nam auro radiant ac fulgent vndique. F. Conſidera paulisper emblemata & parerga frontium; quàm oculis blandiuntur? G. Iſte eſt tuus Paule? P. Meus eſt. G. Vt bene,vt feſtiuè impreſſus eſt multicipitem Lernæ belluam contundens Hercules? P. Verte. G. O imaginem pulchram. Æneas patrem ſuum Anchiſen humeris impoſitum ex incendio Troiano efferens; quem paſſibus etiam non ęquis paruus Iulus ſequitur. F. Et meus, aſpice, quàm elegantibus ſignis inſignitus eſt? G. Sic eſt. Aperi,vt videam quis auctor,& qua de re ſcriptus.PVB. VIRGILIVS MARO. P.Ego Feſtum cum Scaligeri caſtigationibus. videſis. G. Anno proximo ſuperiore huiuſmodi ego quoq; conſecutus ſum;quem librum, vt gryphes in Riphæis montibus aurum, cuſtodio. Summopere parentes recreabitis hiſce munuſculis tam politis & micantibus. F. Spero equidem. P. Fecítne medicinam pedi tuo chirurgus? G. Accuratiſſimè.Qua demum ratione? G. Principiò expreſsit cõcretum ſanguinem: pòſt lauit vulnus,& ſubtili

linteolo exterſit: tum emplaſtrum applicuit, & pedem vt videtis circumligauit. F. Optimè. G. Intra dies paucos, Deo annuente, in ſcholam me rediturum, & vobiſcum in campo ad Danubium curſura certaturum autumo. F. Ante noctem Præceptori nuntiabo de iſtoc aduerſo caſu tuo: nec me animi fallit, magno ei dolori futurum; amat enim te merito tuo, quod ſæpe cognoui. P. Cōdiſcipuli ad vnū dolebunt, cùm intellexerint. G. Permodicū & pænè nihil eſt. Quorſum tragœdias in nugis? F. Nunc vale Gregori, nos diſcedimus. G. Et vos bene valete. P. Craſtino te reuiſemus. G. Quod veſtra voluntas tulerit.

ANNOTATIONES.

QVI BENE CONIICIET) *Cic. 2. de Diuinat. Eſt quidem græcus vulgaris in hanc ſentētiam verſus. Bene qui coniiciet, vatē hunc perhibeto optimū. Verſus Euripidis hic eſt:* μάντις δ' ἄριστος ὅστις εἰκάζει σοφῶς. *Cuius principium citat idē Cicero more ſuo ad Att. epiſt. 13. lib. 7.* PARERGA FRONTIVM) *Quibus de frontibus loquatur, aut quæ ſint libri frontes, perſpicuum eſt ex illo Ouidij eleg. 1. Triſt. lib. 1. ad librum ſuum, exteriores videlicet eius partes.*

Nec fragili geminæ poliantur pumice frontes,
Hirſutus paſſis vt videare comis.

De iiſdem epigram. 1. Catull.

Quoi dono lepidum nouum libellum,
Arida modo pumice expolitum.

Mar-

Martialis quoque lib. 1. pumicatam libri frontem dixit. Nam quomodo nunc, ita antiquitus libri pellibus tegebantur, quas leuigare ac perpolire pumicibus ſolebant. De volumine, cornibus, vmbilicis, frontibus librorum, vide Manut. in epiſt. 7. lib. 3. VT GRYPHES IN RIPHÆIS) *Riphæi montes ſunt in Scythia, in qua & gryphes animalia capite & roſtro aquilis (niſi quòd auribus equinis) reliquo corpore leonibus ſimilia, alata tamen, & equis vehementer infeſta, vt indicat etiam Virgilius noto carmine eclog. 8. Iungentur iam gryphes equis, &c. ibidemq́ Seruius. Plinius lib. 7. cap. 2. Sed & iuxta eos, qui ſunt ad ſeptentrionem verſi, haud procul ab ipſo aquilonis exortu, ſpecuq́ eius dicto, quem locum Geſclitron appellant, produntur Arimaſpi quos diximus, vno oculo in fronte media inſignes: quibus aſſiduè bellum eſſe circa metalla cum gryphis ferarum volucri genere quale vulgò traditur, eruente ex cuniculis aurum, mira cupiditate & feris cuſtodientibus, & Arimaſpis rapientibus, multi, ſed maximè illuſtres Herodotus & Ariſteas Proconeſius ſcribunt. Idem lib. 10. cap. 49. Pegaſos equino capite volucres, & gryphas aurita aduncitate roſtri, fabuloſos reor: illos in Scythia, hos in Æthiopia.*

PROGYMNASMA TRICESIMVM SECVNDVM.

Repulſam paßi.

MARTINVS, IOSEPHVS, LVCAS, GYMNASIARCHA.

MARTINVS. En vnquam hoc duriſsimo & intolerando ſeruitio exibo? in orbe terrarum nihil eſt me vno ærumnoſius, nihil perditius. Prô Deûm atque hominum fidem: iam ſextum annum in piſtrino Grammatico miſerabiliter molo. Timæum Platonis, quo non eſſe quidquã tenebricoſius fama tenet, celerius credo faciliusq́ caperem. Heus heus, cohibete gradum: quo ambulatis vos? I. Ad gymnaſij Præfectum tendimus. M. Quas ob res? I. Depulſi ſumus de ſpe, ego Humanitatis, iſte Rhetoricæ: vterque præteritus eſt à Nomenclatore. M. Non igitur ego ſolus miſer cum grege commilitonum meorum: me quoque (indignum facinus) excluſerunt ſchola Syntaxeos. Ibo ſimul, & enitar exorare virum, vt miſereatur mei, conſiliaq́ meliora capeſſat. Equidem ſi centum annis ſedero in ludo Grammatico, non plus addiſcam quàm hoc ſexennio: omnes bonæ felicitates aduerſantur & inuident mihi. I. Me verò Mobile cum fixo (quod illud Dij perdant) fecerunt immobilem, & tanquam in cruce ſuffixerunt. Cur tu, bone Luca, non aſcendiſti? L. Dic quibus in terris: nam cur

vos

vos non aſcendiſtis? M. Perperam reſpodimus in examine, malè ſcripſimus. L. Eodem me crimine alligaui, vt iſti Triumuiri aſſeuerant, qui doctrinam noſtram periclitati ſunt. Tam dignus aſcenſu fuiſſem, quàm alius quiuis. I. Neq; nos tam ſumus rudes & inepti, vt non, ſi minùs ex iuſtitia, certè quidē ex liberalitate & gratia potuerint nos illi Critici in ſcholas ſuperiores aſciſcere: id quod antehac factum. L. Non ſecus atq; ſi quæſtionem inter ſicarios aut ſacrilegos exercerent, & crurifragium nobis perpetiendum eſſet, aſperos ſe præbebant & rigidos. Æacum, Minoa, Rhadamantum de capitibus noſtris iudicio decernere putares. Sed ipſe Præfectus cōtrà tendit. G. Saluete adoleſcentes: quorſum hîc adeſtis? L. Reuerēde Domine, prohibitus ſum aditu ſcholæ Rhetoricæ. G. Quid narrat Ioſephus? I. Ab Humanitate reiectus ſum. G. Et Martinus? M. à Syntaxi. G. Bene habet, ſic merebamini. L. A Domine, tuam fidem obſecro. Liceat aſcendere. G. Non perpendis quid cōtendas. M. Sextus labitur annus, cùm ſedeo in ſchola Grammaticæ: pertæduit. G. Niſi tu doctior Grammaticæ fias, adhærebis ad ſcamnum tuum vſque ad annum ſexageſimum. Tu ſimiliter Ioſephe, nec ſequente autumno Humanitate donaberis, ſi ad ſedulitatē non addideris vel plurimum. I. Atqui perpetuò diſco, continenter in libris verſor, vſq; ad ſupremam laſsitudinem, donec defeſſus ſim medullis omnibus. G. Scriptio & reſponſa hoc quàm verum dicas demonſtrârunt. Mitto barbariſmos; referta & ſcatens erat ſolœciſmis epiſtola tua: quod genus figuræ a-

pud Lucam quoq; elucebat; apud te, Luca, qui in Græcis alphabetum neſcis, & neq; ſoluta, neque pedibus deuincta oratione cum vllo eorum qui aſcenderunt comparandus es. Præcepta inſuper non tenebas, adeò, vt vix ſemel aptè reſponderis. L. Timor verba prępediebat, quo pęnè exanimabar. G. Scitum, & ignauis iſtis vſitatum: ignorātiæ culpam timori aſsignare. Victores illi profectò non timebant: quia quæ tu ignoras, ipſi ſciebant, & ad pugnam ſuis tecti inſtructiq; armis procedebant. M. Tuam clementiam precibus omnibus oro & obteſtor, abſoluat me tandem aliquādo ab iſta ſchola: ſatis diu iam hoc ſaxum voluo: polliceor incredibilē diligentiam in Syntaxi. G. O te inconſultum, ô inſipientem. Hoc laboras, vt domum ædificare tibi fas ſit, nullumq; fundamentū ponere. Sic faciunt omnes, qui ad grauiora recōditioraq; ſtudia adiungunt animum, cùm leuiora vix primoribus labris attigerint: quodq; in priore conſequi ſcientia debuiſſent, id ſe in ſuperiore ludo promittunt velle diſcere, nec ſtant promiſſis. Adhuc vidi nullum, qui Grammaticæ indoctus, eam in Humanitatis, Rhetoricæ, Philoſophiæ, Theologiæ aliarumq; diſciplinarum officinis didicerit. Quare, Luca, ne imponas tibi: non conſequêris quod cupis. L. Heu. At enim niſi audis, parentibus dare me in conſpectum non ſuſtineo: efferueſcēt ira, & ſtomachum in me erumpent. G. Vt ita ſit, tute hoc intriuiſti, tibi exedendum eſt. Commentare, quo pacto illis propitiis & beneuolis vtare. Meâ nihil intereſt; nec ob tuum incommodum abrogandæ videntur commodæ

modæ leges gymnaſij,& aperienda feneſtra diſcipulis ad ſocordiam. I. Ego, Domine,non audiui omnia à Magiſtro , in quibus interrogabar. G. Quid te impediuit? I. Occupationes variæ non ſiuerunt me tam frequentem eſſe in ludo. G. An tu ſubducere me iſtis dictis poſtulas? Credibile eſt temetipſum tua voluntate coactum , tibi interdũ mandâſſe negotia non neceſſaria. Vtcunque ſit, danda fuit opera,vt etiam illa cognoſceres. I. A a mi domine Præfecte , ſum pauper, viuo alienis ſumptibus,& ni aſcendero , amiſſo Mæcenate , literis & ſcholæ cogar multam ſalutem dicere. G. Contra torrentem niteris.Dedecorabis Mæcenatem,ſi,quod petis,impetrabis. Non enim ille te alendum ſuſcepit, vt nunc in hac, paulò pòſt in illa ſchola truncus ſuper lignum ſeſsitares; verùm vt eruditior ſemper teipſo effectus, eius poſtmodũ vtilitatibus cùm tempus veniſſet, commodares. Quòd ſi iſtas ratiunculas probauerimus: hæc aut illa non audiui cùm explicarentur; Mæcenas non me poſthac de ſuo alet; parentes è conſpectu ſuo fugabunt; ex hoc ero diligens; iam multos annos hanc ſcholã frequentaui : ſi inquam has ſimilesq́ ineptias pro aptè concluſis epichirematis recepe-rimus, iisq́ permoti, ſcholam eruditiorem aliquibus patefecerimus; nullum vtique in inferioribus relinquemus. Quiſnam ſtatus erit noſtræ prouinciæ? quæ facies? in me poſtea culpa omnis transferatur , in me redundet iſta calamitas. M. Patiare te flecti. L. Noli,propter Deum,reſpuere rationes. G. Immò ſi fiant,quæ vos futura aſſeritis,ad exemplum proderunt multis, feliciter-

que ſapient, qui malis alienis ſapient: & dum ſimilia formidabunt, acriùs ſe ſtudiis inuoluent. Cur Præceptorum veſtrorum pæne aſsiduæ cohortationes, obiurgationes, iſtorumque malorum, in quæ incidiſtis nunc, prædictiones nihil apud animos veſtros vnquam valuerunt? Ecce iam pretium fertis ob ſtultitiam. Æquè autem vtile cenſeo ſcholis noſtris, vos & ſimilem veſtri turbam multari hac ignominia, quàm alios veſtrûm diſsimiles, hoc eſt, induſtrios & doctos adoleſcentes cumulari gloria: vtráque nimirum re, vt aliqua Reſpub. continentur. Quocirca deſinite, iam conclamatum eſt: fruſtra operam conteritis. Auferte vos domum, abſcedite hinc, moleſti vltrà ne ſitis, nihil noui de vobis nouo aliquo edicto ſancietur. L. M. I. Dignare miſericordia miſeros. G. Cur vos ante veſtri ipſorum non miſerebat? quem modò amicum inuenietis, cùm vobiſmetipſi hoſtes extiteritis? Serò ſapiunt Phryges. L. Si poſt menſem idoneus fuero, nunquid non permittes me aſcendere? G. Si. L. Conabor manibus & pedibus, noctesq́ꝫ & dies obnixè. M. Ego etiam laborem ac ſtudium adhibebo. G. Nimium miris modis mira prodigia, ſi tu actum reddas vno menſe, quod ſexennio non reddidiſti. Magis iſtuc lingua percipio dici, quàm factis credo fore. Nihilominus, vt ne atrocitatem meam accuſare poſsitis, indulgeo ſpatium. I. Quoniam ea conditio iſtis offertur, volo eam quoq́ꝫ accipere. G. Tui eſt arbitrij. Sed hoc ante vobis denuncio, non plus gratię inuenturos, quàm nunc inueniſtis. Pręcipiã inſuper Magiſtris,

vt

vt deinceps auſteriùs vobiſcum agant, & verberibus ad diſcendum compellant magis quàm hactenus: ſi fortè hęc ratio ceu à brutis animantibus nonnihil poſsit extorquere. Trahunt aratrũ fortius boues, ſi fodiantur ſtimulis: & ſub onere ambulant celerius aſini, ſi ipſorum latera identidem percurrantur fuſtibus. Abite vnde huc pedem attuliſtis, & rebus veſtris proſpicite. Quin adhuc pauca attendite. Cicadæ æſtatis tempore cantilenis aſsiduò ſeſe oblectabant, cùm formicę, vt ſunt prudentes, ac non incautæ futuri beſtiolæ, ingentem farris aceruum populantes, magnis operibus in cauernas cibaria conueherent, quibus per hyemẽ victitarent. Fortè accidit, vt tritici grana terræ humoribus putreſcentia cubilibus exportarent, & ad ſolis radios deſiccarent. Præteriens cicada orat, vti alimoniam ſibi dignentur eſurienti impertiri. Tum formicę: Quid tu, inquiunt, per æſtatem agebas? cur tibi quod ederes non colligebas? Ego verò, ſubiecit cicada, non eram otioſa: canebam muſicè. Hîc arridentes formicæ reſponderunt: Si æſtate ceciniſti, hyeme ſalta. Atque ita vacuam, vt venerat, inanemq; diſcedere coegerunt. Nunc æſtas eſt dum adoleſcitis: quando ſeneſcetis, hyems erit. Ibi tum iucundè & ſuauiter fruemini, ſi quid modò vobis ſcientiæ pepereritis. Quod quia hucuſq; omiſiſtis, otio autem, ambulationibus, ludis potius tempus tranſmiſiſtis, cùm condiſcipuli veſtri ſtudioſè elaborârint in literis, an non idem illi quod formicæ cicadis, poterunt vobis exprobrare? O Luca, ô Ioſephe, ô Martine, qui hac proxima æſtate ceciniſtis, nunc choros

ducitote. Hæc in pectora veſtra demittite, & ad frugem vos recipite. Verbum non addam: quin vos hinc amolimini. M. Occiſiſsimus ſum omnium qui viuunt hodie vſquam gentium. I. Nullus ſum. L. Ærumnas Herculis ſupero ærumnis meis; nec quid me nunc faciam ſcio. Parum abeſt, quin me relinquat animus.

ANNOTATIONES.

EN VNQVAM) *id eſt, vnquámne, hoc eſt, aliquandóne? vt Seruius interpretatur ad illos verſus eclog. 1.*

En vnquam patrios longo poſt tempore fines,
Pauperis & tuguri congeſtum ceſpite culmen
Poſt aliquot mea regna videns mirabor ariſtas?

Idem poëta per interpoſitionem diuiſit eclog. 8.

en erit vnquam
Ille dies, mihi cum liceat tua dicere facta?

Plaut. etiam Rud. Quæſo, en vnquam hodie licebit mihi loqui? IN PISTRINO MOLERES) *Apud maiores noſtros (inquit Seruius in 1. Æneid.) molarum non erat vſus, frumenta torrebant, & ea in pilas miſſa pinſebant, & hoc erat genus molendi: vnde & pinſores dicti ſunt, qui nunc piſtores vocantur. Hinc Virg. frugeſq́; receptas, Et torrere parant flammis & frangere ſaxo. Inuentæ ſunt deinde molæ aſinariæ, quas circumagerent aſini: aliæ truſatiles, quæ hominum manibus verſabantur maximo cum labore & laſsitudine. Inde cœptum vſurpari piſtrinum, pro loco moleſtiarum laborúmque pleno, & pro negotio nimium operoſo. Terent. And.*

Verbe-

Verberibus caſum te in piſtrinum Daue dedam vſque ad necem,
Ea lege atq; omine, vt ſi te inde exemerim, ego pro te molam.

Plaut. Moſtell.

Rus mihi tu obiectas? ſanè credo Tranio,
Quòd te in piſtrinum ſcis actutum tradier.

TIMÆVM PLATONIS) *Adagium, Platonicis numeris obſcurius, quo vſus eſt Cic. lib. 7. ad Att. epiſt. 13. Plato quippe numeris Pythagoricis ſuam philoſophiam inuoluit & obſcurat, lectoriq; nebulas ſeu tenebras ingentes offundit, in dialogo præcipuè, qui Timæus, ſiue de natura inſcribitur, quo nihil obſcurius. de quo 2. de finib. Rerum obſcuritas, non verborum facit, vt non intelligatur oratio, qualis eſt in Timæo Platonis. Idem Academ. 1. In libris Platonis nihil affirmatur, & in vtramque partem multa diſſeruntur, de omnibus quæritur, nihil certi dicitur.* DIC QVIBVS IN TERRIS) *eclog. 3. Damœtas paſtor ex Menalca quærit in hunc modum.*

Dic quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo,
Tres pateat cæli ſpatium non amplius vlnas.

Hanc quæſtionem cum Menalcas diſſoluere non poſſet, æquè difficilem obiecit.

Dic quibus in terris inſcripti nomina Regum
Naſcuntur flores.

Quem morem & hodie vulgus imitatur in congreſſibus. TRIVMVIRI) *Triumuiri, ſeu vt Plaut. ſæpe vocat, Treſuiri, quidam capitales creabantur, quorum munus in facinoroſos & ſeruos ius dicere. Iidē cuſtodiæ carceris*

præfecti erant, ipſorumq́ue interuentu de maleficis ſuppli-cium ſumebatur. Amphit. Quid faciam nunc, ſi treſuiri me in carcerem compegerint? Aſin. Nam iam ex hoc loco ibo ego ad treſuiros, veſtráque ibi nomina, faxo, erunt. Capitis te perdam ego & filiam. ILLI CRITICI) *Grammatici qui de ſcriptoribus & ſcriptis aliorum, inprimisq́ue poëtarum ferrent ſententiam, ſic appellati ſunt. Qualis apud Horatium Metius Tarpa, Quintilius, apud Græcos celebratiſſimus ille Ariſtarchus. Horat. epiſt. 1. lib. 2. Ennius & ſapiens, & fortis, & alter Homerus, vt Critici dicunt. Tamen ſi vocem ipſam ſpectes, officium Critici malè grammaticis finibus includitur; non rectè, inquam, ipſa iudicandi facultas atque peritia, quæ vis huius vocis eſt, cum actione confunditur, & κριτικὸς pro κριτὴς ponitur. Hoc non magis decet fieri, quàm pro eodem habere ποιητικὸν & ποιητὴν, & εὑρετικὸν & εὑρετὴν, στρατηγικὸν, & στρατηγόν.* ÆACVM, MINOA, RHADAMANTHVM) *De his tribus inferorum iudicibus in 6. Æneid. Legendi mythologi, & maximè Natalis Comes. Propter iuſtitiam, qua in terris claruerunt, hoc honore donati à Ioue finguntur.* A DOMINE) *ἆ aduerbium quiritantis, aut commiſerantis eſt, & per aliquam harum interiectionum redditur, ah, hei, hem. Eſt cùm terrorem & perturbationem declarat, tum valet hem, & eho. Catull. prima notione dixit. A te tum miſeri, maliq́ue fati. Hæc idcirco breuiter, ne quis inſolentia huius particulæ deceptus, in Ah, commutandam putaret.* HOC SAXVM VOLVO) *Siſyphum*

quod

quod Iouem prodidiſſet, fabulatur Poëtæ hac pœna apud Orcum in perpetuum cruciari, vt ingens ſaxum manibus & pedibus connixus & ſudans in aduerſum montem prouoluat. Cùm autem non longè abeſt à montis vertice, tum vi quadam valida ſaxum repellitur, & in planitiem reuoluitur, ipſeq́; iterare laborem cogitur. Siſypho ambitioſos comparat Lucretius in 3. his verſibus.

Nam petere imperium quod inane eſt, nec datur vnquã,
Atq; in eo ſemper durum ſufferre laborem:
Hoc eſt aduerſo nixantem trudere monte
Saxum, quod tamen à ſummo iam vertice rurſum
Voluitur, & plani raptim petit æquora campi.

Hinc ſaxum voluere eos dicimus, qui inexhauſto, nec tamen vtili labore conficiuntur. Terent. Eunucho. Satis diu iam hoc ſaxum voluo. MVLTAM SALVTEM DICERE) *Dicendi ratio è græco fonte profluens,* πολλὰ χαίρειν λέγειν. *Cic. epiſt. 33. lib. 7. Ego verò multam ſalutem & foro dicam & curiæ, viuámque tecum multùm, & cum communibus noſtris amatoribus.* VT ALIQVA RESPVB.) *Solonis eſt, de quo ita Cic. ad Brut. epiſt. 15. Neque ſolum vt Solonis dictum vſurpem, qui & ſapiens vnus fuit ex ſeptem, & legum ſcriptor ſolus ex ſeptem. Is Rempub. duabus rebus contineri dixit, præmio & pœna.* G. SI) *Breuiloquentia delectatos fuiſſe Lacones conſtat. Inde* λακωνίζειν & λακωνισμός. *Pauciſſimis igitur verbis, ſæpe vno, plurimum ſententiæ complectebantur. Exempla ſint* αἴκα, *ſi. Qua voce tantùm ad longam Legatorum Philippi orationem reſponderunt. Præterea cum illis ſcripſiſſet Philippus: Si exercitum*

tum duxero in Laconicos fines, deuaſtabo vos, etiam reſcripſerunt, Si. Plutarch. de garrulitate. Item οὔ, cum quæſiuiſſet an ipſum in ciuitatem eſſent recepturi. Plutarch. eod. lib. Cum ipſorum agrum ingreſſus, per literas quæſiuiſſet, vellentne ſe vt hoſtem, an vt amicum venire, reſponderunt, οὐδέτερον, neutrum. Contrarium eſt βαττολογεῖν, *&* βαττολογία, *hæc enim loquacitatem & ſermonem nimis effuſum & prodigum ſignificant.*
ÆRVMNAS HERCVLIS) *Propter tam graues, & omnibus iam, etiam tonſoribus notos labores, vóſque non paucos, qui à diuerſis Poëtis ſunt deſcripti. Plaut. Perſa.*

Qui amans egens ingreſſus eſt princeps in amoris vias,
Superauit ærumnis is ſuis ærumnas Herculis:
Nam cum leone, & cum excetra, cum ceruo, cum apro Aetolico,
Cum auibus Stymphalicis, cũ Antæo deluctari mauelim,
Quàm cum amore.

PROGYMNASMA
TRICESIMVM TERTIVM.
Vacationes.

PETRVS, HILARIVS.

PETRVS. Cùm duodecim menſibus voluatur annus Hilari, & is in quatuor tempora digeratur, in ver, æſtatem, autumnum, hyememe; vnumquodq; autem trimeſtri ſpatio termine-

minetur: non ſum animi dubius, quin tu,ſicut in gradibus ætatis humanæ adoleſcentiam pueritię, conſtanti ſeu mediæ ætati, & ſenectæ præfers; ita in differentiis temporum æſtatem cæteris anteponas;ac proinde æſtiuis menſibus ampliùs delectere, quando pacatum nitet diffuſo lumine cœlum, rami baccarum vbertate incuruefcunt, ſegetes largiuntur fruges, pellucidulis aquis manãt fontes, quando ſuaues dædala tellus ſummit flores, & rident æquora ponti. H. Eſto ſanè: quorſum tu iſtuc? P. Quorſum? noſſe velim,ex Iunio, Iulio, Auguſto; ſiue,vt veteres nominabãt, Quintili & Sextili, ex his tribus inquam menſibus, ecquis tibi exſpectatiſsimus venire conſueuerit. H. An etiam id dubitationem habere poteſt? Idem, Petre,qui tibi. P. Quem ergo mihi amabilem acceptumq́; procedere autumas? H. Quid credis? Iulium. P. Quibus de cauſsis? H. Quia Alcedonia ſunt in ſcholis plus triginta, nedum quatuordecim diebus. Vacationum agitantur ſolennes feriæ:licet deambulare,& ſeſe dare luſibus.In patriam quoq; abeundi poteſtas conceditur ad viſendos parentes, fratres, ſorores, propinquos & affines: vbi tam blandæ ſalutationes, tam beneuolæ ac feſtiuæ congreſsiones, tam multæ vocationes ad honeſta & delicata conuiuia.Quid verbis opus eſt? iucunditates ſexcentæ. P. De iſta re nunquam tibi aduerſari certum eſt.Laudo,laudo maiorum noſtrorum prudẽtiam, qui adoleſcentum valetudini iſta relaxatione conſulendum putauerunt, quam continentibus atq; diuturnis literarum contẽtionibus offendi exploratum eſt,

cœlo

cœlo æſtuante potiſsimùm, quali affligimur exorta canicula. Et mihi multò veriſsimum videtur illud epigrammatographi: Pueri ſi ęſtate bene valent, ſatis diſcunt. H. Iam iſtuc vagandi & vacandi tempus propinquat. P. Scio, faſtos ſeu Kalendarium identidem adij. H. Quî traduces? P. Non omnino vſum librorum dimittam, nec me à noſtris Muſis proinde, vt ſi bellum ipſis indixiſſem, diſiungam. H. Optimè verò, Petre, & fieri ſic decet. Quid leges? P. Ea inprimis quæ liberalem & frugiferam delectationem pariant: vt ſunt Græcorum Romanorumq; hiſtoriæ, & excellentium carmina poëtarum. Exercitationem ſtyli haud intermittam, dictata recenſebo, audita mecum pertractabo. Deniq; ita has hebdomadas vacationum tranſigere conſtitui, vt etiam otij mei rationem afferre poſsim. H. Ego natale ſolum, quod me ſui immemorem eſſe non ſinit, poſt quartum denique annum quàm diſceſsi, videre deſtinaui. P. Et rectè. H. Addunt non mediocre calcar quas ab hinc triduum accepi literas; eæ ſunt paterna manu. Ante diem tertium Nonas Quintiles iter in patriam ingredi iubent. P. Quando huc te reuerſurum augurare? H. Si erit, vt illi me citò dimittant, citò: mater inprimis, quæ extra me ſtirpem virilem, aut muliebrem patri meo nullam generauit. Et noſti quanta ſit matrum, in vnicos præſertim, φιλοστοργία. P. Multas perſępe opportunitates corruperunt iſtæ matres, quæ ſic efflictim amant liberos. H. Tamen per patrem impetrabo, vt ne vltimus omnium huc reuertar. P. Planè ita faciendum ſentio.

ANNO-

ANNOTATIONES.

IN GRADIBVS ÆTATIS HVMANÆ) *Quadripartitæ temporum commutationi Pythagoras hominum ætatem comparauit, & in quatuor eam partes diſtinxit, in pueritiam, adoleſcentiam, iuuentutem, ſenectutem. Primam veri, alteram æſtati, tertiam autumno, vltimam hyemi ſimilem eſſe confirmans: ſingulis autem 20. annos attribuit. Laert. Eandem diſtributionem ſecutus eſt Horatius ad Piſones; vbi etiam cuiusq; ætatis mores naturámque depingit. Varro à die natali facit quinq; partes, ſiue gradus. In primo collocat pueros, qui ſic dicantur, quod ſunt puri, ſine pube, impubes, ad annum decimumquintum. In ſecundo adoleſcentes, ab adoleſcendo appellatos, ad annum trigeſimum. In tertio iuuenes, quod domi foriſq; Rempub. iuuare poſſint, ad annum quadrageſimum quintum. In quarto ſeniores, tum enim ſeneſcere corpus incipit, ad annum ſexageſimum. In quinto, qui ad finem vitæ extenditur, ſenes, qua ætate corpus ſenio conficitur & laborat. Singulis ergo, præter extremum, annos quindecim Varro decernit. Hippocrates ſeptem gradus conſtituit, infantiam, pueritiam, adoleſcentiam, iuuẽtutem, virilem ætatem, ſenectutem, ſenium. Primi finem eſſe vult annum ſeptimum: ſecundi decimum quartum: tertij duodetriceſimum: quarti triceſimum quintum: quinti quadrageſimum ſecundum: ſexti quinquageſimum ſextum: ſeptimi nouiſſimum annum vitæ humanæ. Vide inſuper Gel-*

lium lib.10. cap.28. Iam quaſdam loquendi rationes in ætatibus & anni temporibus & menſibus quoque accipiant adoleſcentes. Ineunte, prima, extrema, exeunte adoleſcentia, iuuentute. Prouecta, præcipiti, adulta ætate, præcipiti, extrema ſenectute, &c. Sic ineunte, primo vere, exeunte, adulto, præcipiti. Virg. Vere nouo 1. Georg. Medio, adulto, prono vere. Iiſdem de æſtate vtemur (quam itidem nouam in 4. dixit Virgilius, Cæſar initam & exactam) & de reliquis partibus. Quas etiam ſeneſcentes, vt Cic. hyemem pro lege Manil. & 2. de nat. Deor. Item prouectas, vt Tacitus noctem, appellabimus. Quæ omnia fas erit ad menſes accommodare.

QVINTILI ET SEXTILI) *Romulus annum digeſſit in menſes decem, fecítque Martium primum, Aprilem ſecundum, propter Martem & Venerem auctores Romanæ gentis, tertium à maioribus cognominauit, quartum à iunioribus: illum Maium, hunc Iunium. Reliquos à numero. Quintilem quod eſſet quintus, Sextilem quod ſextus, &, ſic deinceps. Ouid. 1. Faſtor.*

Martis erat primus menſis, Venerisq́ſecundus,
Hæc generis princeps, ipſius ille pater.
Tertius à ſenibus: iuuenum de nomine quartus,
Quæ ſequitur, numero turba notata fuit.

Poſtea de nomine Iulij Cæſaris, quod eo natus eſſet, vt Feſtus inquit, ſeu M. Antonio legem ferente, vt ſcripſit Macrobius, Quintilis appellari cœptus eſt Iulius. Sextium è ſuo cognomine Auguſtus nuncupauit, magis quam

quàm Septembrem, quo erat natus: quod eo ſibi & primus conſulatus, & inſignes victoriæ obtigiſſent. Sueton. in Octauio cap.31. Hanc licentiam ſibi permitti voluerunt Tiberius, qui Septembrem à ſe Tiberium, & Octobrem Liuium: Nero, qui Aprilem Neronem, Maium Claudium, Iunium Germanicum nominari iuſſit. Lilius de annis & menſibus. Argutum eſt, quod de Tiberio ſcripſit Dio. Cum ei inſtaret ſenatus, ſtatueretq; Nouembrem (eo menſe natus erat XVI. Kalend. Decemb.) Tiberium appellandum eſſe, ita reſpondit. Si vobis Cæſares erunt XIII. quid facietis? ALCEDONIA SVNT IN SCHOLIS) Halcedones, ſeu Halcyones ſunt aues paullò maiores paſſeribus, media hyeme in littore maris nidos faciunt, oua pariunt, pullos excludunt. Quibus diebus ſilentibus planè ventis ſumma eſt cœli ſerenitas, ſumma maris tranquillitas. Vnde dies illi Halcyonij vocantur. Vide Ariſtotelem de hiſtor. animalium lib.5. cap.8. Plinium lib.2. cap.47. & lib.10. cap.32. Ælianum lib.1. cap.36. Varronem de linguâ Latina lib.6. Seruium in 1. Georg. Plaut. Caſina, ad quietem & tranquillitatem à turbis & litibus in foro transferens, parœmiam fecit. Tranquillum eſt, Alcedonia ſunt in foro. Nos ad ſcholarum ferias, quæ in menſem Iulium incidunt, feſtiuè ſignificandas adhiberi poſſe cenſuimus. IVCVNDITATES SEXCENTÆ) Ingentem infinitumq; numerum hoc verbo Latini declarant. Cic. ad Attic. Venio ad epiſtolas tuas, quas ego ſexcentas vno tempore accepi. Ad eundem. Belli pericu-

lum, militum improbitas, ſexcenta præterea alia. Plaut. *Trinum. Sexcentæ ad eam rem cauſſæ poſſunt colligi. Idem alibi. Sexcenta ſunt quæ memorem, ſi ſit otium. Terent. Phorm. Sexcentas perinde potius ſcribito dicas. Licet etiam vti verbo mille, eadem ratione. Plaut. Amor mille modis ignorandus eſt.* OTII MEI RATIONEM AFFERRE) *Præclarus eſt locus in oratione pro Cn. Plancio, quem ad verba noſtra illuſtranda totum adſcribere non pigebit. Sed quid ego dicam de occupatis meis temporibus, cui fuerit ne otium quidem vnquam otioſum? Nam quas tu commemoras, Caßi, legere te ſolere orationes, cùm otioſus ſis, has ego ſcripſi ludis & feriis, ne omnino vnquam eſſem otioſus. Etenim M. Catonis illud, quod in principio ſcripſit Originum ſuarum, ſemper magnificum & præclarum putaui; Clarorum virorum atque magnorum, non minus otij, quàm negotij rationem exſtare oportere. Iuſtinus præfatione, eiuſdem dicti à Catone meminit. Columella lib. 2. cap. 22. Sed cùm tam otij, quàm negotij rationem reddere maiores noſtri cenſuerint.* QVOD ME SVI IMMEMOREM) *Cic. 1. de Orat. Patria nos omnium maximè delectat; cuius rei tanta eſt vis, ac tanta natura, vt Ithacam illam aſperrimis ſaxulis tanquam nidulum affixam ſapientißimus vir immortalitati antepoſuerit. De Vlyſſe loquitur, de quo & Homerus hoc ipſum Odyſſeæ 5. Ouid. de Pont. lib. 1. eleg. 4.*

Non dubia eſt Ithaci prudentia, ſed tamen optat
Fumum de patriis poſſe videre locis.

Neſcio qua natale ſolum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non ſinit eſſe ſui.
Quid melius Roma? Scythico quid frigore peius?
Huc tamen ex illa barbarus vrbe fugit.
Cum bene ſint clauſæ caueæ Pandione natæ,
Nititur in ſyluas quæq́; redire ſuas.
Aſſuetos tauri ſaltus, aſſueta leones,
Nec feritas illos impedit, antra petunt.

Scripſit encomium patriæ Lucianus, in quo ſic inter cætera. Si de vrbium electione optionéque ageretur, nemo profectò contempta patria, aliarum ſplendorem diuitiasq́; ſequeretur: non quod illas non cuperet, ſed quod iis patriam ſuam ornatam vellet: quam nihilominus qualiſcunque eſſet, cæteris anteponeret. ANTE DIEM TERTIVM NONAS) *Dicerem aliquid de hoc loquendi genere, oſtenderemq́; quo pacto eum ipſum diem, qui exprimitur, non præcedentem ſignificaret; item de illis, in ante diem, ex ante diem tertium Nonas, poſt diem tertium Kalendas, niſi me id iampridem in Rochum Peruſinum præſtitiſſe meminiſſem, cui præter ſcholia, etiam multa capita inſerui. Vide editionis tertiæ cap. 50. Conſulendus & Manut. in epiſt. 8. lib. 2. & 7. lib. 3. ad Attic.*

PROGYMNASMA TRICESIMVMQVARTVM.

Studium in ſyluis ac nemoribus.

MINVTIVS, POLYDORVS Magiſtri.

MINVTIVS. Non ita pridem, cùm eſſem fortè ex triſtitia perturbatior, quærebam vbi illam miſeriā ex animo velut expuerem. Dedi me itaque ad legendas epiſtolas Plinij, quas abs te vt breues, argutulas, diſertas, ſuaues, eruditas & facetas magnoperè probari ſępius animaduerteram. Incidi autem in ſextam libri primi, qua ille memorat Cornelio Tacito, qui cùm ei familiaritas mutua intercedebat, ſe in ſylua dum venaretur, & ad retia ſederet, iaceretq́; in proximo venabulum, quo ſcilicet feras in plagas ſe induentes tranſuerberaret, meditatum eſſe, cogitationesq́; ſuas ſtylo pugillaribus indidiſſe. *Non eſt quod contemnas,* inquit, *hoc ſtudendi genus: mirum eſt, vt animus hac agitatione motúque corporis excitetur. Iam vndique ſyluæ & ſolitudo, ipſumq́; illud ſilentium quod venationi datur, magna cogitationis incitamenta ſunt. Proinde cùm venabere, licebit auctore me, vt panarium & lagunculam, ſic etiam pugillares feras. Experieris non Dianam magis montibus, quàm Mineruam inerrare.* His ita perlectis, egomet continuò mecum; conueniam Polydorum, ex eo ſciſcitabor, quid de hoc Pliniano iudicio ipſe iudicet: arbitretúrne

tretúrne perinde Mineruam vt Dianam vagari per montes & nemora. P. Non ergo hoc de nihilo eſt, quod me conuentum eſſe expetiſti. M. Non eſt Polydore, ſed auſculta dum. Muſis quidem certè, & μουσαγέτῃ Phœbo montes, nemora, ſyluas in quibus habitent, & choros agitent, non arces & vrbes dedicatas nouimus. Capiuntur item eiuſmodi locis poëtæ, & in ea ſecedere carmina compoſituri conſueuerunt. De Orpheo quoties legimus, ipſum canentem beſtias & quercus inſecutas? Quòd ſi hoc antiquiſsimum è doctis genus, poëtarum inquam, illic in ſuo negotio percommodè verſari poteſt, cur alij non poſſunt? quid eos prohibet? Si ſolitudo ac ſilentium ſtudiis conducunt, ibi neutrum deſideratur. Si liber cœli aſpectus, ſi lenes viridiſsimarum arborum ſuſurri, ſi dulces auicularum concentus, ſi placido cum murmure de rupibus deſilientes lymphæ cogitationem minimè confundunt ac remorãtur, quin potiùs ſpiritum exſuſcitant, animum hilaritate complent, atque ad propoſitam actionem attemperant, cur nõ ſtamus à Plinio, & aliquando cum ſtylo & palimpſeſto, aut cum libro in nemus ambulatum imus, ibique ſumma iucunditate diem conterimus? Virgilium poëtarum excellentiſsimum in Campaniam frequenter, regionis amœnitate illectum ſeceſsiſſe, ibique bonam partem ſuorum carminum condidiſſe proditum eſt memoriæ. P. Quia ſententiæ meæ particeps vt eſſes, idcirco iſtuc ζήτημα in medium attuliſti, reſpondebo tibi, ſi ſpoponderis priùs, non emanaturum quod audieris; ſum enim homunculus

vnus è multis, nondum oracula cano. M. Quod mihi credideris, ait Plautus, ſumes vbi poſiueris: alium putes licet rimarum plenum eſſe, non me. P. Locos ſolos, ac ſilentium quàm altiſsimum legentibus, ſcribentibus, commentantibus vehementer commodare fatendum eſt, nec inter arbitros, clamores, ſtrepitus quantumcunq; mediocres animum pro eo ac vellet deberetq́; ſuum poſſe agere negotium. Hinc videmus literarum candidatos amare ſeceſſus, & locos interiores ac penitus ſilentes captare, ne per idola & imagines rerum ſenſibus perceptarum mens ſeſe diuidere, ac pluribus impertiri cogitationem, & veluti pugnam quandam tolerare cogatur. Demoſthenes ille, cuius eloquentia obſtupuit vniuerſa Græcia, ſtudendi cauſſa latebroſè ab hominum conſpectu, loco ſubterraneo ſe occultabat, ex quo nulla vox audiretur, nihil videretur. quare? ne oculi & aures aliò mentem auocarent. Si Philoſophorum, ſi Oratorum, aliorumq́; literis præcellentium vitam legas, non multos in turba magis quàm in ſolitudine, ſolis libris præſentibus, reſpondentibusq́; ſuas res egiſſe inuenies. M. Prorſus tecũ ſentio. P. At verò quod quis ad hoc idem aliquid valere nemora & ſyluas contendat, propter ratiunculas quas tu afferebas, hoc aliquid nihil eſt. Iucundi ſunt eiuſmodi ſeceſſus, verùm ad ea quæ nos quęrimus non ſunt accommodati. Siquidem illa eadem quæ ſenſibus blandiuntur, & animum delectant, eum ipſum ab opere deſtinato quaſi retrorſum raptant: qui, quò pluribus eſt intentus, (vt vulgatus inquit verſiculus) eò minor

eſt,

eſt, eò minus valet ad ſingula: valet vbi totus intenditur. Ac miror equidem Plinium hunc à Magiſtro ſuo Quintiliano diſſentire voluiſſe, quem lib. 10. cap. 3. hanc opinionem euelliſſe è mentibus hominum non ignorabat: niſi forſan, (quod video fieri potuiſſe) hic illo poſteriùs Inſtitutiones ſuas in lucem emiſit. Syluæ porrò, nemora, montes, vt etiam flumina, fontes, citharæ, cantus, non ideo Muſis tribuuntur, quod poëtas vel neceſſarium, vel vtile ſit in illis locis, aut circum illa loca verſari; ſed vt ſtudij ipſorum quod tractant ſuauitates, & vſitata materia iſto modo, iſtiſq; fictionibus indicentur. Bene igitur Flaccus.

Me doctarum ederæ præmia frontium
Diis miſcent ſuperis: me gelidum nemus,
Nympharumq; leues cum Satyris chori
Secernunt populo, ſi neque tibias
Euterpe cohibet, nec Polyhymnia
Lesboum refugit tendere barbiton.

M. Tibi profectò, & clariſsimo doctori Quintiliano ſuffragabor, amœnitateq; illa locorũ, vt hortis, non niſi ad meram & ſolam animi oblectationem cùm vtar ipſe, tùm vtendum, ſi fuerit occaſio, ſuadebo.

ANNOTATIONES.

BESTIAS ET QVERCVS INSECVTAS) *Horat. Ode 12. lib. 1.*

Aut in Vmbroſis Heliconis oris,

Aut ſuper Pindo, gelidóue in Hæmo,
Vnde vocalem temerè inſecutæ
Orphea ſyluæ.
Arte materna rapidos morantem
Fluminum lapſus celereſq; ventos,
Blandum & auritas fidibus canoris
Ducere quercus.

Propert. lib.3.eleg.1.

Orpheu te tenuiſſe feras, & concita dicunt
Flumina Threicia detinuiſſe lyra.

Fabulam hanc, vt item alteram de cantu & lyra Amphionis explicat Horat.epiſt.ad Piſones. LOCOS SOLOS) Sola loca, ſeu locos ſolos (nam vtrumq; in vſu eſt) vocant ſcriptores antiqui deſerta, infrequentia loca, & in quibus nemo habitet. Plaut. Rud. Neque magis ſolæ terræ ſolæ ſunt, quàm hæc loca, atq; hæ regiones. Lucret. lib.6. Cur etiam loca ſola petunt, fruſtraq; laborant. Cic. de Diuinat. Cùm in locis ſolis mœſtus errares. Probus in Eumene. Si per loca ſola contenderet, ſperabat ſe imprudentem hoſtem oppreſſurum. Terent. Phorm. Solas terras. Virgil. in eclog. Solos montes. Catull. Solam rupem, ſolam arenam. Salluſt. Solas vias dixit. A MAGISTRO SVO QVINTIL.) Inter cætera; mihi, inquit, iucundus hic magis quàm ſtudiorum hortator videtur eſſe ſeceſſus. Namq; illa lapſa quæ delectant, neceſſe eſt auocent ab intẽtione operis deſtinati. Neq; enim ſe bona fide in multa ſimul intendere animus totum poteſt: & quocunque reſpexerit, deſinit intueri quod propoſitum erat.

PRO-

PROGYMNASMA TRICESIMVMQVINTVM.

Mutuatio calami.

CONRADINVS, PIGMENIVS.

CONRADINVS. Da mihi, oro, vtendum calamum. P. Nullos habeo calamos hodie, quos tibi dem mutuos. C. Thecam plenam apud te vidi. P. Per ſomnium fortaſsis. Sed dicam vno verbo rem totam: nullos habeo, quos tu cõmodatos retineas. C. Quæ tam mala mens in hanc te ſuſpicionem impellit? tam peruersè de me exiſtimas? eho, nondum nôſti mores meos? verùm, ne ſis in mora, da mutuum calamum. P. Vbi tui? C: Meliuſculos reliqui domi, deteriores portaui mecum per imprudentiam. P. At tu meum quoq; diſperderes, aut nimium premendo, aut in ipſo intinctu, ad fundum atramentarij allidendo videlicet. C. Leuiter ducam per chartã, ſenſim intingam, ſalua cuſpide. P. Multáne deſcripturus? C. Tantummodò verſus aliquot à Præceptore poſt horam explanãdos: vt nimirum gloſſulas interſerere queam, nam retinere eas nõ poſſum ob tenuitatem memoriæ. Si quid mutuaberis à me, ſeu calamos, ſeu papyrum, ſeu librum, ſeu quid aliud, dabitur mutuum haud grauatè. P. Ecce tibi probatum calamum, quem dono, tuus eſto. C. Multùm te, mi Pigmeni, de iſthac liberalitate

ralitate amo. Experiar. Profectò idoneus eſt, ſi quis alius, ad decorè formandas literas.

ANNOTATIONES.

DA VTENDVM CALAMVM) Concedere, accommodare, pro mutuari, conceſſum pro mutuum, conceſsio pro mutuatione, latina eſſe non puto. Nec dare, accipere commodatò accommodatò. Dicamus ergo, commodare, mutuum, vtendum dare aliquid. Cicero mutuum ſumere, non accipere, & mutuum, non mutuò. Nos etiam commodatum, reddendum ſumere. QVÆ TAM MALA MENS) bona mens, mala mens latinis ſæpius eſt recta, peruerſa voluntas. Exemplum in tanta copia vnicum proferam. Catull.

Quanam te mala mens, miſelle Rauide
Agit præcipitem in meos iambos?

Interdum ipſa ratio & ingenium ſeu natura. Vnde conſilia, & voluntates bonæ aut prauæ exiſtunt. Terent. And. mala mens, malus animus.

PROGYMNASMA TRICESIMVMSEXTVM.

Fruſtratio petiti atramenti.

SIMPLICIVS, ZEPHERINVS.

SIM-

SIMPLICIVS. Magnum apud me beneficium poneret, qui pauxillum atramenti in vaſculum hoc meum, cuius linteolum pænè exaruit, infundere de ſuo dignaretur. Si goſsypium, aut tomentum impoſuiſſem, & calamos intingendo corrupiſſem, & iam pridem atramento caruiſſem. Tu Zepherine, quoniam circumfers atramentarium inſtar lampadis, aut mortarij vaſtum & amplum, ne deneges mihi ad incitas redacto quam ſummiſsè peto ſtipem, ſeu eleemoſynam. Z. Vix quarta pars horæ præteriit, cùm alius idem quoque me popoſcit: & dedi. Nunc ſi tibi ſimiliter dedero, veniet tertius, deinde quartus, deinde quintus, & ita me exarmabitis omnino, & mendicitatem mihi offeretis. S. Non venient, interpono fidem meam. Z. Qui ſcis? S. Vidi cùm intingerent calamos, referre eos ex atramentariolis madidiſsimos. Z. Quin aquam infundis? S. Exeundum eſſet è ſchola currendumq́ ad fontem in forum propter ſex ſeptem aquæ guttulas. Z. Inſpue. S. Linguam nimis ſiccam gero. Da ſi quid das, & ſi vis dare bis, da citò ſemel. Z. I, aliã quercum excute, aliunde exora quo indiges: atramentum hoc mihi coxi, non tibi. S. Saltem da mutuum, ſi non vis gratuitò, rem tantillã. Z. Pergin' aures tundere? abi hinc. S. Aliquando tu etiam egebis aliquo, tum accedito ad Simplicium, par pari referet. Spectate huius Zepherini inhumanitatem & auaritiam. Ego te pro iſtis factis mactabo infortunio.

ANNO-

ANNOTATIONES.

GOSSYPIVM AVT TOMENTVM) *Goſſypium exponitur,* Baumwoll. *Tomentum appellatum, quod aut in filo, aut in tela tumeat. Iſid. lib. 19. cap. 27. Lana breuis forpicibus deſecta, aut in poliendo à fullone de pannis rudibus, aut interpolatis deducta, quæ infarciuntur culcitræ qualeſcunq;.* Nomenclat. *à* τέμνω *deducitur, incido.* AD INCITAS REDACTO) *Plaut. Trinum. Hem hic cuius eſt (ager) vt ad incitas redactus? Idem Pœnul. Tace modò, profectò ad incitas lenonem rediget. De his dici ſolitum, quos extrema premit egeſtas; incita enim pro egeſtate ponitur.* Nonius. SI VIS DARE BIS) *Prouerbium: bis dat, qui citò dat. Quomodo? quia altero tanto gratius eſt. Extat hac de re epigramma græcum Luciani, quod Auſonius in hũc modum reddidit latinum.*

Gratia quæ tarda eſt, ingrata eſt: gratia namq;
Cum fieri properat, gratia grata magis.

Aliter.

Si bene quid facias, facias citò, nam citò factum
Gratum erit. Ingratum gratia tarda facit.

Et noſtrum.

Dulcior eſt multò cita gratia: tardior autem
Interit, & dici gratia non poterit.

PRO-

PROGYMNASMA TRICESIMVMSEPTIMVM.

Ludendi poteſtas recuſata.

FLAVIVS, AVRELIVS, IVLIANVS.

FLAVIVS. Magiſter iuſsit nos dare operam luſiunculæ: veni Aureli, veni Iuliane, venite ſultis ambo. A. Quid hic narrat? F. Quod certiſsimũ eſt, quodq́; iam ipſe ludẽtium clamor nunciabit tibi. I. Siue ita eſt vt dicis, ſiue comminiſceris aliquid; non ludo. F. Quare? I. Præſtat me prælecta repetere, quàm luſu bonum tempus perdere. A. Ego inchoaui epiſtolam: ſi intermiſero, multò poſteà difficiliùs, animo iam diſtracto, & aptis ad rem propoſitam cogitationibus tùm diſsipatis, cœpta pertexam. F. Ohe, quàm parcos temporis habeo condiſcipulos? non alij quoque exhibituri ſunt Magiſtro epiſtolas? non debent alij quoque prælecta repetere? non facere quæ vos facitis omnia? A. Apage luſor, ne moleſtiam nobis exhibeas, fœtet tuus ſermo nobis. I. Quiſque ſibi ſerit, ſibi metit. F. At Magiſter iuſſit ludere. I. Falſum eſt: volentibus permiſit, nolentes nunquam cogit; & ſcio illum ſtudentes quàm luſitantes habere chariores. Ac tu ſi rectè facias, ludum ſtudiis poſthabeas. F. Si ægrotabitis? A. Te Æſculapium inuocabimus. F. Interdicerem vobis libris. I. Quamdiu? F. Ad ſex menſes. A. Tum tibi porcus ſacrificandus eſſet.

F. Quî

F. Quî dum? A. Quia inſanires. F. Valete, ego ludo. I. Síccine ludum diligis? F. Ha, quid ni? At vos immodeſtè literas.

ANNOTATIONES.

SVLTIS) *Particula vſitata Comicis. Plaut. Aſin. Hoc agite ſpectatores ſultis nunc iam, pro, ſi vultis. Ita ſis, pro, ſi vis. Adduntur imperandi modo ad eum molliendum, vt aliâs perſæpe addimus, ſi placet, fac, ſi placet, dic, ſi placet.* TE ÆSCVLAPIVM) *Hunc Poëtæ, Apollinis et Coronidis filium, medicinæ præficiūt, eumq́ue mortuos etiam in vitam reuocaſſe comminiſcuntur, ob quam cauſſam à Ioue percuſſus ſit & exanimatus fulmine. Lege Lilium, & Natalem. Arnob. lib. 1. Medicaminum repertor, cuſtos & præſes ſanitatis, valetudinis & ſalutis. De eius metamorphoſi vide Ouid. lib. 15.* TIBI PORCVS SACRIFICANDVS) *Laribus immolabant porcum inſani, quiq́ue piaculum aliquod admiſerant, & quibus liberorum prole aucta erat familia. Plaut. Menæch.*

reſponde mihi
Adoleſcens, quibus hîc preciis veneunt porci
Sacres, ſinceri. nummos hos à me accipe.
Iube te piari de mea pecunia.
Nam ego quidem inſanum eſſe te certò ſcio.

Et infra. Iube, ſi ſapis, porculum afferri tibi, &c. Iunius lib. 4. cap. 7.

PRO=

PROGYMNASMA TRICESIMVMOCTAVVM.

Comparatio nominum, verborumq́ coniugatio.

ELIAS, ARNOLDVS.

ELIAS. Demus finem huic collocutioni tẽporiùs, extemplò coràm aderit Præceptor, exacturus quæ heri reddenda impoſuit. A. Quid ergo facto opus eſt? E. Meditemur adiectiuum per accidentia; perq́ tres gradus & tria genera. A. Hoc agamus. Quod erat illud? E. Benignus. A. Declinemus in caſus. E. Quoti ordinis? A. Virile & neutrum ſunt ſecundi, muliebre eſt primi. E. Cuius ſpeciei? A. Primitiuæ. E. Figuræ? A. Simplicis. E. Quotuplex eſt figura? A. Triplex; ſimplex, compoſita, decompoſita. E. Dic nominandi caſum. A. Benignus, benigna, benignum. E. Comparatiuum. A. Benignior, benignius. E. Cur non ſunt hîc tres voces vt in poſitiuo? A. Benignior eſt generis communis. E. Da ſuperlatiuum. A. Benigniſsimus, benigniſsima, benigniſsimum. E. Vt habet in genitiuo? A. Benigni, benignæ, benigni, benignioris, benigniſsimi, benigniſsimæ, benigniſsimi. E. Cur eſt vnica vox in comparatiuo? A. Quia neutra in vs habent oris. Datiuo, benigno, benignæ, &c. E.

Iam tu interroga me de verbo quod coniugandum erat. A. Commendo, erat. E. Iſtuc ipſum. A. Si quis didicit Amo,non poterit errare in Cõmendo. E. Nihilominus interroga. A. Indicatiuo præſenti? E. Commendo,commendas, commendat. Plurali numero, commendamus, commendatis, commendant. A. Pro certo credo te nunquam lapſurum. Verùm hæc facilia ſunt: ſi anomala inflectere & coniugare iuſſerit, tum ſudabimus. E. Id forſitan hodie futurum eſt. Profectò cùm coniugarem nudius tertius Odi, multùm id verbi oderam; quia cùm ſit defectiuum, faciebat vt deficerem. A. Recordaris, opinor, quemadmodum me vexabant infelicia heteroclita, & comparationes anomalæ. E. St, auditur horologium:tuſsit, ſcreat ante ianuā Præceptor; parcamus voci.

ANNOTATIONES.

TEMPORIVS) *Ouid. & Columella vſurparunt hoc aduerbium,deductū à tempus temporis. Temperius autem antiquius eſt,à tempus temperis: quemadmodum dixēre veteres pignus pigneris, vnde pignero verbum:poſteriores autem, pignus pignoris. Manut. in epiſt. 16. lib. 9. Apud Plaut. in Aulul. & in Perſa eſt temperi, in Capt. tempori.* MEDITEMVR ADIECTIVVM) *De verbo, meditor, in 1. eclog. Virgil. ſic ſcribit Seruius. Quod Græci* μελετῶ *dicunt, per antiſtœchon (id eſt, mutationem literæ, ſeu elementi) meditor*

tor dixerunt latini. L. enim & D. interdum ſibi inuicem cedunt: vnde & ſella pro ſeda dicitur, à ſedendo. μελετάω porrò eſt exerceo, non ſolùm, commentor; ergo meditari exercere. Virgilius. Syluestrem tenui Muſam meditaris auena. S T) *Comicis nota eſt ſilentij, ſeu particula ſilentium indicans. Apud Plaut. Curcul. St, tace, tace. Mercat. St, tace atque abi. Epid. St, tacete, habete bonum animum.*

PROGYMNASMA TRICESIMVMNONVM.

Explicationum repetendarum ratio.

VRBANVS, THEOPHILVS.

VRBANVS. Repetiſtíne heſternam explicationem epiſtolę Ciceronis? T. Nondũ. V. Quid egiſti? T. Occupatus fui in aliis. V. In quibus? T. In præceptis Grammaticæ ediſcendis. V. Vtrunque faciendum fuit. T. Si ſocio non caruiſſem, hoc quoque forſitan præſtitiſſem. V. Vis tecum repetam? T. Nihil malo. V. Principiò reuocabo tibi in mentem ipſum argumentum epiſtolæ verbis Germanicis: tu ſi diffidis memoriæ, poteris in chartaceum libellum referre. T. Nullo negotio retinebo, ſi iterum audiero: nec enim eſt ita longum. V. Poſtea Cice-

ronem exponam, verbum verbo, ſequens conſtructionis ordinem; mox ſententiam ſententia, vt Præceptor ſolet. T. Et vt nos vult ſeſe imitantes facere in repetendo. V. Poſtremò themata indicabo cum accidentibus, & ſyntaxes quaſdam faciliores. T. Obſtringes me non vulgari beneficio. Secedamus in locum ſolitarium, ne quis hîc noſtra dicta arbitretur.

ANNOTATIONES.

PRINCIPIO REVOCABO) *In repetendo explicationis ordo tenendus eſt, & quo quidq; loco auditum, eodem poſteà iterandum. Quoniam verò hic ordo repetitionis, & iſte modus non videtur contemnendus, intelligant magiſtri eundem in exponendis auctoribus ſibi opportunum fore. Seruent autem maximè illud (ſequens conſtructionis ordinem) alioqui ſenſum euadere obſcurum neceſſe eſt, tametſi verbum verbo explanauerint.*

PROGYMNASMA QVADRAGESIMVM.

Dicta alterna.

CORNELIVS, RVFVS.

CORNE-

CORNELIVS. Quid tam improuiſo ante meridiem è ſchola euocabare? R. Vt negotium quoddam patri meo confectum darẽ. C. Cur eo curato non es reuerſus? R. Perparũ de hora ſupererat. C. Habes perfectam epiſtolã? R. Non. C. Haud igitur mecum in portu nauigas. R. Chirographum paternum affero, hoc me pœna eximet. Tu verò qua de cauſſa heſterno die toto abfuiſti? C. Deteriùs valebam. R. Pedibúſne? C. Ita, pedib⁹. R. Sic opinabar. C. Sic tu opinabaris, ſcilicet: noui iocationes tuas. Verùm audi. Tua mater eſt impensè litigioſa mulier. R. Quo teſte id probas? C. Interueni aliquoties dum velitaretur cum vicina veſtra, in eamq́ omne quod illi ægrè eſſet euomeret; quę ſuo viciſsim gladiolo, quã acriter oppugnabatur, tam ſe ſtrenuè, intra dentes tamen, defendebat. R. Et tua nouit exhaurire calices: nec heſterno mero fœtet, quia in lucem ſemper bibit. C. Túne ſemel vidiſti? R. Semel? quoties ipſam vidi, toties hoc vidi: eſt etenim facie ebrioſa, rubentibus verrúculis ornata, longè ante alias ſpecie, ac pulchritudine inſignis matrona. C. In toto oppido non eſt mulier matre mea frugalior, magisq́ ſicca & frugi. R. Ain' tu? vnde ergo tam potoria facies? C. Perfacilis eſt, & perexpedita reſponſio. Medicos i percunctatum, quos illa conſuluit, & à contumeliis linguam coërce: alioqui futurum eſt, vt te maledicentiæ huius pœnitudo ſubeat. R. Quod habui ſummum pretium perſolui tibi. C. Ab alio exſpectes alteri quod feceris.

ANNOTATIONES.

DICTA ALTERNA) Cic. 2. de Orat. dicere enim aiunt Ennium, flammam à ſapienti facilius ôre in ardẽte opprimi, quàm bona dicta teneat, quæ ſalſa ſint. Nam ea dicta appellantur proprio iam nomine. Plaut. Capt. & Sticho dicta meliora vocat, quæ ſunt magis faceta, magisq́; ſalſa. NEC HESTERNO MERO FOETET) *Martial. lib. 1.*

Heſterno fœtore mero qui credit Acerram,
Fallitur: in lucem ſemper Acerra bibit.

Fœminis olim Romæ non licuit vinum bibere, ne in aliquod dedecus prolaberentur. Egnatius hac de cauſſa vxorem occidit, & à Romulo abſolutus eſt. Valerius lib. 2. cap. 1. Gellius lib. 10. cap. 24. Ælian. libr. 2. cap. 38.

PROGYMNASMA QVADRAGESIMVMPRIMVM.

Interrogationes variæ.

LAZARVS, CELSVS.

LAZARVS. Quandocunque ad flagrum citaris, Celſe, (id quod propter tuam omnibus teſtatam ſegnitiem, qua ingenium ſinis tepeſcere, non rarò fit) quid eſt quod tam difficiliter te moues, tamq́; inuitus cum tantis vociferationi-

tionibus & vlulatibus pœnam ſuffers? C. Velim tibi vel ſemel contingeret, quod mihi ſæpius ais vſuuenire; ſtatim ſciros cauſſam. L. Reuera (quod hîc dicendum ſit) detrimentoſus tibimetipſi es: nam ſi abſque tergiuerſatione te ſubiiceres, clamoribusq; abſtineres, clementiorem ſentires vtique Magiſtrum. C. Id equidem cogito mecum, & apud animum propono: ſed cùm iam res eſt in acie nouaculæ, excidit repente propoſitum. Sic eſt ingenium meum: ſuus cuique mos. Quanti tu hunc librum emiſti? L. Dimidio floreni. C. Duc me ad tabernam huius bibliopolæ, vt mihi quoque emam auctorem iſtum. L. Maximè, dimiſſa ſchola. C. Vbi venduntur, quæſo, pulueres ſcripturarij? L. Neſcio: ego aut arena vtor, aut arefactis, & in puluerem redactis ouorum putaminibus. C. Non placet: oſſei ſunt meliores ac puriores. Nonnulli ſcobem apud fabros ærarios lima abraſam colligunt, eaq; ad ſiccandas in charta literas vtuntur. L. Quò iſtis heri ambulatum? C. In hortos noſtros. L. Quid ceraſa veſtra, ſúntne matura? C. Matura. Proximè futuro die remiſsionis eôdem me euntem comitaberis, vt ipſo guſtatu experiare. L. Ago gratias, maiores acturus, ſi promiſſa patraueris.

ANNOTATIONES.

CLEMENTIOREM SENTIRES VTIQVE) *Quid clementia quid crudelitas ſit. Seneca lib. 2. cap. 3. & 4. de Clementia nos ita docuit. Clementia*

eſt temperantia animi, in poteſtate vlciſcendi; vel lenitas ſuperioris aduerſus inferiorem in conſtituendis pœnis: Dici etiam poteſt, *inclinatio animi ad lenitatem in pœna exigenda.* Hanc autem certiſſimam definitionem exiſtimat. *Eſt moderatio aliquid ex merita ac debita pœna remittens.* Huic contrariam imperiti putant ſeueritatem: ſed nulla virtus virtuti contraria eſt. Opponitur autem clementiæ crudelitas: quæ nihil aliud eſt, quàm atrocitas animi in exigendis pœnis. SED CVM IAM RES EST) Hoc in vita humana quotidie, & in nobis, & in aliis fieri experimur, cum iam inibi eſt, vt reipſa & facto præſtandum ſit illud vel ad fortitudinem, vel ad iuſtitiam, vel ad temperantiam, vel ad patientiam, vel ad religionem, vel ad continentiam, vel ad aliam quamcunq; virtutem pertinens, quod tamen præſtare omnino decreueramus apud animum. Tum enim omnia dura & grauia videntur, dum hæſitamus, cunctamur, & in omnem partem nos vertimus: tanta eſt voluntatum noſtrarum in bonis ſanctisq; rebus imbecillitas, inconſtantia atq; timiditas, tanta earundem in malis rebus firmitudo & audacia.

PRO-

PROGYMNASMA QVADRAGESIMVMSECVNDVM.

Amiſſus & promiſſus liber.

VDALRICVS, OTHO.

VDALRICVS. Quid vult hic fletus? O. Amiſi librum. V. Quem? O. Emmanuelis Grammaticã. V. In ſcholáne? O. In ſchola mi Vdalrice. V. Quo tempore? O. Hoc ipſo die, ante prandium. Cùm enim dato ſigno diſcedendum eſſet domum, egóque libellos meos colligerem, hunc non inueni. V. Quæſiuiſtíne apud vicinos? O. Ac diligentiſsimè. Reſpondent omnes, ſe eſſe extra noxiã, nec habere, nec ſcire quis habeat. V. Non tu illico ad Pręceptorem? O. Immò, ſed iuſsit vt ſe appellarem denuo poſt meridiem. V. Appella. O. Deſpero me recuperaturum. V. Aliâs alij ſuos amiſerunt. O. Sic eſt. V. Nónne recuperarunt? O. Quidam, non omnes. Et hi, quòd rem ſuam male cuſtodiſſent, aut in ludo à doctore, aut domi à parentibus vapularunt liberaliter. Quod ſi hodie librum meum non recepero, certiores faciam ipſos oportet, vt pro hoc malo mihi dent malum. V. Iuuabo te in quęritando Emmanuele tuo. Si non inueneris, eſt mihi aliquanto tritius hoc ipſo exemplar eiuſdem, id dabo tibi proprium. O. Si non ſimulatè promittis, porrige dexteram. V. En. O. Affudiſti aquam, rediit animus, & cura omnis ex corde exceſsit. V. Lætus

 ſum,

ſum, quòd te tranquillaui. Vę illi, qui ſe huius furti aſtrinxit: nam & librum minimè retinebit, & vberiùs quàm tu plorabit. O. Furem hunc mihi dari in conſpectum geſtio: coram in os laudarem ipſum, & capillo conſcinderem.

ANNOTATIONES.

ESSE EXTRA NOXIAM) *Cornel. Fronto. Noxa pœna eſt, noxia culpa. Feſtus. Noxa ponitur pro peccato, aut pro peccati pœna, cum lex iubet noxæ dedere pro peccato. Noxia apud antiquos damnum ſignificat, ſed apud Poëtas & Oratores ponitur pro culpa.* REM SVAM MALE CVSTODISSENT) *Inter breuia illa præcepta. Maiori cede, minori parce, &c. quæ cum diſtichis Catonis circumferuntur, eſt etiam hoc: Rem tuam cuſtodi. Quod ſi cui ſuarum rerum cura eſt difficilis, quam laborioſa erit alienarum? Digniſſimi vel plagis ſunt, qui quod ſine magna cura & ſollicitudine retineri poterat, id per ſummam ſocordiam negligentiamq́ perire, aut ſibi ſubduci patiuntur.* EST MIHI ALIQVANTO TRITIVS) *Humanitatis officium, vt qui habet duas tunicas, det alteram non habenti, & cui ſupereſt, ſuccurrat fratri ſuo, cui nihil eſt, cum id ſine damno ac malo poſſit.*

PRO-

PROGYMNASMA QVADRAGESIMVM TERTIVM.

Auxilium, & conſilium.

EDMVNDVS, GALLVS.

EDMVNDVS. Tantum ſudoris & laboris indipiſcor in hac epiſtola componenda, quantum ad hunc diem in alia nulla. G. Quî fit? E. Iliade longior eſt: hoc primum. Secundo loco plurimæ inſunt voces, quas in Germanico latino Calepino cogor quærere, vt Gauckler/ferberſtängen/Muſcatblüe. Præterea ſcatet modis loquendi, & prouerbiis difficillimis, niſi velim germaniſmos inſerere: vt, die Leuth zur Banck hawen. Et: Man ſoll die Leuß nit an Beltz ſetzen. Item: Ich bin nit dein Narr/ac ſimilibus. Quis me non exſibilet, ſi dixero; non oportet pediculos ponere in pelliceo: non ſum tuus ſtultus? Primum illud ne germaniſmo quidem exprimi poteſt. G. Coniicio ſignificari eo genere loquendi, detrahere de fama aliorum: ſumpta videlicet metaphora, ſeu ducta allegoria à laniis, qui carnes quas fecerunt iugulatis excoriatisq; animalibus, in fruſta ſecant bipēnibus, & in officinis (in der Fleiſchbanck auff dem Laden) venales proponunt. Sic obtrectatores, & alienæ famæ carnifices occidunt quodammodò homines, eosq; vt carnes audientibus vendunt; apud quos nempe eos in ſummum cōtemptum adducunt, & planè deſpicabiles reddunt. Hoc

Hoc ergo ſi ita eſt, vt equidem eſſe puto, ecquid animaduertis quanta energia, quanta ſignificatio ſit in hac formula loquendi Germanica? E. Animaduerto, tuamq́ interpretationem amplector. Verùm quid das conſilij? G. Quando in locos impeditos incidis, Magiſtrum ora, vt te expediat: ſic enim iuſsit nos facere, egoq́ id non omitto. Nuper cùm neſcirem quid eſſet latinè, Buttermilch/ & Waſſernudel/ item quibus verbis dicerem: Er weiß wol wie es einem Schalck vmbs Hertz iſt/ vtrumq́ ex eo cognoui. E. Imitabor te poſita verecundia, quæ me hucuſq́ abſterruit.

ANNOTATIONES.

IN GERMANICO LATINO CALEPINO) *Calepinis, Theſauris, Dictionariis, phraſium libris, Nizoliis ne ſint nimium dediti adoleſcentes, & ſciant eo fine hoſce libros eſſe conſcriptos, vt iis quantum vſus, & quando poſtulat vtamur. Stultè peccant qui illis ex inſtituto legendis, aut epitomis ex iis conficiendis delectantur. Ars magna eſt, ſcire quo libro quomodo cum fructu vtaris. Eſt in fine huius progymnaſmatis quiddam, quod optarem ſeruari à Præceptoribus. Nempe vt ſe interrogari iuberent à diſcipulis, quo pacto efferrent quod in componendo aut conuertendo difficile occurrit. Ita animos ipſis adderent, partem de emendandi onere ſibi demerent, diſcipulos religioſos in verbis ac locutionibus efficerent, eosq́ ſibi multùm iſta ad eos adiuuandos lubentia conciliarent. Me puero hoc apud noſtrates ſeruatum memini, & meminiſſe iuuat.*

PROGYMNASMA QVADRAGESIMVM QVARTVM.

Chartæ in membranam conſutæ.

CHRISTOPHORVS, HVGO.

CHRISTOPHORVS. Mi Hugo, eſt quod abs te petam. H. Pete audacter. C. Inſue mihi in membranam haſce chartas puras. H. Ipſemet inſueres. C. Expers ſum huius artificij: atque vt id credas, inſpice hunc librum, quàm ſit inconcinnè diſtortéque conſutus. H. Nec me bibliopegus erudiuit. C. Attamen quaſi eruditus, eleganter id facis. H. Si cui optimè placet, ei optimè facio. Complicaſtíne iam chartas tuas? C. Maximè: iſtæ ſunt. H. Da filum, acum, membranam. C. Cape omnia. H. Filum oportet ceratum eſſe, vt opus euadat diuturnius. C. Heus pueri, quis ſecum affert ceram? H. In meo ſacculo quæram. Aliquid certè reperio, ceram albam, commodiſsima eſt huic rei: nuper mihi hoc fruſtillum donauit æditus ad tales vſus. Tu porrò attētus aſpice me ſuentem, & artem diſce, quo poſthac aliena opera ne indigeas. C. Aſpicio intentis oculis. H. Ecce quemadmodum chartam chartæ arctiùs coniungo, vt ſpatium inter illas nullum intercedat. C. Video. H. Item quemadmodum ſuprà & infrà ſunt æquales inter ſe, nulla prominet. C. Aptè, artificiosè. H. Nec foris in tergo fila ſuperiora inferioribus longiora viſuntur:

tur: nec primum à ſecundo maiore interuallo diſtat, quàm ſecundum à tertio, tertium à quarto. C. Peritè. H. Nodi parui, & intus omnes. C. Sanè. H. Nunc tu cultellum accipe ſis, parteſq; chartarum ſuperiores cautè ſcindendo aperi. C. Pro iſta opera referetur gratia tibi, mi Hugo. H. Satis gratiarum retuleris, ſi me amaueris, & maiore quadam cura & alacritate quàm hucuſque didiceris. C. Vtrumq; præſtaturum tibi recipio.

ANNOTATIONES.

BIBLIOPEGVS) *πήγνυμι eſt arcto, compingo, βίβλος liber. Quem nunc vulgò Compactorem,* Bůchbinder/ *cur non græco nomine tam commodo potius, quàm barbaro & nouitio nominemus? præſertim cum id in mille aliis artificum artificiorumq́; vocabulis ſoleamus, & in lingua latina nimis multa vſurpemus, quæ à græcis manarunt, quorum copia longè maior.* SI CVI OPTIME PLACET) *Quæ minimè ſunt pulchra ea pulchra videntur amanti. Sententia eſt Theocriti. Ita homines vt plurimùm & frequentiſſimè non res tales iudicant, quales ſunt, ſed quales ipſi iudicant, tales eſſe credunt, & ab aliis credi volunt, in omni rerum, negotiorum cauſſarumque varietate.*

PRO-

PROGYMNASMA QVADRAGESIMVMQVINTVM.

Nomenclatura.

MAGISTER, CLEMENS, LIBERIVS, DONATVS pueruli.

MAGISTER. Vixdum exactis ſideribus dies ſe mundo reddidit, cùm vos puerorum floſculi ante alios omnes huc intro pedem infertis. Quînam cum prima luce potuiſtis expergiſci? C. Mandatu matris famula noſtra in dies me expergefacit; quanquam hodie maturiùs præter morem. L. Aſt ego nunquam non ſponte mea,&inuocatus,ac ferè ſemper bene manè conſueui ſurgere. D. Ego etiam,Pręceptor. M. Res difficilis ad credendũ: pueri quippe, quibus ſopore nihil eſt amicius, nihil dulcius, pro more non habent vltro ac per ſe de ſtrato ſurgere. D. Certè ſurgo,expergefactus à nemine. M. Ecquid ientâſtis? C. Ita. L. Dum offa coquitur, viſum eſt nimis longum; quapropter relicto ientaculo huc approperaui quàm maturrimè. M. Pulchrum in hac ætatula facinus. Quid ſi ego darem nunc tibi ientaculum? L. Cùm nihil ſit tibi,quid dares? M. Quo nihil edis libentiùs. M. Mihi etiam, Præceptor. C. Et mihi, obſecro. M. Nimiùm ſatur fieres altero ientaculo. C. Eia, quæſo. M. Liberi, ſi promptè & nunquam interſiſtendo recitaueris, quæ heri nomina tibi ediſcenda præſcripſeram, ecce,

ecce,iſtas ſeptem ficus, cum hiſce amygdalis præmium tolles. D. Ego quidem nomina mea teneo, vt qui perfectiſsimè. C. Ego, ego mea referam memoriter. M. Liberius eſto primus:eum ſi memoria fefellerit, tum vos duo de iſtoc honorario in certamen venietis. Sed cuius ordinis ſunt tuæ voces? L. Rerum cœleſtium. M. Tuæ Clemens? C. Dignitatum & munerum Eccleſiaſticorum. M. Tuæ autem Donate? D. Dignitatum functionumq́; ciuilium. M. Incipe. L. Deus Pater,Deus Filius, Deus Spiritus ſanctus. Sacroſancta Trinitas ſiue Trias,Numen, Diuinitas, Creator, Saluator,Seruator,Dei mater,Deipara virgo, Dei genitrix,Cœlites,Cœlicolæ,Diui,Sancti, Beati, Angeli, Archangeli, Patriarchæ, Prophetæ, Apoſtoli, Martyres, Confeſſores,Virgines,Viduæ,Innocētes,cœlum,ſol,luna,ſtella,aſtrum. M. Num intelligis quæ ſingulis ſubiecta ſit notio? L. Optimè, imò. M. Qui ſunt cœlites? L. Die lieben Heiligen. M. Archangeli? L. Die Ertzengel. M. Dei mater? L. Die Mütter Gottes. M. En accipe munuſculum, & comede. Tu Clemens,edic tua. C. Quid erit præmij? M. Si omnia,& ea ſerie qua ſe conſequuntur reddas, erit quod dem tibi: non omnes ficus abſumet Liberius. Si perperam,neq; tunc indonatus abibis. C.Pontifex Maximus,Patriarcha, Cardinalis, Archiepiſcopus, Epiſcopus, Præſul. M. Quid?hæres?Antiſtes,Abbas. C. Antiſtes,Abbas, Cænobiarcha, Monachus, Concionator,Eccleſiaſtes. M. Quæ eſt vis Eccleſiaſtæ? C. Eadē quæ concionatoris. M. Quid ergo eſt Concionator? C. Ein Prediger. M. Perge. C. Parochus,

chus,parochus. M. Parochus,parochus: téne bis labi? Sacerdos. C. Sacerdos,Diaconus,ædituus, ſacra Virgo. M. Cetera vbi ſunt? C. Non iuſsiſti plura. M. Haud recitâſti vt cupiebam. Tu meliùs Donate. D. Imperator,Imperatrix,Rex,Regina, Monarcha,Princeps,Dux,Comes,Baro,Dynaſta, Heros,Heroina,ſiue Herois,Præfectus, à cubiculis,à pedibus,à poculis,apparitor. M. Qui ſunt iſti? D. Die Kämmerling/ die Lackeyen/ die Kredentzer/ die Stadtknecht. M. Cape has quatuor ficus, & confeſtim in ventrem abſconde. D. Vt præcipis. M. Sedete ſuo quiſq; loco,& quæ adhuc præſcripſero,celeriter ac nauiter nomina ediſcite. L. Etiam. Vt ſapuerunt tibi ficus Clemens? C. Præceptor, Liberius me irridet. L. Commoui. C. Non impunè feres.

ANNOTATIONES.

EXACTIS SIDERIBVS) *Exiguntur cœlo expelluntúrq; quodammodo ſtellæ, cum ſolis luce paulatim per cœlum ſe diffundente apparere deſinunt. Virg. 3. Æneid. Iamq; rubeſcebat ſtellis aurora fugatis. Dicitur etiam ab Ouid. 2. Metamorph. Lucifer agmina ſtellarum cogere, & cæli ſtatione nouiſsimus exire. Propriè ſidus eſt quod Græcis ἄςρον, ſtella, quod iiſdem ἀςήρ. Vide Macrob. in ſom. Scip. lib. 1. cap. 14.* PVERORVM FLOSCVLI) *Sic appellant Latini, floris nomine videlicet, quod in re quaque, puriſsimum, pulcherrimum, præcipuum eſt. Cic. pro Flacco, flos legatorum. Pro Plancio, flos equitum Romanorum. Philipp. 2. flos nobilitatis*

& iuuentutis. Ennius Cethegum oratorem nominauit florem illibatum populi. In Curcul. anus bibula, flos, inquit, veteris vini meis narib⁹ obiectus eſt. in Ciſtell. Quia adeo compleui me flore Liberi. Caſin. Niſi hæc meraclo ſe vſpiam percuſsit flore Libyco. Quibus locis videtur Plautus vinum ſignificare, cuius non modò ſapor palato, ſed etiam odor naribus gratiſſimus ſit. Idem Caſin. Flos poëtarum. Catull. flos iuuenum, flos Gymnaſij & decus olei, id eſt, luctatorum, ſeu palæſtritarum. Sic flos æui, flos ætatis, flos ſiliginis, flos lactis, flos cœnæ, flos flammæ, & alia infinita. Apud Catonem autem de re ruſtica cap. 88. flos ſalis, eſt nitidus, candidus, optimus ſal: popularis autem ſal, ſordidus, vulgaris, niger.

PROGYMNASMA
QVADRAGESIMVMSEXTVM.

Iterum nomenclatura.

ADALBERTVS, IODOCVS.

ADALBERTVS. Víſne Iodoce, quemadmodum tū me conſueſti alicuius rerum generis interrogare nomina, ſic ego viciſsim aliquando te interrogem? I. Volo. A. Quę nam ergo rectiſsimè complexus es animo? I. Muſica. A. Recenſe primo loco inſtrumentorū muſicorum appellationes. Sed maius induſtriæ tuæ documētum dabis, ſi ego germanicè & permixtè

ea nominauero, tu inde latinè nomines. I. Vtroq; verſùm haud imparatum offendes. A. Baucken oder Trummel I. Tympanum. A. Harpff. I. Cithara. A. Geig. I. Chelys. A. Hackbret. I. Sambuca. A. Imò ſambuca, ſi ritè audita recordor, ſignificat ein Holderſtauden. I. Nequaquam: ſambuci eſt illa notio, non ſambucæ. A. Geigenbogen/ Hackbretholtz. I. Plectrũ. A. Zinck/Orgel/Laut. I. Cornu, organa, teſtudo. A. Leyr. I. Lyra. A. Pfeiff. I. Fiſtula. A. Puſaun/Schwegelpfeiff/Tromet. I. Buccina, tibia, tuba. A. Enumera nunc, ſeruato quem ego ſecutus ſum ordine, artificum ſeu muſicorum nomina. I. Faciã in quibus potero, quorum meminero. A. Quod dederis, eo contentus ero. I. Tympaniſta, citharœdus, chelyus, ſeu χελιῳδὸς: dixit enim Magiſter, ſubiicienda Græca, cùm Latina deſunt, quando innumera ſint Græca, quę Latina iam, velut vſu capione putentur. A. Verum prædicas. I. Cornicen, organiſta vulgò, latiniùs, qui organis canit; ſicut dicimus aliquem canere fidibus. Lyricen, fiſtulator, buccinator, aulœdus, ſeu tibicen, tubicen. A. Reſtántne alia quędam vocabula ad muſicem ſpectantia, nec ita abſtruſa, vt diapéte, & huic ſimilia? I Reſtant. A. Dic. I. Ligula tibiæ, das Zünglein an der Pfeiff. Fides, vnde fidicen, ein Saitenſpiler. Verticuli, die Nägel / damit die Saiten geſpannt oder abgelaſſen werden. Cantor, ein Singer. Pſaltria, ein Singerin. Choraules, der zu Tantz macht/ propriè, mit der Pfeiffen. Harmonia, das Wollauten deß Geſangs. Pauſa, das Stillhalten im Geſang. Cetera tute, ſi voles, à magiſtris diſciplinæ huius petas. A.

Polles memoria Iodoce. Obſonemus famem parum inambulando,& de rebus ludicris ſermones cædamus vſque ad cœnam: tantum quippe ſpatij ceſſationis Magiſter indulſit.

ANNOTATIONES.

A CVBICVLIS A PEDIBVS) *Latinè variarum rerum miniſtros atq; ſeruos ſic appellabimus. A commentariis, ab epiſtolis, à manu, à rationibus, à ſecretis, à libellis ſupplicibus, à ſtudiis, quales ſunt hodie pædagogi, & quibus vtuntur principes pueri ad ingenij cultum domi ab ipſis capiendum. Vtuntur etiam præpoſitione, ad, idem volentes exprimere. Seruus ad pedes, canes ad venandum, leones ad fræna, cuſtos ad limina, ad Cyathos, ad baculum. De quibus Turneb. lib. 3. cap. 23. Seruus autem ad manum non eſt amanuenſis, vt idem ſemetipſum corrigens ſcribit lib. 5. cap. 11.* IN VENTREM ABSCONDE) *Reſpeximus ad illud Ciceronis 2. de Orat. in tractatione facetiarũ. Erras, inquit, Scaure; Ego enim Magium non conſeruaſſe dico, ſed tanquam nudus nuces legeret, in ventrem abſtuliſſe.* OBSONEMVS FAMEM) *Socratem ferunt, cum vſq; ad veſperam contentius ambularet, quæſitumq; eſſet ex eo, quare id faceret: reſpondiſſe, ſe quo melius cœnaret, obſonare ambulãdo famem. Cic. Tuſcul. 5. Plaut. Amphit. S. Vide ſis, herus ſalutator oppeſſulatas ante fores graditur. B. Nihil eſt, famem exſpectat obambulans. Laudatur etiam à medicis ambulatiuncula ante cibum. Thorius Balbus Lanuuinus vtebatur iis*

tur iis exercitationibus, vt ad cœnam & eſuriens & ſitiens veniret: eo cibo, qui & ſuauiſſimus eſſet, idem facillimus ad concoquendum. Cic. 2. de finib. SERMONES CÆDAMVS) *Terent. Heaut. Verùm interea dum ſermones cædimus, illæ ſunt relictæ. more Græcorũ, qui κόπτειν λόγους, aut κόπτειν ῥήματα dicunt. Priſcianus lib. 18.*

PROGYMNASMA QVADRAGESIMVMSEPTIMVM.

Exercitationes.

ABRAMIVS, TRANQVILLVS.

ABRAMIVS. Quidnam eſſe in cauſſa putem, mi Tranquille, quòd ab exercitationibus haud ſecus, quàm boni viri ab impuris facinoribus refugis; & quaſi multarentur capite, qui ſe ad eas dediſſent? cùm à doctore tantùm non quotidie exercitationem dilaudari audias, quę poſsit omnia, & ſine qua cùm nihil quidquam egregiũ præſtari queat vllo in artificio, tùm claritudinem in literis nemo ſit aliquando adeptus. T. Qui tandem? A. Perrarò diſputas, neque ſolùm non vltrò, ſed nec prouocatus, & iuſſus etiam cauſſaris. Frequenter cares epiſtola: ſæpius germanicè loqueris: dum recitas memoriter Ciceronem aut Ouidium, hæſitas in ſingulis pænè verſibꝰ. Hæc ferè ſunt genera, in quibus nos exerceri peropus eſt. T. Non dicam dolo, difficultas me abſterret. A. Non plus tamen alienare te diffi-

cultas debet, quàm inuitare atq; allectare multiplex quæ inde efflorescit & promanat vtilitas. Et quid prçclarum atq; singulare sine sudore partum est? T. Propono apud animum persæpe, ad quę tu me cohortaris, volo ardorem quendam amoris assumere; sed nescio quomodo, cùm ad rem quasi dato iam signo aggrediendum est, voluntas illa omnis elabitur atque euanescit. A. Principia perrumpenda sunt, capiendaq; consuetudo quędam, quę sensum laboris imminuit. T. At nimis diuersæ & innumerabiles sunt exercitationes. Si vnum aliquod genus proponeretur; exempli caussa, si duntaxat scribendum, aut loquendum, aut disputandum, aut ediscendum esset, non lamentarer. Nunc ita vnumquodq; horum frequentandum est, vt nullum ceterorū omittatur: hoc angit, hoc dolet, hoc cruciat. A. Possunt hęc fieri, cùm diuersa, nec eadem hora, quin nec eodem semper die facienda sunt, & sibi mutuò non aduersantur; nec sunt multa, nec tā (vt tu iocabare) innumera. Proinde istum qui te subegit veternum excute. T. Ad finem inclinat annus, polliceor sedulitatem in sequentem. A. Maneas promisſis, quæso, vt cùm literas ad vtriusq; nostrûm cognatos dedero (dabo autem nō raras) te de meliore nota commendare queam: quod illis summo gaudio futurum tam non ambigo, quàm eos tuorum processuum cupidissimos esse penitus perspectum planéque cognitum habeo. T. Imitabor in morbum delapsos; medicinam, sectionem, vstionem volens nolens adhiberi mihi sustinebo, vt rectè valeam. A. Si hoc egeris, erit cùm maiorem in modum lætaberis.

ANNO-

ANNOTATIONES.

MANEAS PROMISSIS) *Virg. 2. Æneid. Tu modò promiſsis maneas, ſeruataq; ſerues Troia fidem. Idem ſunt, Promiſsis ſtare, promiſſa ſeruare, promiſsis ſatisfacere, promiſſa ſoluere, exſoluere, efficere, etc.* DE MELIORE NOTA) *Veteres illi vini cados, teſtas, amphoras in cellis condere ſolebant notatas, id eſt inſignibus quibuſdam, literis aut aliis notis, ſed maximè conſulum nominibus diſtinctas, ad tempus ac præſtantiam vini ſignificandam. Quo ex more natum eſt illud loquendi genus: De meliore nota. Curius ad Cic. lib. 7. Quare Cicero mi perſeuera conſtanter nos conſeruare, & Sulpitij ſucceſſori nos de meliore nota commenda. Catull. ad Manlium.*

Quare quod ſcribis Verona turpe Catullo
Eſſe, quod hic quiſquam de meliore nota.

Lamb. in Oden 3. lib. 2. & Turneb. lib. 1. cap. 1.

PROGYMNASMA
QVADRAGESIMVMOCTAVVM.

Temeraria ſuſpicio.

BVRKARDVS, ALIPIVS.

BVRKARDVS. Me infortunatiſsimum. Nullus dies abit, quin amittam aliquid; nunc atramẽtariolum, nunc papyrum, nunc libel-

lum aliquem, nunc calamum, vt in pręſens. Schola iſta eſt plena furum, nec pœnarum vllus iam hîc eſt metus. A. Ne tu nos tam inconſultò in crimen vocaueris. B. Aliquem veſtrûm mihi ſurripuiſſe calamum oportet. A. Quî ſcis te attuliſſe? B. Quî ſciam? nónne hoc literarum paullò ante exaraui? A. Vtere alio interim, dum priorem recuperes. B. Nec vnum præterea mecum attuli. A. Suadeo vt in poſterum feras ſemper tres, aut quatuor. B. Scilicet vt ſit, quos tu ſemper poſsis auertere. A. Libentiùs ne tu cum malo quieſcis, an ſine malo, ſi copia eſt? B. Quis potuit clepſiſſe, niſi qui mihi ſedet proximus? A. Quid ergo? Ioannes tibi à dextris non aſsidet, ſicuti ego à ſiniſtris? cur non potiùs illum quàm me arceſsis furti huius? B. Ioannem noui, mallet ſpoliari ſuis, quàm minimum quippiam ſublegere de meis: diſsimilis tui eſt. A. Certè dignus es virgis. B. Tace de virgis: quare me his dignum deputas? A. Quia de me falſum audaciſsimè, ſine teſte, ſine argumento pronuncias. B. Hei, vtinam haberem calamum meum: quem eo moleſtiùs amitto, quòd tertium iam menſem vſus ſum; adeò bonus & firmus eſt. A. Quid ſi reddidero tibi calamum tuum? B. Qui reddit, abſtulit: atque hoc eſt, quod mihi dudùm videbatur. A. Non eſt hoc ſemper conſequens, inepte. Tu tibi abſtuliſti. B. Quomodo? quis poſt hominum genus natum ſibi quidquam abſtulit? A. Quia ſuper auricula, vt mos obtinet, repoſuiſti, poſtea es oblitus; quodque non amiſeras, quæſiuiſti, & alios furatos putauiſti. En tibi tuum optatiſsimum calamum: deinceps quoties ami-

amiſeris , auriculam dexteram interroga priùs, an viderit calamum, quàm de innocẽtibus mentiare. B. Mi Alipi, mi Alipi. Gratias ago tibi: ignoſce, obſecro, quòd tecũ egi ſuſpicioſiùs, atq; immodeſtiùs.

ANNOTATIONES.

VT IN PRÆSENS) *In præſens, in præſenti, in præſentia, hæc tria latinè dicũtur: in præſentiarum nõ niſi barbarè, & cum ſolœciſmo dicitur, nec vllus paulò antiquior eius auctor reperietur.* QVIS POTVIT CLEPSISSE) κλέπτω *eſt furor. Vtitur aliquando verbis græcis ad latinam formam detortis Plautus, ioci cauſſa. Vt hoc ipſo, &* ἁρπάζω. *Pſeud.*

Qui hæc habent conſilia, vbi data occaſio eſt, rape, clepe, tene, harpaga,

Bibe, es, fuge; hoc eſt eorum opus.

Et in Truculento. Dum illi agunt quod agunt, cæteri clept æ furantur, vel harpagant. Bacchid.

Nullus frugi eſſe poteſt homo, niſi qui & bene & malefacere tenet.

Improbus cum improbus ſit, harpaget: furibus furetur quid queat.

Et in Aulul. Aurum mihi intus harpagatum eſt.

PROGYMNASMA QVADRAGESIMVMNONVM.

Aſtutia puerilis.

MAGISTER, PVER.

MAGISTER. Quò tandem res euadet? quamobrem nõ deſinis tu nouiſsimè huc te conferre? P. Non audiui campanæ pulſum. M. Ego tibi nolam ad aurem alligandam, eamq́ pulſandam curabo ſub horam ſeptimam ante meridiem, & ſub primam poſt meridiem, ſi quidem ita obſorduiſti. Quid autem eſt, quòd iſtum quadrimum fraterculum tuum nunquam adducis tecum, niſi cùm reddere præſcripta neſcis, aut tardiùs venis? P. Mater illum ſæpius non dimittit. M. Mater non dimittit? quare tunc dimittit, cùm, vt dixi, vltimus & imparatus ades? P. Neſcio. M. O puerum verſutum: at ego haud neſcio. Eho dic mihi, mandátne tibi mater, vt trahas tecum puſionem iſtum? P. Aliquando. M. Mandauítne hodie? P. Non. M. Cur ergo hodie ducis? P. Ipſemet duci voluit. M. Poſtquam tu ſcilicet voluiſti. Reſponde ampliùs. Numquid ego te vnquam percuſsi, quando fratre iſto paruulo comitatus veniſti, & ſerò intrâſti? P. Nunquam. M. Quare? P. Fortaſsis propter vociferationes, & eiulatus quibus penè dirumpitur, cùm me flentem, ſoluentemq́; ligulas ad plagas accipiendas intuetur. M. Itáne? Hæc, hæc, non alia ratio eſt cur ducas tecum; nempe vt pro tuo capite clamet ipſe inſolentiſsimè, ex ſympathia videlicet, & ego eius, ſi minus tui, miſeratione commotus, cruciatum tibi remittam. Nónne etiam idipſum vt faceret tu docuiſti? P. Non docui. M. Habes pium & vtilem fraterculum, qui te toties perditum conclamatumq́; ſeruauit. O calliditatem.

rem. Iam edico tibi, ſi in poſterum non adfueris in gymnaſio citiùs, pœnas dependes, ſeu adduxeris fratrem, ſeu non adduxeris. Quòd ſi ille clamitare non ceſſauerit, eum vnà tecum flagris feruere faciam. P. Ad horæ ipſum articulum adero.

ANNOTATIONES.

EX SYMPATHIA VIDELICET) συμπάσχω *ſimul patior, ſimul afficior, compatior, coafficior, conſentio, id eſt, ſimul ſentio aliquid.* Hinc συμπάθεια *conſenſus in affectu ſeu affectibus, conuenientia affectuum. Cic. 2. de diuinat. ſic expreßit hoc abſtractum. Qua ex cognatione naturæ, & quaſi concentu atq; conſenſu. Item, conuenientia & coniunctio naturæ. Compatior tibi, latinè, miſeret me tui, vicem tuam doleo, tua cauſſa doleo, moueor miſericordia cùm tuum infortunium conſidero, dolorem è rebus tuis capio, moleſtè fero caſum tuum.*

PROGYMNASMA QVINQVAGESIMVM.

Somnus in gymnaſio.

FABIOLVS, ERASTVS.

FABIOLVS. Rabioſulum te autumo. E. Quã ob cauſſam? F. Quòd me modò trahis, modò pugnum in latus meum incutis. E. In laneum

neum latuſculum tuum. Cur dormitas? non decet hoc in ſchola. F. Mihi ſic vſus eſt: tu vt tibi opus eſt facto,ita facito. Tua quid refert? E. Mea quidem aliquantùm, tua verò permultùm. Nam ſi te dormire ſiuero, doctor me quoq; vt infidelem cuſtodem ſupplicio proſecuturus eſt. F. Itáne eſt? E. Itáne eſt. Etiam dormitator, ita eſt. F. Permitte vt dormiam. Quomodo nunc eſt,aliter fieri non poteſt. E. Iſtam à Magiſtro veniam pete. F. Irrides? quaſi tu dicas; pete ab atroci cane vt te mordeat:ſua ſponte mordebit. E. Ego profectò non feram,non patiar,non ſinam vt dormias: vſque & vſque moleſtus ero, etiam acicula, en, te compungam, vt clames, teq; ipſum vt ſorex tuo indicio prodas. F. Heu, mitte me:viciſsim indulgebo,ſi te ſomniculus corripuerit. E. Hanc abs te gratiam nolo. F. Tamen. E. Iam reddenda erit è memoria heſterna prꝑlectio:excute ſomnum,frica paulùm oculos, & relege quæ edidiciſti. Niſi faxis;à tergo,ſupra caput,ante oculos vindicta eſt. F. Quid relege? nihil edidici. E. Tum tu ipſa es miſeria. F. Non exiget à me quidquam hac luce: non enim omnes, id quod ſcis, quotidie recitare poſſumus, præ multitudine. E. Ponamus exigere:quid dices? F. Doce tu me quid dicendum. E. Pulchrè dictum. Egóne doceam te mendacem fieri? nihil attraxit funis tuus. F. Actum eſt, verberabor,recitare non potero. Quid ergo proderit mihi ſi vigilem? vno dolore duo peccata expiabo: dormiam rurſus. E. Dormi dormi, nihil moror. Si Magiſter me obiurgauerit, narrabo quid fecerim, quid dixerim tibi, quid tu contrà reſpon-

reſponderis. F. Tantùm ne me expergefacias. Si etiam hodie vapulauero, non moriar. E. Quæ tibi verberatio fauſtè, ac feliciter eueniat, mi Fabiole.

ANNOTATIONES.

PONAMVS EXIGERE) *Vſus verbi huius eſt in rebus controuerſis, cum videlicet dicimus, ponamus ita eſſe, faciamus eſſe, fac potuiſſe, ſit ita, eſto, vt tu dicis; pro quibus barbari, præſupponamus quod ita ſit. Ponamus caſum, ponamus quod ſit, conceſſo, dato, poſito, quod acciderit.*

PROGYMNASMA QVINQVAGESIMVM PRIMVM.

Spes & metus ob certamen ſcholaſticum.

PASCHASINVS, STEPHANISCVS.

PASCHASINVS. O quale, quàm venuſtum, modiſq; omnibus elegans brauium in craſtinum diſputatoribus nobis à Magiſtro eſt propoſitum? Appelles ipſe nihil pinxiſſet lepidius. Et idcirco oſtendit ante, credo, vt diſputandi alacritatem ſummam nobis iniiceret, & tam electorum præmiorum ardentiore nos cupiditate inflamma-

flammaret. S. Cogor ipſe fateri, nihil vidiſſe me pulchrius iſtis imaginibus. P. At nos victoria potituros, iſtaq; κειμήλια adepturos vix eſt vt ſperare auſim. S. Non? hem? quid eſt quod tibi deſperationem iſtam obiiciat? P. Iuſtinus & Anſelmus diſputatores ſunt feruidiſsimi, rerumq; grammaticarum vt qui maximè gnari, & in certaminibus vincere ſoliti: ego autem pro more habeo vinci. Si auctor es, abeo, & Præceptori conditionem renuntio: aut vt prodat dies aliquot diſputationibus iſtis ab eo poſtulo. S. Támne demiſſo atq; humili te eſſe animo? audacia hîc pro virtute vti licet: exue metum. Sunt mihi aliquot reconditæ quæſtiones, quas cùm antagoniſtis obiectauero, tanquam hamo piſces, viſco volucres capientur. P. Si ſuperati ceciderimus, væ virgis quæ morientur in corpore non tuo, ſed meo: vehemẽter enim doctor noſter iraſci ſolet ſuccumbentibus, nec ignominia illorum contentus eſt, addit etiam acerbitatem ſupplicij. Tibi parcet, quoniã plerumque vincis, & vincêris ideo, quia ſolus duobus eſſe par nequiueris, cùm ego te nihil adiuuerim. S. Ne ſic te abieceris: non deſunt tibi ad hanc pugnam vires, modò animus non deſit. P. Quid tu ſtatuiſti proponere? S. De heteroclitis. Quid tu? P. De præteritis & ſupinis. S. Multa ſunt ibi difficilia, bene elegiſti. P. At hoc perquam incommodum, quod nunquam fas eſt librum inſpicere. S. Si illis fas eſſet, nobis iniuria fieret: iam neutris fit. P. Si victoriæ compotes redierimus, dona, quæſo, mihi tuam partem. S. Inſane, quid petis? talentum mallem donare. Non abundo iſtis opi-

opibus; tu ditiſsimus es. P. Errat qui hoc de me credit, mentitur qui dicit. S. Egóne tibi mendax? P. Verbo lapſus ſum; fallitur, volebam dicere. S. Intendamus ingenia, & ad certamen nos accingamus, quod illi colluctatores noſtri ſine dubio iam faciunt. P. Hac nocte ſomno parum apud me loci erit. S. Apud me permultum vigiliis.

ANNOTATIONES.

ISTAQVE κειμήλια) *Hoc nomine vocatur propriè & vſitatè, quod in noſtra ſupellectile cæteris pretioſius, & tale, quod magna cum cura reponi ſolet, idem quod* θησαυρὸς, *qui & ipſe ob eam cauſſam à* τίθημι *dicitur. Germanicè* ein Kleinot. CONDITIONEM RENVNTIO) *Renuntiare pro nuntium remittere, & ſalutem vltimam dicere, Cicero nunquam dixit. Quintil. in 10. Alia quidem ſententia ciuilibus officiis renuntiabit. Budæus in Pandect. Conditionem latam renuntiare, eſt quod dicunt, reſilire, vel digredi ab oblatione facta: quod ſi voluntate eius fiat, qui conditionem accepit, dicitur acceptam facere conditionem, hoc eſt, remittere oblationem. Idem in Forenſib.*

PRO-

PROGYMNASMA QVINQVAGESIMVMSECVNDVM.

Litigium.

PAEDAGOGVS, BLAESVLVS, CVRTIOLVS alumni.

PÆDAGOGVS. Germanus tuus, Blæſule, in diſcendo eſt impiger, citóq; arripit omnia, tu autem lentè admodum, & ambulas gradu teſtudineo. B. Quid ergo tam crebrò obmuteſcit, cùm te interrogante reſpondendum eſt? P. Audin' Curtiole? C. Stimulat fratrem meum inuidia, ferre neutiquam poteſt cùm abs te laudor. B. Egóne tibi gloriolas tuas inuideo? ſcilicet laudatiſsimus homulus es, prȩſertim cùm manè ſurgendum. Ibi apparet generoſum pectus tuum; nam ad lectulum quaſi clauis affixus adhæreſcis. C. Tibi, obtrectator, hoc vitium eſt: nam ego vocatus ſoleo me cubili proripere. P. Amborum vna culpa. Mea hoc facit indulgentia: ſed aliquā do malis mala euenient. B. Nihilo ſum te inferior. C. Quid erit impudenter loqui, ſi hoc non eſt? nondum declinationes deuoraſti. B. Pridem concoxi. C. Hebdomade antegreſſa exarabatur tibi corium, quòd vocabulum iuſiurandum, in caſus malè inflectebas. B. Et tu ex vno errato colligis inflexiones me neſcire? C. Si examinareris, vtique peccares in plurimis. P. Ne ſuperbi, Blæſule; dabo enim poteſtatem Curtiolo te excutiendi,

cutiendi,& introſpiciendi penitiſsimè. B. Habet nihilominùs in ſchola compluſculos, quibus palmam cedit. C. At tu interea manes indoctior, quamuis me alij doctiores ſint, vt ſunt: ceterùm vix tres quatuórue ex omni copia. B. Si tam crebris donarer munuſculis vt tu, forſitan alacriùs diſcerem. C. Imò tum acciperes, ſi alacriùs diſceres. Non ante, ſed poſt laborem veniunt præmia, ſi iuſtè veniunt. B. Abi argutule, conſequar te, tametſi nolis. C. Si ego te curſuram incipiente conſiſterem, tum me non exæquares modò, ſed etiam anteuerteres. Hoc tu ſi ſperas, deſpera. P. Satis verborum. Vterq; contendat neruos: ſic parentibus, mihi, cognatis futuri quàm chariſsimi.

ANNOTATIONES.

GRADV TESTVDINEO) *Iouem fabulatur Æſopus conuiuium ſtruxiſſe inuitatis omnibus animantibus. Cum autem teſtudo poſtrema omnium finitisq; epulis veniſſet, interrogata cauſſam, reſpondit* οἶκος φίλος, οἶκος ἄριστος, *domus chara, domus optima. Inde eam damnauit hac pœna Iupiter, vt domum ſemper circumferat. Vide præterea prouerbium, Teſtudineus gradus.* HOMVLVS ES) *ab* ἄνθρωπος, *deminuta Græcis ſunt* ἀνθρώπιον, ἀνθρωπάριον, ἀνθρωπίσκος, *Latinis, homuncio, homunculus, homulus. Hoc extremum eſt apud Lucret. lib. 3.*

Hoc etiam faciunt vbi diſcubuere, tenentq;
Pocula ſæpe homines, & inumbrant ora coronis,

O Ex

Ex animo ut dicant, breuis eſt hic fructus homullis,
Iam fuerit, neque poſt unquam reuocare licebit.

Verſus cauſſa geminauit conſonam L.

PROGYMNASMA QVINQVAGESIMVMTERTIVM.

Simplicitas, & lentitudo Magiſtri.

TORANNIVS, EGESIPPVS.

TORANNIVS. Terq́; quaterq́; beatus fuit hodie hic ſodalis tuus. E. Qua in re? T. Quòd euidentiſsimo periculo, imò periculis, diuino adiutus numine defunctus eſt. E. Quæ iſta pericula? T. Quæ ſibi creāt, qui nec ſcriptionem reddēdam habent, nec memoriæ quidquam mandarunt, nec quæ reſpondenda ſunt ſciunt, & ad extremum tardiſsimè ludum intrāt. His virtutibus ornatus inceſsi hoc die. Carebam epiſtola, inquam, nihil edidiceram (quoniam in conuiuio apparatiſsimo domi noſtræ accubantibus ad intempeſtam noctem miniſtraui, & ſaltatorium orbem verſaui) nihil relegi, in lucem ſtertere perrexi: iam tu rationem ſubducito, quoties pulſationem promeruerim. Abij, exceſsi, euaſi, erupi. E. Albo calculo hic dies notand⁹ eſt tibi. An verò cras epiſtolam oſtendes? T. Equidem. E. Quî tam breui compones? T. Particulam ab hinc biduum

biduum compoſueram, eam emendabit noſter Coſmas,& reliquum addet de ſuo,iam enim promiſit. Videbor Præceptori vna nocte expolitus, laudabit me palàm. E. Nónne ſentiet præſtigias? T. Oh, non. Satis modicè literatus eſt: æra quid lupinis diſtent haud bene nouit; & eſt homo antiquus,cui perſuaderi poſsit, ouum exſtitiſſe antè gallinam. E. Itaque illi fucum ſæpe fieri à diſcipulis credibile eſt. T. Sic opinor. E. Si reſciſcat, num maleficia veſtra non vindicat? T. Etiam,ſed molli brachio. Languidulus Præceptor eſt. E. Oleum flammæ. T. Vide quid mali faciant verbera: ſubigunt nos palpum Magiſtris obtrudere, & commenta proloqui; nam certò ſcio, non hæc committeremus,niſi plagas timeremus. E. Quin potiꝰ illius ingenium ſimplicius, & vitioſa lenitas hæc mala creant. Si enim vafriciem veſtram odoraretur atque perſpiceret, & in reos acriùs ſæuiret, vos iſtis technis abſtineretis. T. Vtcunque ſit, ego ſecundiſsima fortuna me vſum gaudeo. E. Ego autem te volētem ac ſcientem Præceptorem cogitâſſe circumducere,non gaudeo.

ANNOTATIONES.

ALBO CALCVLO) *Plin. lib. 7. ſcribit Thraces conſueuiſſe dies lætos ac felices albo lapillo notare, infelices autem, inauſpicatos, infauſtos atro. Catull. O lucem dignam candidiore nota. Horat. Creſſa ne careat pulchra dies nota. Ode 36. lib. 1. Quo loco non eſt quod quidam Threſſa reponant. Valet enim idem quod alba*

 ſeu

ſeu candida. Nam Creta non ſolùm inſulæ nomen eſt, ſed etiam lutum illud albũ ſignificat, quo vtebantur ceræ loco Græci Aſiatici, ad obſignãdas literas & priuatas & publicas, propterea, quòd in Creta magna eſſet huius luti copia. HOMO ANTIQVVS) *Antiqui homines ſunt boni, candidi, probo ac ſimplici ingenio viri: tales enim fuerunt antiqui, & anni veteres meliores anni. Ouid. Faſt. 1. Laudamus veteres, ſed noſtris vtimur annis. Sic antiqui mores ſunt boni probatiq; mores. Cic. pro Sext. Roſcio. Homines antiqui, qui ex ſua natura ceteros fingerent. Et infra. In qua muliere, Iudices, etiam nunc, id quod omnes ſemper exiſtimauerũt, quaſi exempli cauſſa veſtigia antiqui officij remanent. Ad Att. lib. 9. epiſt. 18. Quod ſcribis aſperius me, quàm mei patiantur mores, de Dionyſio ſcripſiſſe: vide quàm ſim antiquorum hominũ. Te medius fidius hanc rem grauius putaui laturum eſſe, quàm me. Plaut. Capt. Ille demum antiquis eſt adoleſcens moribus. Et Trinum. Meo modo & moribus viuito antiquis. Terent. Adelph. Homo antiqua virtute ac fide.* OVVM EXTITISSE) *Lepidam diſputationem habes hac de re apud Macrob. Saturnal. lib. 7. cap. 16.*

PROGYMNASMA QVINQVAGESIMVMQVARTVM.

Hora producta.

PATRO-

PATROPHILVS, ZACHAEVS.

PATROPHILVS. Hæc hora tam longa eſt, vt ſi dimidiatus ſit dies. Z. Mihi pænè annus videtur. P. Retraxit à curſu is, qui horologiũ moderatur. Z. Non abeſt ſuſpicio. Egiſſet hoc bonus vir antequam ſcholas ingrederemur. At ille perpetuò poſt meridiem errorem horologij ſui, vel ſuam potius incuriam iſta hora corrigit, ponderaq́ ſurſum reuocat: quo in dies ſingulos fermead dimidium horæ tempus nobis prorogetur, cùm alioqui totas quinque hîc ſeſsitemus. P. Vbínam igitur hãc iniuſtitiam deplorabimus? apud quem de iſta iniuria querimoniam habebimus? Z. Cenſeo apud Præceptorem. Verùm cùm ipſemet non ignoret tempus extendi, & tam leni animo id patiatur, videtur velle nos vltra definitum ſpatium hîc inter ſcamna hæſitare: quod tamen ſine magna eius quoque moleſtia fieri non poteſt. P. Conſilium dabo. Z. Da. P. Conueniamus præfectum horologio, eumq́ totius ſcholæ verbis rogemus, & honorarium polliceamur, ne nos cruciet ampliùs; quin poſt hac non ſolùm nõ productiores, ſed anguſtiores etiam horas reddat: quippe cùm hîc ſedemus tam diu, & immeritò, tempus quod domi ad ſtudia, ad cœnam luſumq́ relinquitur, neceſſe eſt fieri contractius.

Z. Noſtra ætas, prô dolor, valde expoſita eſt iniuriis: pueri enim contemnimur facilè, quia pueri ſumus.

ANNOTATIONES.

IS QVI HOROLOGIVM) *De inuentione horologij apud Romanos, vide quid ſcripſerit Plinius lib. 7. cap. 60.* HONORARIVM POLLICEAMVR) *Quod permulti parum latinè ſcientes, et egregiè germanizantes, ex* Trinckgelt *ſolent dicere, bibale, & dare alicui bonum bibale, nos hanc ipſis elegantiam relinquamus, dicamusq́ honorarium. Honoris enim cauſſa datur ea pecunia, etiamſi à quibuſdam ad pocula conferatur.*

PROGYMNASMA
QVINQVAGESIMVMQVINTVM.

Pecunia vtiliter collocata.

VVOLFGANGVS, SEBALDVS.

VVOLFGANGVS. In amoribus es parentibus tuis Sebalde, & oculiſsimus filius. S. Quo ſigno, quóue indicio iſtuc? VV. Iſto recentiſsimo tuo, & tam ſplendido amictu: quanquam & aliâs non me latet, quàm te in ſinu & cõplexu ſemper habeant. S. Vſque adeóne te in admirationem traducit iſte ornatus meus? VV. Sanè quidẽ: poteſt hoc domus veſtra; diuitiis affluit. Hem zonulam pulcherrimam ex holoſerico, bullis nitentem argenteis, è qua vt bella bellè dependet crumena? ſiquid pecuniarum cuſtodit, optem illam mihi: ſi non, haud cupiam. S. Eſt intus pecunia,

nia,& tanta,quantam tu vix credas. VV. Quanta ergo? S. Coronati duo. VV. Supra fidem eſt. S. At ego faxo vt aliter prædices, nam res loquetur ipſa. En. VV. Quis dedit? S. D.Nicolaus more patrio in meam patellam cum çingulo, & puſillo iſtoc marſupio impoſuit. VV. Ita in me liberalis haud fuit. Quid acturus? in quo cõſumpturus tam grandem pecuniam? S. Empturus quod animo meo collibuerit. VV. Quid collibebit? S. Quod erit meo iudicio viſendum. VV. Quid autẽ illud? S. Quid tibi arrideret inprimis? VV. Plumulas elegantiuſculas emerem primo loco, quas pileolo aſſuerem; deinde pugiunculum; deinde enſiculũ, atq; etiã ſpeculum. S. Quas tu mihi ineptias? mercabor libellos inauratos,& ſtrenam pręterea inſignem, quam anno hoc vndenonageſimo ineunte Præceptori offeram. Nihil poſſum parare melius, nec quod prudentes magis approbent.

ANNOTATIONES.

IN AMORIBVS) *Quæ ex re magnam voluptatem ac delectationem percipimus, eam & amorẽ & amores latini appellant; etiã plurali numero, inquam, in honeſtis rebus vtuntur, quod rudiores neſciunt; & eadẽ notione delitias vocant. Cic.1.de Diuinat. Quid amores & delitiæ tuæ Roſcius? in epiſt. ad famil. in amoribus mihi eſt;* Et, *Delitiæ verò tuæ Æſopus. ad Att.lib.2.epiſt.19. Põpeius noſtri amores. quod mihi ſummo dolori eſt, ipſe ſe afflixit. et lib.6. Dionyſius (Ciceronum puerorum magiſter) mihi quidẽ in amoribus eſt.* OCVLISSIMVS) *Sen-*

ſum oculorum ſupra omnes diligimus: ſurdus certè quàm cæcus eſſe mallet vnuſquiſq; noſtrûm. Itaq; Plaut. Curcul. Hominem oculiſſimum dixit, pro æquè charo, vt ſunt oculi, ſeu pro chariſſimo. Ibidem oculiſſimum oſtium hyperbole quadã. Catul. Ni te plus oculis meis amarẽ. Idẽ.

Eripere ei noli multò quod charius illi
Eſt oculis, ſeu quid charius eſt oculis.

STRENAM PRÆTEREA INSIGNEM) *Strenarũ origo, quibus felicem ominamur annũ, ipſius auſpicio & initio, à Tatio rege manaſſe dicitur, qui primùm Romuli hoſtis, deinde collega in regno Romano fuit. Vide Turneb. lib. 10. cap. 26.*

PROGYMNASMA QVINQVAGESIMVM SEXTVM.

Virtus in teneris.

PARENS, LVDIMAGISTER.

PARENS. Operæ pretium facturum me credidi, ſi aliquando interrogarẽ te vti ſe darent initia quantumq; proficeret meus Laurentiolus. L. Eſt cur Deo gratias agas: mirandum in modum procedit in literis. P. Iam huc acceſſum, & hoc abs te auditum gaudeo, tibiq; ſecundum Deum ago gratias ſingulares propter tuam diligentiam. L. Similes illius vtinam eſſent omnes. Verùm alios pleroſque minis, & ictibus ægrè promoueo ad diſcendum quomodocunque: iſte tantùm laudibus alitur, nihilque peius timet quàm dedecus. Quòd ſi quando in concertationi-

tionibus frangitur (quod perquam rarò contingit) plorat tanquam ſi parentem amiſiſſet. Excellenti inprimis eſt memoria : nam cùm facile percipit quę audit & legit, tùm fideliter cõtinet. Quid multis? ducit claſſem ſuam; & cùm tempus aderit ad ſcholam ſuperiorem aſcendendi, aut primus, aut à primo proximus eſt aſcenſurus. P. De moribus quid ſperem? L. Non minora. Pius omnino puerulus eſt; Catechiſmum memoria tenet vt nomen ſuum; Roſarium ſecum aſsiduè, & in ſinu ſemper libellum precationum geſtat; cùm in templum venimus, quietiſsimus eſt, Deumq́; precibus colit quàm religioſiſsimè; quin & in ludo nemo ipſo tranquillior, nemo ad parendũ promptior. Aureum genuiſti filium. Precare numen cœleſte, vti ſoſpitem annos iuueniles conficere patiatur: magnam vtiq; & claram Reipub. lampadem accenderis. P. Vix ſum apud me prę gaudio. Inſiſte mihi puerum erudire, ſicut facis, & ſcito te ob hoc vt fratrem fore mihi in medullis. Malo enim prorſus carere liberis, quàm eos non habere quàm præſtantiſsimos: quales tua fideli opera me viſurum ſpero. L. Deus votis tuis optatisq́; quàm cumulatiſsimè reſpondeat.

ANNOTATIONES.

Reprehendit Plutarchus parentes, qui poſtquam filios ſuos pædagogis magiſtrisq́; commendarunt, ipſi quid diſcatur, nec inſpiciunt vnquam, neque audire curant. Non enim oportebat in mercenarij voluntate ſpem omnem collocare, qui & ipſe maiorem diligẽtiam pueris

inſtituendis erat impenſurus, ſi identidem ſui ſibi muneris rationem reddendam fore ſentiret. Affert deinde illud equiſonis: nihil eſſe quod perinde ſaginaret equum, atque oculus regis. De lib. educand. CVM FACILE PERCIPIT) *Quintilianus lib. 1. cap. 3. Ingenij ſignum in paruis præcipuum memoria eſt. Eius duplex virtus: facile percipere, & fideliter continere.* DVCIT CLASSEM) *Quintiliani eſt. Idem prorſus quod, ſui ordinis primus eſt: nam claſſem hîc pro vna quadam puerorum ſedentium ſerie vſurpauit. Simile, ducit familiam, quod in dial. ſecundum explicauimus.* PLORAT TANQVAM SI) *Mihi ille detur puer, quem laus excitet, quem gloria iuuet, qui victus fleat. Hic erit alendus ambitu, hunc mordebit obiurgatio, hunc honor excitabit, in hoc deſidiam nunquam verebor. Quintil. lib. 1. cap. 3.* CARERE LIBERIS) *Liberos voce multitudinis pro vnico filio filiáue dixiſſe antiquos oratores, hiſt. poëtas, confirmat Gellius lib. 2. cap. 13. Cicero quidem 1. Philipp. Pax deniq; per eum (Antonium) & per liberos eius cum præſtantiſſimis ciuibus confirmata eſt. Atqui non habebat Antonius præter vnum filium, ex Q. Fadij libertini hominis filia ſuſceptum. Nam infra idem Cicero. Reipub. tuus paruulus filius, in Capitolium à te miſſus, pacis obſes fuit. Pro lege Manil. Cùm de filia M. Antonij, qui fuit auus huius Antonij, loqueretur, etiam liberos dixit. vt Terent. Hecyra. Qui illum decreuerunt dignum, ſuos cui liberos committerent, cum loquatur de vnica filia. Et Heaut. Chremes Menedemo, cui vnicus filius Clinia:*

Inge-

Ingenio te eſſe in liberos leni puto. Et Virg. 10. Æneid. ſimiliter vſus eſt voce, natis, pro vno tantùm. Argenti atq; auri memoras quæ multa talenta, Gnatis parce tuis. Vide Seruium. Apud Iurecoſ. Liberorum appellatione nepotes, pronepotes, abnepotes, trinepotes quoq; continentur. Crinit. lib. 15. cap. 8.

PROGYMNASMA
QVINQVAGESIMVMSEPTIMVM.

Præceptor honeſta imperat.

DISCIPVLVS, MAGISTER.

DISCIPVLVS. Summoperè, maioremq; in modum oro, vti hanc prouinciam reos peragẽdi abſentes, & alioqui tum in ſchola, tum extra ſcholam turbulentos, alteri velis imponere, qui eam explicet meliùs ac libentiùs. M. Quid te mouet, Paule mi, vt hoc tam flebili voce à me depoſcas? D. Plena eſt dedecoris. M. Ne ſic erumpas. Egóne, aut vllus cui cũ virtute eſt commercium, te facere iuſſerit quod ſit plenũ dedecoris? D. Non quidem re, ſed opinione. M. Quorum opinione? D. Condiſcipulorum meorum. M. Tui condiſcipuli nondum ſapiunt, fugit eos vbi laus, vbi turpitudo ſita ſit. Quid igitur de hoc munere loquuntur & ſentiunt? D. Dicere nihil quidquam verentur iſtos Coryceos numerandos in proditoribus; non aquam aquæ ſimiliorem eſſe.

ſe. M. Nomina mihi de iſta puerorum nequam colluuie aliquot. D. Non recordor ſigillatim. M. Vnum ſaltem. D. Toties hoc audiui de multis. M. E ſchola non exibis, niſi vnum mihi nominaueris, è quo ceteros extorqueam. D. Magis me odioſum, & inuiſum reddam. M. Sic agam, vt quidpiam ſuper hoc abs te ad me perlatum non intelligant. Tantiſper fac ſedulò quod tibi imperaui. Tu aſsiduus in gymnaſio, tu diſcendi ſtudioſus, tu probus es adoleſcens, & animo meo charus egregiè, ideo te ante alios delegi, cui hoc mandarem. D. Quando conſtanter id mihi præcipis, oratione & auctoritate tua victus petitione deſiſtam. Te rogo tamẽ, vt honori, & rationibus meis conſulas. M. Sollicitudinem iſtam abs te remoue.

ANNOTATIONES.

ISTOS CORYCÆOS) *Qui ſint Corycæi, & vnde hoc illis nomen, docebit copioſè Paræmiographus, prouerb. Corycæus auſcultauit; ne fruſtra paginas impleamus. Quod autem pleriq; eoſdem appellant ſyndicos, parum propriè loquuntur. Sunt enim Syndici aduocati, qui vt patroni ad communem cauſſam defendendam mittuntur, & συνδικεῖν verbum idem quod συνηγορεῖν: ac ſi ſyndicari verbum fingas pro defendere, & patrocinium præſtare. Sunt etiam ſyndici ciuitatum, & aduocati & defenſores iuris publici: quaſi in cauſſam publicam communiter incumbentes.*

Budæus in Pandect.

PRO-

PROGYMNASMA QVINQVAGESIMVMOCTAVVM.

Literæ Bellerophontis.

MAGISTER, DISCIPVLVS.

MAGISTER. Tantùm non alternis diebus nuſquam in ſchola cerneris: cùm deinde cauſſam volo noſcere, nunquam te deficit aliqua huius tam frequentis abſentiæ purgatio; aut enim paternum, aut maternum imperium aliquo te negotio irretitum tenuit. Miror ſi ita res habet. D. Non ſecus profectò; & vt minùs dubites in poſterum, ecce ſchedam patris ipſius manu, eiusq; ſigno obſignatam, qua mihi cauet. M. Legamus hanc ſchedam. O rem necopinatam. Volebam tacitus quod hîc exaratum reperio legere, verùm rectiùs fecero, ſi clarè toto audiente cœtu legero. Spe iſta lapſus es. Infelices, & in caput atq; perniciem tuam ſcriptas attuliſti literas. Attendite, vt ſi qui huius pueri virtutem factaq; imitamini, eiuſdem exitum & exitium perhorreſcatis.

SIMEON RHODOPHILVS CASSANDRO Ludimoderatori S.D.

FILIVM *meum non nego aliâs à me, aliâs à coniuge mea negotiis occupari neceſſariis, quando famulos, & ancillas non ſemper ſub manum habemus. Ceterùm ille, quo tempore ſcholæ habentur, nimis ſæpe in ædibus viſitur,*

viſitur, aut, quod narratum eſt mihi, in platearum angulis cum æqualibus certat globulis, ac nucibus. Cùm percunctor, quare in ludo non ſit, reſpondet, aut non doceri, aut abs te ſibi datam domi manendi poteſtatem. Ego te in functione tua adeò ſegnem, vt tam frequenter non doceas, aut pueri tam ſecurum, vt ſine iuſta eum ratione abeſſe ſinas, credere nequeo. Itaque tametſi ipſe hoc epiſtolium à me flagitauit, quo ſe tueretur, tu nihilominùs pro officio tuo in eum quàm ſeueriſſimè animaduerte: id erit mihi vehementer gratum. Bene vale.

Hem Carole, quid ais? pallor omnia membra tenet, obmutuit, contremuit, deprehendi vulpeculam. Nuda pellem, vt debitam artibus tuis mercedulam capias. En vt me ductauit dolis. Qui mendacio confidit, in caducum parieté inclinat.

ANNOTATIONES.

LITERÆ BELLEROPHONTIS) *Cum quiſpiam literas affert commendatitias, vt ipſe quidem putat, re autem vera accuſatorias: aut cum aliquis nunciat, facítue quo ſe prodit, ſibiq́ꝫ nocet. Quales ad Iobaten Lyciæ regem attulit Bellerophon, & in ſacra hiſtoria etiam Vrias Hettæus ad Ioabum. Vide Homer. Iliad. 6. Lamb. in Oden. 6. lib. 3. apud Horat. & adagium. Hiſtoriam periucũdam de puero commemorat Iouianus Pontanus, qui artificio quodã conciliato pallore & languore adduxit eò patrem, vt ipſum in ludum ire vetaret. De ſermone lib. 2. pag. 207. edition. Aldin.*

PRO-

PROGYMNASMA QVINQVAGESIMVMNONVM.

Minæ.

PRAECEPTOR, PVER præfractè indiligens.

PRAECEPTOR. Aſinum citiùs ſaltationem Pyrrhichicam docuiſſem, quàm ſtipitē iſtum literas. Age puer, cape quod capiendum eſt: plus æquo tentâſti patientiam meam. Rogaui, iuſſi, obiurgaui, verberaui; tu manes idē, id eſt, ignorans, & à literis, vt videris, abhorrens. Si perſtas in iſta mente, patrem monebo, vt te ad molitorem, carbonarium, aut carnificem adducat, vnius horum futurum diſcipulum. PV. Vt incumbam in eas toto pectore, nihil retineo literarum. P. Ipſa inſcitia tua reclamat affirmationi tuæ. Quî enim poſsit fieri, vt tanta longinquitate temporis, ſi conatus fuiſſes, nihil profeciſſes? PV. Neſcio quî fiat, fieri tamen planum eſt: nec ſufficiens otium domi relinquitur. P. Nunc primùm iſta excuſatione vteris? apparet conficta. PV. Vſus eſſem pridem, niſi intellexiſſem nihil apud te valituram. P. Veritas apud me valuit & valebit ſemper. Conueniam parentes tuos, cognoſcam ipſorum mentem. Si ab ipſis tibi nihil erit impedimenti, tu aut Grammaticam diſces, aut opificium ſordidum. PV. Non cōmorabor diutius in patria. P. Quando diſcedes? PV. Secundum Paſcha. P. Tum ego non labo-

laborabo ampliùs tua cauſſa; reſtat enim vnus tantùm menſis ad Paſcha: beâſti me hoc dicto. Quò diſcedes? Pv. In militiam, vt reor: commendauit enim me pater cuidam vexillifero. P. Sanè gladius, aut ænea fiſtula tuis digitis aptior eſt, quàm calamus.

ANNOTATIONES.

SALTATIONEM PYRRHICHICAM) *De hac ſaltatione, ſimilibusq́; exercitationibus corporum lege eruditiſſimos libros Hieronymi Mercurialis de arte gymnaſtica. Germanum huic eſt illud Plaut. in Perſa. Canis ſi in ludum iret, poſſet iam fieri, vt probè literas ſciret.*

PROGYMNASMA SEXAGESIMVM.

Recitatio.

MAGISTER, DISCIPVLVS.

MAGISTER. Heus Andrea, comprehendiſtin' memoria, quam heſterno veſpere explanaui epiſtolam? D. Verò, comprehendi. M. Quod felix ſit, claude librum, & recita diſtinctè, clara voce. D. *Tullius Terentiæ ſuæ, & pater Tulliolæ duabus animis ſuis: & Cicero matri optimæ ac ſuauiſſimæ ſorori.* S. P. D. *Si vos valetis, nos valemus.*

Veſtrum

Veſtrum iam conſilium eſt, non ſolùm meum, quid ſit vobis faciendum. M. Altiore voce, vt omnes exaudiant. Date vacuas aures pueri. D. *Si ille Romam modeſtè venturus eſt, rectè in præſentia domi eſſe poteſtis, &c.* M. Andrea, Andrèa, næ tu malè hanc tam bellam epiſtolam memoria ſepſiſti atq; cuſtodiſti. D. Reuera domi tenebam perfectiſsimè. M. Oh, tibi ego vt credã? Identidem inſpiciebas librum, & verba furabaris. Antiquum obtinebas. D. Bis tantummodò, ſummùm ter. M. Et mentiri non vereris? quoties clamaui, claude claude? Quàm ſæpe inſuper ordinem verborum commutabas, priora poſteriùs, poſteriora priùs pronuntiando? & aliquando tua pro Ciceronis, ſcortea pro aureis videlicet ſubſtituebas. Frequenter pręterea voces iam dictas repetebas, & denuò quaſi deglutiebas: vt interim poſſes aut ipſe librum aperire aliquantùm, aut vicinorum aliquis ſuggerendo hærentem te in ſalebris expediret; quod & nunc, & aliàs ſollicitè præſtitit Bernardulus. Hem aſtutias. Noui ego artes puerorum ad vnguem omnes. Senex ſum, & ſeni verba dare difficile eſt. D. Fuit nimiũ longa epiſtola, nequiui totam ediſcere. M. Ecce, iam iam aſſeuerabas, domi te perfectè memoriter eam complexum. Itáne tandem? tu ex vno ore calidum & frigidũ? & aliud ſtans, aliud ſedens? Cur non ingenuè faſſus es te neſcire? D. Virgę me terruerũt. M. Infelix puer, hoc magis pro commerita noxia te caſtigabo virgarum verberibus, quia ludificaſti me, & ad ſocordię vitium vanitatis culpam addidiſti. D. Volebam mihi conſulere. M. Non conſulit, ſed nocet ſibi, qui ſic recitat. D. Ego

alio intellectu hoc verbi dixeram; pœnam paratam effugere ſtudui. M. Ne tuum exemplum & impunitas corrumpat ceteros, hodie cædaris neceſſe eſt, puerorum verberabiliſsime. D. Eheu, mi Præceptor, modò tantùm parce. M. Idem rogaſti antehac, & peperci: nunc luendum eſt commiſſum. D. Per tuum te caput, perq; tuam ſenectutem, perq; vitam tuam obſecro. M. Si per omnia diuina & humana obteſteris, nihilo plus aſſequare, quàm ſi ab aſino lanam petas, aut concioneris mortuo.

ANNOTATIONES.

ÆNEA FISTVLA) *Quidam ſclopos vocant, & milites ſclopetarios. Globulos autẽ qui inde emittuntur, glandes, & pilas plumbeas. De inuentione bombardæ, lege, ſi placet, quæ affert Magius lib. 1. cap. 1.*

PROGYMNASMA SEXAGESIMVMPRIMVM.

Repetitio.

PVBLIVS, GAVDENTIVS.

PVBLIVS. Conferamus inter nos audita Gaudenti, antequam Magiſter huc aditum ferat. G. Non auſim. P. Quæ huic eſt offuſa religio? qua de cauſſa non audes, quod ipſe Præceptor ſi reſciſcat nos agere, tantum abeſt vt vlla caſtigationę afficiat, laudatione etiam proſequetur?

G. Quia

G. Quia fit cum periculo. P. Quo periculo? G. Animaduerſores iſti me hoc aliâs cum alio faciẽtem in gregem fabulantium per ſummum nefas aliquoties coniecerunt, vt ægrè poſtea, multa nimirum diligenti& purgatione vſus, conſtitutum garrulis ſupplicium euitauerim. P. Vix adiungere dictis tuis fidem queo. G. Putas me ſomnia narrare tibi? ecquando me cuiuſpiam rei tibi falſiloquum reperiſti? P. Nunquam. Sed cur ego non memini iſtuc accidere? G. Non ſemper es pręſens in ludo; & te abſente poteſt accidere, quod poſtmodum vel non credas, vel etiam mireris accidiſſe. P. Onus fortaſſe declinas, & aliud in pectore, aliud in lingua promptum habes. G. Aliter eſt, tutiora eligo. P. Quam tu vereris culpã, ego præſtabo. Conſueſtíne ſolus tecum domi repetere explicationes Magiſtri? G. Vt ſi conceptis verbis id me facturum iuraſſem. P. Non mirabor amplius, te nunquam non paratum inueniri, cùm iuberis Auctorem exponere. G. Parum conducibile eſt audiſſe Publi, niſi recolas quæ audieris: nec proxima tantùm, verùm longinqua etiam, quæq; ante hebdomadem, ante menſem explicata fuerunt, repetendo iteranda ſunt, quoniam Themiſtoclis aut Carneadis memoria non antecellimus, faciléque auditorum obliuiſcimur. P. Poſſéſne, non quidẽ in dies ſingulos, nam id neutri foret commodum; at feſtis ac vacationum diebus, cùm ſcilicet otium eſt à ſcholis, pauxillum temporis mihi tribuere, méque adiuuare, & communicare mecum hanc meam prouinciam? G. Vt vnà repetamus, & viciſsim quę obſcuriora ſunt declaremus?

iſtuc vis? P. Nempe iſtuc. G. Equidem poſſum, & tua cauſſa volo. Ventitabis igitur in ædes noſtras. P. Habes muſæum quietum, atque à ſtrepitu remotum? G. Etiam, vbi nemo nos, ne muſca quidem, néue muſculus impediat. Sed ſatis verborum: iaciunt rete piſcatores; ſileamus.

ANNOTATIONES.

OFFVSA RELIGIO) *De conſcientiæ ſcrupulis, vt vulgus loquitur, quo pacto per vocem religio variis modis loquendum nobis eſſet, oſtendimus annotatione quadam in dialog. 1. volum. ſecund.* CONCEPTIS VERBIS IVRASSEM) *Verbis conceptis iuratur, id eſt, verbis certa comprehenſis formula. Nam concipere comprehendere eſt. Hoc iuſiurandum multo religioſius erat, quàm reliqua. Huius generis erat præiuratio, cùm quis ante conceptis verbis iurabat, poſt quem alter in eadem verba iurans, tantummodo dicebat, Idem in me. Plura Turneb. lib. 3. cap. 10.* THEMISTOCLIS MEMORIA) *Themiſtocles quidem, cùm ei Simonides, aut aliquis alius artem memoriæ polliceretur, obliuionis, inquit, mallem. Nam memini etiam quæ nolo, obliuiſci non poſſum quæ volo. Cic. 2. de finib.*

PROGYMNASMA
SEXAGESIMVM SECVNDVM.
Diſputatio.

EVCHA-

EVCHARIVS, OPTATVS.

EVCHARIVS. Si cuipiam veſtrûm tantum adeſt fidentiæ, prodeat extemplò in medium, ac certamine mecum congrediatur, & vel ſummis mecum copiis contendat. O. Quid tu garris audacule? E. Ad diſputandum quemcunque de condiſcipulis præſentibus prouoco, nemine excepto, ne teipſo quidem, etſi videris eſſe quantiuis pretij. O. Quo fretus tam inſolenter te iactas? E. Diligentia ſola: tenes? O. Nos igitur hactenus dormiuimus, & tu, ſi cœlitibus placet, didiciſti omnia, ceteris nihil reliquiſti? E. Qui ſe credit profeciſſe ſurgat, veniat, digladiemur. O. Quaſi tu ſis præcipuus & inuictus diſputator, ita gloriaris, ventoſiſsime atque confidentiſsime homuncule. E. Re cupio refelli, non meris negationibus & conuitiis. O. Dolebis intimis ſenſibus, cùm tibi victo ruborem excuſſero. E. Tu opinione tua deiectus, & à me pudore affectus recedes. O. Quo de vis diſputemus? E. Hoc tui eſt arbitratus. O. Paratus es in omnibus? E. In omnibus. O. De nominum verborúmque inflexionibus agamus. E. Vt voles. O. Capiamus arbitrum, ſeu legamus, qui amborum errores totidem punctis notet. E. Ad id iam ſe Albertus comparat, vti vides. O. Euge Alberte, ne ſomniculosè hoc agas, & nihil des gratiæ. E. Dimitte librum. O. Tu quoq; abiice tuum. E. Nullum habeo. O. Suggeſtorem tibi nullum eſſe volo. E. Multò minùs ego tibi. Egredere de loco tuo, & conſide in ſcamno longo, quod affixum eſt parieti. O. Tu idem facito, ſed è regione. E. Licet. O. Ne ob-

ruas me clamoribus, & ſpatium iuſtum ad reſpondendum concedas. E. Geram me vt par eſt. O. At ſi te vicero, haud eo contentus ero. E. Quid petes? O. Tuum mihi locum cedas oportebit. E. Haud recuſem. Tuum, cum meo inferior ſit, non poſtulo: aliud victoriæ præmium perſolues. O. Quale? E. Vel roſariolum tuum. O. Etiámne oculum adiecisti? E. Vel pulchram imagunculam, vel globulos aliquot de ſelectioribus. O. Iniqua conditio. E. Quapropter? Locus meus honoratiſsimus locorum eſt, iſta autem quæ abs te exacturus ſum, honoris & ornamenti quid afferunt? O. Etſi non optima apparet conditio, nihilominùs quia faſtum hunc tuum retundere diſcupio, hui, Martem vtrinque inuadamus. Pone tuas quæſtiunculas.

ANNOTATIONES.

Hoc dialogo vti poterunt pueri tanquam proœmio quodam concertationum ſuarum & his ſeſe verbis ad diſputandum prouocare. MARTEM VTRINQVE INVADAMVS) *Militaribus metaphoris ſæpe cum venuſtate vtimur, ſæpe etiã poëticè dictum aliquod leporem habet. Ac Martem quidem inuadere, nihil eſt aliud, quàm ſeſe mutuò armis inuadere, noto illo tropo, quem Grammatici Metonymiam, Cornificius Nominationem dixit lib. 4.*

PRO-

PROGYMNASMA SEXAGESIMVMTERTIVM.

Concertatio ſcriptionis.

GERARDVS, OCTAVIVS, LAMBERTVS.

GERARDVS. Magiſter die ab hinc tertia materiam nobis communem ad ſcribendum dictauit, cras ante meridiem oſtendenda eſt ſcriptio. Lambertus ſuam prędicatione effert, meam vilipendit, quam tamen nondum vidit: ego me inferiorem illo in animum inducere non poſſum vt exiſtimem. Reſtat igitur vt te oremus, Octaui, des iudicium, noſter arbiter, noſter Palæmon ſis, & hanc controuerſiam ex æquo & bono diſceptes. O. Nõ audeo me in iſtam contentionem interponere. Non noſtrûm inter vos tantas componere lites. L. Ludens potes, ſi libeat: ſiquidem vtroq; noſtrûm non paulò es literatior. G. Da hoc mutuæ familiaritati, ſine impetremus. O. Quid vultis faciam? G. Auſculta dum legimus ſcripta, & quæ videbuntur commodè dicta, approba, quæ vitioſè, improba. O. Fiat ea lege hoc adeo, ſi neq; laudatus ſuperbia, neq; reprehenſione perſtrictus bile intumeſcat. L. Spondeo meam vicem. G. Et ego meam. O. Recitet ergo Gerardus principem periodum. G. *Ex tuo tam diuturno ſilentio, mi Petre, non leuem traho moleſtiam, cogorq́; ſuſpicari, ne forte res aliqua te mihi immutauerit, vt*

iam non ſis, qui adhuc fuiſti, hoc eſt, mei cupidiſsimus. O. Legat ſuum initium Lambertus. L. *Chariſsime Lamberte, propter tuum ſatis longum ſilentium non parum perturbor, & cauſſam habeo ſuſpicandi, quod forſitan mutaueris voluntatem erga me priſtinam, nec mi, ſicut antea, diligas.* O. Preſsiùs Gerardus, & aliquãto nitidiùs. Ad cetera itote. G. *Si erro, tu, quæ proxima inciderit occaſio, eam noli prætermittere quin ad me ſcribas, & errorem hunc mihi eripias: ſi id non feceris, ne ægrè feras, cùm te in poſterum in meis inimicis numerauero.* L. *Si me falſum habet iſthæc mea ſuſpicio, tu, cùm primùm licebit, te mihi per literas aperi, & hanc opinionem ex animo meo euelle. Quod ſi præſtare detrectaueris, ne ſuccenſeas, ſi deinceps inimicorum te loco habuero.* O. Vterq; haud ineptè, & paullò meliùs Lambertus. G. Simus itaq; pares hactenus: cæterùm ęqua manu ex hoc prælio nõ diſcedemus. L. Planum hoc, & ad victoriam maximi id intereſt. O. Ad reliqua procedamus. G. *Pro mea parte.* L. Barbarum. O. Corrige. L. Quod ad me attinet. O. Rectè. G. *Quod ad me attinet, idem ſum erga te, quem cognouiſti à longo tempore.* L. Barbarum & hoc. G. Quî dicendum erat? L. Iam pridem. G. Qui tam acutùm cernis in meis lapſib⁹, videbo quos tu Ciceronianiſmos allaturus ſis in medium. O. Turpe eſt doctori, aiunt, Lamberte; proinde te circumſpicias, cautè rem geras. L. Haud reprehendiſſem, niſi me iiſdem locis latinè locutum certò noſſem. O. Abſolue circuitum, ſeu comprehenſionem iſtam. G. *Nec me vlla res ab inſtituta ſemel, & cõfirmata inter nos amici-*

amicitia deſciſcere coget. O. Lege quod ſequitur in tua Lamberte. L. *Quantum meam perſonā attingit.* G. Barbarum. L. Quomodo? an non ſic loquimur: hoc negotiū me attingit? G. Hoc & ſimilia dicimus quidem, verùm non ideo ſtatim proba eſt loquendi ratio qua tu vteris: olet merum rus, & eſt germaniſmus. Cur non adhibuiſti illud; quod ad me attinet? L. Credebam hoc quoque Romanè dictum. O. Bene monuit Gerardus. L. *Idem permaneo in te, quem expertus es iam pridem: nec me ab amore ſemel ſuſcepto quidpiam aliquando abſtrahebit.* G. Ho, ho, ho, abſtrahebit. L. Abſtrahet, abſtrahet. Phui, non aduerteram, obſtupeſco quî obrepſerit. O. Etiam non aduertere vitia erratum eſt quoddam ſcribentium, quos conuenit quàm oculatiſsimos eſſe, & non ſolùm ſcribere, verùm etiam ſcripturam relegere, bis, ter, quater, emendareq; ſtudioſiſsimè. L. Non tantum eſt flagitium iſtuc, quantum ſi ex inſcitia pecces. O. Eſto. G. Legam clauſulam epiſtolij. O. Age. G. *Hæc breuiter, multis arduisq; diſtrictus negotiis exaraui: cùm plus otij nactus fuero, et aliquid abs te literarum accepero, id quod vehementer & cupio & ſpero, longiores mittam. Vale.* L. *Iſta conſcripſi in magnis laboribus: quando plus mihi vacuitatis cōtigerit, & tu aliquid reſponderis, ſicut multùm deſidero & ſpero, prolixiores à me accipies. Valetudinem tuam cura diligentiſſimè.* O. Seruabitis promiſſa? L. Vtique. O. Tu igitur, Gerarde, ne tibi vt victor placeas: tu Lāberte, ne vt victus excandeſcas. Quamuis ſemel iterūq;

minus latinè quædam inſeruerit Gerardus, accuratiùs tamen epiſtolam contexuit, & loquitur latiniùs quàm Lambertus. Cede tu priores, cede palmam Gerardo, & iactura huius gloriolæ noli ad deſperationem abuti, quod eſſet puſilli & abiecti animi, ſed ad laborẽ ac nauitatem: quo tantò plus aliâs honoris reportes, quando ipſum victorem tuum ſuperaueris. L. Tuis conſiliis parere certum eſt. G. Iô triumphe.

ANNOTATIONES.

NOSTER ARBITER) *Capere & ſumere arbitrum dicunt Latini. Eſt autem iudex petitoris, & eius à quo petitur conſenſu captus, non à Prætore, aut lege datus, aut à Prætore quidem datus, ſed non niſi volentibus. Itaq; honorarius appellatur, quia honoris cauſſa totius controuerſiæ arbitrium ei à litigatoribus vltro mandatur & defertur.* Διαιτητὴς *&* μεσίτης *à Græcis appellatur. Sic Lamb. in Amphit.* NOSTER PALÆMON) *eclog. 3. à paſtoribus certaturis inter ſe cantibus ſiue carminibus, iudex adhibetur & arbiter Palæmon. Fuit item hoc nomine Grammaticus quidam Romæ, Tiberio & Claudio Impp. intolerabili arrogantia: quippe qui M. Varronem porcum appellaret, ſecumq; & natas, et interituras literas gloriaretur.* NON NOSTRVM INTER VOS) *Verſiculus Virgilij ex eclog. 3. de cuius diſtinctione & ſenſu conſulendus eſt Seruius. Nihil tamen impedit, quin totum iungatur, & pro recuſatione quadam*

quadam ſpecie prouerbij adhibeatur, quemadmodum ex auctoribus complura, alia quàm ij voluerunt, ſententia. CEDE PALMAM) *Ex Ariſtotele & Plutarcho tradit Gellius lib. 3. cap. 6. ſi ſupra palmæ lignum ingentia pondera imponas, itaq́ vrgeas, vt magnitudo oneris ſuſtineri non queat, non deorſum palmam cedere, nec intra flecti: ſed aduerſus pondus reſurgere, ſurſumq́ niti ac recuruari. Propterea in certaminibus palmam ſignũ eſſe placuit victoriæ: quoniam ingenium eiuſmodi ligni eſt, vt vrgentibus opprimentibusq́ non cedat. Palmarium facinus apud Terent. Eunuch. eſt palma, hoc eſt, victoria dignum. Cic. pro Roſc. Amer. Alter plurimarum palmarum vetus ac nobilis gladiator habetur.* IÔ TRIVMPHE) *Vox militum lauro coronatorum, & imperatorem victorem proſequentium in vrbem. Ouid. Triſt. 4. eleg. 2.*

Tempora Phœbæa lauro cingentur, Ioq́
Miles, iô magna voce triumphe canet.

Hanc eandem vocem intellexit 1. Metamorph. illis verbis, de lauro loquens.

Tu ducibus lætis aderis, cùm læta triumphum
Vox canet, & longas viſent Capitolia pompas.

PROGYMNASMA
SEXAGESIMVMQVARTVM.

Examen.

ADAV-

ADAVCTVS, OLYMPIVS.

ADAVCTVS. Examen, id quod noſti, propediem inſtituendum dies noctesq́ ante oculos mihi obuerſatur, penitusq́ inſedit in animo. O. Eadem res verſat & coquit mentem meam. Si huic tam graui periculo ereptus eſſem. A. Quòd iterum iterumq́ ac ſæpius per annum non idoneas ob cauſſas declinaui ludum, id nunquam æquè ſenſi vt nunc ſentio, quantum damni fecerim; quocirca non mediocri in dolore ſum. O. Me pariter æqualiterq́ abſentiæ meæ, quantumuis non tam frequentis pudet, pœnitet, piget. A. Accedit ad exaggerandam animi ægritudinem, quòd diuinare non poſſum, quænam interrogaturi ſint illi Quæſitores. O. Si ſcires? A. Addiſcerem ea quàm acerrimè. O. Eſtne aliquis ex omnibus, cui hoc detegere ſoleant? A. Nullus. O. Moderatè igitur feramus commune malum. A. Timor item ſolet obſtare ne promam liberè & intrepidè quæ ſcio: itaque hæret mihi aqua ſæpe. Hinc pro inſcitia ducitur, quæ non fuit. O. Ego, ne vt errans aliquantùm ſiniſtrè reſpondeam, nihil quidquam vereor: ſed ne vt illiteratus planè illiteratiſsimè reſpondeam, id verò non mediocriter pertimeſco. A. Quî te ad iſtud tremendũ & horribile examen præparas? O. Quidquid audiui totius anni curriculo, ſæpius relego, ac repeto expoſitiones, quantum me adiuuat memoria: in Cicerone, Grammaticis, Chriſtiana Catecheſi. Vbi quid non intelligo, de condiſcipulis doctiorem aliquem interrogo. Adhæc, denuo mando memoriæ præcepta pro virili. A. Nimium operoſus,

roſus labor eſt tam multa diſcere. O. Operoſus, at neceſſarius omnino. A. Certum eſt tamen non omnia quæſituros. O. Propterea inſtructum eſſe in omnibus conuenit, quia quod ipſis lubet interrogant de omnibus, prudenter. Si enim ordine interrogare velint vniuerſa, idq; de ſingulis, nimis lõgum ſit, & faſtidij plenum. Qui porrò quæſtioni cuicunque aptè reſpondet, is totam videtur ſcientiam conſecutus. A. Non ſtultè dictum. O ſi præteriiſſet hæc turbulentiſsima tempeſtas. O. Subeunda & perferenda eſt, ſi optes aſcendere. A. Tametſi hucuſque ſegregaui à me ignauiam in iſta præparatione, tamen cogor neruos magis contendere, tùm ne reiiciar, tùm ne de poſtremis fiam vnus: cui rei, præſertim quando eſt maior aſcendentium ſocietas, magna eſt adiuncta turpitudo & infamia. At enim, niſi examen iſtuc impendens me adigeret, nunquam ſtudia forent mihi tanti, vt eorum gratia caput affligerem. O. Non ob examen duntaxat, ſed ob futuras quoque prælectiones meliùs citiusq; capiendas audita repetenda & recolenda ſunt: vt ſic felicius & fructuoſius in ſuperiore ſchola verſemur. A. In ſcriptione haud leue momentum eſt; ibi barbariſmos & ſolœciſmos timeo, malas beſtias. O. Non ſine cauſſa: mordent atrociter. A. Ex tempore, ſine vllo libro in ſchola de argumẽto improuiſo ſcribendum. O. Omnia denique ad exploratam progreſſuum noſtrorum cognitionem capiendam inſtituuntur: ideo reprehenſioni affinia nequaquam putanda ſunt. Et cùm huiuſcemodi diſcrimina in annos recurrant ſingulos,

gulos, nec vlla via euitabilia ſint, reddamur ſtudioſiores: nunquam vidi diligentes excludi. A. Opitulemur alter alteri in iſta præparatione. O. Operam meā tibi promitto. A. Ego meam promitto viciſsim.

ANNOTATIONES.

SI HVIC TAM GRAVI) *Si interdum optantis eſt apud Latinos, quamuis ſine particula ô. Virg. 6. Æneid. ſi nunc ſe nobis ille aureus arbore ramus oſtendat. Id eſt, vtinam ſe oſtendat. Perſ. ſaty. 6. ſi angulus iſte Proximus accedat, qui nunc deformat agellum. Sic Eurip. Hecuba* εἴ μοι γένοιτο φθόγγος ἐν βραχίοσι. *Si mihi vox eſſet in brachiis. Vtinam brachia mea poſſent vocem mittere.* SOLOECISMVM) *Barbariſmum & ſolœciſmum negat inueniri apud Græcos idoneos Gellius, qui* βάρβαρον *et* σολοῖκον *dixerint. Noſtri quoque antiqui, inquit, ſolœcum facile, ſolœciſmum haud ſcio an vnquam dixerint. Quod ſi ita eſt, neque in Græco, neque in Latino ſolœciſmus probè dicitur. Vide cap. 20. lib. 5. & lib. 13. ca. 6. Reperitur tamen in 4. Cornificij ad Herennium ſolœciſmus.*

PROGYMNASMA SEXAGESIMVMQVINTVM.

Auditiones.

ELEVTHERIVS, MODESTVS, DAMIANVS.

ELEVTHERIVS. Cur vos, Modeſte & Damiane, heſterna luce, & nudius tertius non affuiſtis in gymnaſio? M. Nihil diſsimulabo. Ob cruditatem minus bellè valui: nunc ſum meliuſculus. D. Ab amico in hortos ſuburbanos hoc menſe anni amabiliſsimo & lætiſsimo inuitatus, recuſare nec potuiſſem ſi voluiſſem, nec ſi maximè potuiſſem, voluiſſem: eſt enim ille de amicis meis veterrimus & fideliſsimus. Inde autē aliquãdo pòſt, quàm putabam, in vrbem reuerti. E. Vndénam diſcetis, quæ nos interea Magiſter docuit? M. Legi iiſdem de rebus, quē anno præterito accepi muneri à patruo meo cõmentariũ. D. Ego ex autographo condiſcipuli alicuius ea mihi deſcribam. E. Arbitramini igitur vos iſto modo eadem aſſecuturos, & intellecturos perfectè omnia? M. Quidni? Quin iam aſſecutus ſum: nihil requiro. D. Perpaulùm aut nihil intereſt, vt quidem opinio mea fert, audiueríſne, an poſtea deſcripſeris. Et hoc eſt commune eorum ſolatiũ, qui vel voluntate, vel caſu aliquo abfuerunt à ludo; poſſe aliunde deſcribere. Sunt qui nullum idcirco angorem capiunt, nec ideo fortunis ſuis deſperant,

ſperant,quanquam menſes totos docentem non auſcultauerint. E. Magno errore vterque ducimini. M. Si placet, demonſtra nobis iſtum errorem. E. Longè præſtat audire quàm legere, etiamſi multò diligentiſsimè legas. D. Quid ita vero? Non egemus libris diſertis, elegantibus, eruditis,vnde hauriamus ſcientiam; & quæ legimus, intelligimus: neq; enim adhuc nucibus ludimus, vt proinde iactura audiendi, paucorum præſertim dierum, tam grauiter & iniquè ferenda non ſit. E. Legendi ſemper eſt occaſio,non eſt ſemper audiendi. M. Non ſit: quid tum? E. Lectio ſolitaria eſt veluti quidam ſomnus,auditio veluti vigilia. Viua vox Præceptoris magis nos afficit,plenius quaſi paſcit & alit;& altiùs deſcendunt in animum, in eoq; tenaciùs inhærent,quæ pronunciatio, vultus, habitus, geſtus docentis affixerit. Quid, quòd illa moderatio & variatio vocis cuiuſdam cõmentarij efficacitatem obtinet,& quædam eorum quæ dicuntur eſt illuſtratio? Quid, quòd plura ferè dicuntur de vna eademq; re in ſchola, quæ non item ſcribuntur; quia neq; poſſunt commodè ſcribi, neq; vult ea Magiſter calamo excipi? M. Nihilominùs acriora abſolutioraq; ſunt, quæ legimus in auctoribus. E. Vt hoc conceſſerim,quoniam plus operæ cõſumunt, qui libros edunt,quàm qui de ſuperiore loco docent, tamen obſcuriora & inuolutiora eſſe quæ ſcribuntur,tu mihi viciſsim concedas oportet. Non enim ſe liber ipſemet explicat, vt Præceptores facere conſueuerunt, qui multis exemplis, ſententiis,argumentis vtuntur, & nihil quod verentur non

non intellectum iri, prætermittunt quin declarent. Quod autem ſcriptum eſt ſemel, hoc per ſæcula tale, quale fuit ab initio, ſiue clarum, ſiue obſcurum, ſiue facile & expeditum, ſiue difficile impeditumque manet. Interroga millies quid hoc, quid illud ſibi velit, nunquam reſpondebit liber tuus quem voluis. Conquerenti Alexandro Regi cum Ariſtotele, quòd libros Phyſicorum edidiſſet, quos Rex compreſſos teneri cupiebat; vt quomodo imperij, ſic ſcientiæ gloria præſtaret multis mortalibus: reſcripſit Philoſophus: ſciret illos libros eſſe editos, & non editos; neque enim poſſe intelligi niſi ab iis, qui ſibi docenti præſentes dediſſent operam. Præterea fieri aliquando poteſt, vt tam probatus & doctus non ſit liber, & ita te parum adiuuet, quin immò multùm tibi noceat. Atque vt probatiſsimus ſit, ego certè eximium Præceptorem malo, quem tanquam ex multis libris vnum quendam, viuumq́; librum contempler; qui ſcilicet multa & multos peruolutarit, & tãquam ſedula apis è diuerſorum floſculorum ſucco vnius cuiuſdam dulciſsimiq́; ſaporis ſuccum expreſſerit. D. Tam ingenioſi acutique nos haud eramus, vt iſta animaduerteremus, quæ tu nos modò nec opinantes docuiſti. M. Ad tuam ſentẽtiam meum aggrego iudicium. Prouidebo vt poſt hunc diem audiam quotidie, niſi morbi alicuius grauitas prohibuerit, aut medicus publico abſtinere edixerit. D. Ego in dies feſtos cõuiuia, & hortorum iſtas inuitationes reiiciam. E. Tantum tribui à vobis orationi meæ, & non diſplicuiſſe conſilium, magnoperè, non

mea quidem, qui tantum nec agnoſco nec poſtulo, ſed veſtra cauſſa lætus ſum.

ANNOTATIONES.

IN VRBEM REVERTI) *Reuerti & redire, reuerſio & reditus quid differant, Manut. in 1. Philipp.* CONQVERENTI ALEXANDRO) *Vtrumq; epiſtolium græcè & latinè inuenies apud Gellium lib. 19. cap. 14. in vtroq; breuitatis elegantiſsimæ tenuiſsimum filum admiratur.*

PROGYMNASMA

SEXAGESIMVMSEXTVM.

Induſtria diſcendi.

GORDIANVS, ALEXANDER diſcipuli, MAGISTER.

GORDIANVS. Ne defugias hoc officium, da mihi tantillum, mi Alexander. A. Mitte orare tandem, en paratum habes, accedamus. G. Age ſanè. A. Sollicitauit me dudum, & inſtigauit Gordianus, vt quidpiam tibi in percunctando ponerem, venerande Præceptor. M. Quid eſt quòd vicarium quęrit? ipſe per ſe, ſi quid eſt opus interroget. G. Non videtur referre vter hoc faciat. M. Ergo ipſemet faciat. A. Impedit hominem adoleſcentiorem verecũdia. M. De rebus à me explicatis, aut diſputatis num eſt aliquid?

quid? A. Nihil tale. M. Quid dicam fore? Enunciate paucis. A. Auemus ſcire nos duo, quinam diſcipulorum tuorum tibi in præcipuis ſint amoribus. M. Etſi quæſtionem affertis neq; neceſſariam, neque tantoperè vobis vtilem, attamen reſponſum reddam, & ſententiæ iudiciiq; mei rationes cùm expoſuero, efficiam vt peritiores abeatis, quàm aduenistis. G. Id nobis in optatis eſt, ſtudemusq; ſermone tuo etiam nunc doctiores fieri. M. Principiò apud me quidem certè formoſus an deformis ſit aliquis perparui refert, qui non neſciam, nec in omni pulchro capite ineſſe cerebrum; & vinum Lesbium in viliora abiectioraq; vaſcula, vt in pateras gemmatas & aureas infundi poſſe, iuxta mecum æquè intelligitis. A. Quid verò ſpectare ſoles in diſcipulis, propter quod apud te in numero aliquo, atque honore ſint? M. Duo. G. Quænam? M. Ingenium & induſtriam: hæ res duæ commendant & charos mihi reddunt auditores meos. A. Si quis ambabus excelluerit? M. Vnum multorum inſtar, & ambroſia alendum, à meq; amari tanquam oculos meos affirmo. G. Si quis neutra? M. Eum fœnum eſſe oportere, & ad ſordidum quæſtuoſumque opificium aliquod detrudendum. A. Si abs te in hac deſperatiſsima colluuie numeramur, reſtim ememus, qui nos ſuſpendamus. M. Meliora ominamini, tenetis apud me locum non infimum. A. Ingenioſos forſitan præferendos arbitrare diligentibus? M. Quî poſsim? G. Potiores partes dantur ingenio. M. A quibus? G. Ab vniuerſis. M. Qui verò ſunt iſti vniuerſi? e-

ruditione rerumq́ vſu & ingenio præſtantes, an illiterati & imprudentes? G. Eruditi, ni fallor. M. Falleris. Ingenium ignauum, ſegne, pigrum, eruditus nemo celebrauit. Diligentiam ſiue induſtriam mediocri conſociatam ingenio certatim omnes in magna gloria & laude ponunt. Hæc ſola eſt quæ plauſum meretur. De hac Poëta quidam veriſsimè cecinit: Omnia conando docilis ſolertia vincit. A. Iam perſpicimus induſtrios te præ ingenioſis admirari, illosq́ tibi eſſe in deliciis. M. Fateor ita eſſe, vt dicis. G. Quamobrem? M. Auſcultate, tum ſcietis. Primùm res mihi videtur amore digniſsima labor multus & aſsiduus in honeſto & præſtabili negotio, animusq́ inſaturabili ſapientiæ cupiditate incenſus, cuius ille (labor inquam indefeſſus) locupletiſsimus certiſsimusq́ teſtis eſt. Nemo quippe in eo elaborare, operamq́ collocare velit, cuius amore ac deſiderio nullo flagrat. A. Percepimus iſtam cauſſam, & alias ſi quæ ſunt requirimus. M. Quid agit bonus Præceptor? G. Docet. M. Studiosè an oſcitanter? G. Studiosè. M. Beſtias an homines? G. Homines vtique. M. Diſcentes, an animis & cogitatione alibi commorantes, ſolisq́ corporibus præſentes? G. Diſcentes, & tota mente attentiſsimos. M. Nunc tu mihi reſponde Alexander. Quorum cenſes proprium eſſe diſcere: ingenioſorum quà ingenioſi, an potius induſtriorum, etſi ingeniis minoribus præditorum? nam induſtriam omnis expertem ingenij applicare ad literas, eſſet imbrem in cribro portare. A. Plurimi valentes ingenio nõ diſcunt, aut diſſolutè & languidè diſcunt: quo-

quocirca eorum hanc eſſe naturã neutiquam ſentio; nulli enim ingenioſo deeſſet. M. Rem fabulare. Bene docentes igitur quos amare potiſsimùm & inprimis debent? A. Bene diſcentes, & qui literas vorant, ſine vlla cõtrouerſia. M. Omnem rem tenes. Quid nunc ſupereſt quod quæratis? G. Dici non poteſt, quàm tua iſtac tam ſubtili diſputatione delectati ſimus. Tulimus reſponſum ſapiens, & quod præterea requiramus reſtat nihil. A Perſpicimus probè quid tu iure à nobis poſtules, enitemurq́ vt amore tuo, & quidem illo non vulgari ne ſimus indigni: quoniam quos vehementiùs diligas, manifeſtò cognouimus. M. Si verba ad rem contuleritis (quanquam hactenus non omiſiſtis, & ego magis inſtituti tenẽdi, quàm hortandi cauſſa hoc profero) ſi hoc, inquam, effectum dederitis, nomen veſtrum cum æternitate coniungetis.

ANNOTATIONES.

AD *hunc dialogum, & ea, quæ de induſtriæ laudibus proferuntur illuſtranda, pertinere mihi videtur perlepida hiſtoria, quam de Furio Creſino Plin. lib. 18. ca. 6. narrat. C. Furius Creſinus, inquit, è ſeruitute liberatus, cùm in paruo admodum agello largiores multo fructus perciperet, quàm ex ampliſsimis vicinitas, in inuidia magna erat, ceu fruges alienas pelliceret veneficiis. Quamobrem à Sp. Albino Curuli die dicta, metuens damnationem, cum in ſuffragium tribus oporte-*

ret ire, inſtrumentum ruſticum omne in forum attulit, & adduxit filiam validam, atque (vt ait Piſo) *bene curatam ac veſtitam, ferramenta egregiè facta, graues ligones, vomeres ponderoſos, boues ſaturos.* Poſtea dixit: *Veneficia mea, Quirites, hæc ſunt, nec poſſum vobis oſtendere, aut in forum adducere lucubrationes meas, vigiliasq; & ſudores.* Omnium ſententiis eſt abſolutus. *Addit.* Plin. *Itáque eſt profectò, opera, non impenſa cultura conſtat.* Ego verò *ſimiliter in re diſsimili affirmo: non tam ingenio, quàm labore & ſudore doctrina inuenitur.* De *eruditorum tamen aſsiduis contentionibus atque vigiliis non ſæpe cogitamus.* IN OMNI PVLCHRO) *Vide Æſopi apologum de vulpecula in officinam ſtatuarij ingreſſa.* Dialogum 65. *legant, qui crebrò à ludo abſunt, & 66. qui ingenio minus valent: vt & illi fiant aſsidui, & iſti animoſi.* ET CHAROS MIHI REDDVNT) *In primis ea habenda cura eſt, vt is (*Præceptor*) fiat nobis familiariter amicus, nec officium in docendo ſpectet, ſed affectum.* Nec *ſanè quiſquam literis, ſaltem leuiter, imbutus, eum, in quo ſtudium ingeniumq; perſpexerit, non in ſuam quoque gloriam peculiariter fouebit. Quintil. lib. 1. cap. 2.*

PRO-

PROGYMNASMA SEXAGESIMVMSEPTIMVM.

Penſum diurnum.

MAGISTER, DISCIPVLVS.

MAGISTER. Non tu exiſtimas, Antoni, ad progreſſus in eruditione liberali haud ita longinquo tempore conſequendos permagni intereſſe, certóſne tibi labores, libros, exercitationes proponas, quibus ſtudium dedas in dies ſingulos, an, vt impetus tulerit, & quamdiu tulerit, ita quidq; & tam diu agas? D. Sanè quidẽ maximi intereſt: hæc mea eſt opinio. M. Nonne præterea intelligis quanti referat, vtrum confusè ac perturbatè, an diſtinctè & ordine diſcas atque exerceas, quæ diſcenda & exercenda ſunt? D. Ego verò perſpicuè intelligo, & reipſa id experior. M. Num tu igitur conſueuiſti certa quædam tractare, & vnumquodq; præſtituta hora per diei ſpatium? D. Prorſus conſueui. M. Commemora mihi quanam iſtuc ratione. D. Poſteaquam ad primam auroram ſomno ſolutus de lectulo ſurrexi, corpus amictu contexi, faciem ablui, capillum pexui, quartam horæ partem diuinis præcationibus tranſigo, à cœleſti doctore opem auxiliumq; efflagito, me illi cum ſtudiis & actionibus diurnis totum offero & dedico. M. Caſtiſsimè: à Deo enim qui eſt totius ſapientiæ primus

& antiquiſsimus parens, auſpicari oportet, ab eo agendi ſunt capienda initia. D. Tum me ad libros applico. Primódum omnium, quæ ante meridiem in ſcholis pronũtianda ſunt ex memoria, ediſco. Reliquum tempus in veſpertinis diei pręcedentis interpretationibus dictatisq; conſumo: vt ſi iuſſeris, poſsim auctorem explanare. Aere cãpano interea in ludum arceſsimur, ibi tuipſe noſti quid agam. M. Et quid tu, & quid alij. D. A prandio rurſum ediſco & repeto, mecumq; retracto ac reuoluo, quæ te explicantem, & alioqui ad nos expoliendos accommodata, & idonea diſſerentẽ audiui. Si quid ſupereſt temporis, quemadmodum manè quoq;, Adrianum Cardinalem, aut epiſtolas Ciceronis lectito. M. Rectiſsimè. Quando ſcribis? D. Secundum ſcholas pomeridianas vſq; ad cœnam: id eſt interuallum horæ & ſemis. Nunquam autem ſcriptioni manus admoueo, niſi priùs Ciceronem verſauerim, animumq; meum illius compoſitiſsimę ac ſplendidiſsimę orationis illecebra delinitum, amore & diligentia, ſimiliter ſcribendi inflammârim. M. Euge, prudentiſsimum conſilium. Quàm vellem te condiſcipuli, & quotquot poſthac ſe mihi in diſciplinam tradent, imitarentur? Hoc ſi fiat, publico fiat bono. A cœna quid incœptas? D. Si non deſunt ſodales, honeſtis facetisq; ſermonibus, aliquãdo ſymphonia, ſeu cantu muſico cum illis diem comburo. Si ſolus, tum aut teſtudinem pulſo, aut fabellas Æſopi, apophthegmata, hiſtoriam planam, & diſertè ac tersè conſcriptam, quandoque etiam feſtiua & pudica poëmata lego, quibus

lectiun-

lectiunculis oblecto otiolum meum, & tum ex ipſa rerum pulcherrimarum cognitione, tum ex ſermonis elegantia, quaſi aliud agens, vtilitatis fructum minimè pœnitendum excerpo. M. Liberalius, iucundius, conducibilius ſuadere tibi nihil potuiſſem: ſupra ætatem ſapis. Diebus feſtis quid rerum agis? D. Ad exercendam memoriam de poëtis veteribus, item ex Cicerone, Liuio, Salluſtio, locos inſignes ediſco, quia te id in laude ponere non ſum neſcius. Prętér iſta in Gręcis non parum temporis colloco. E ſacris auctoribus ad animum emendandum, etiam ſæpe aliquid lego. M. Probo ſummoperè inſtitutum. Quid? diem vacationis totúmne dum cubitum concedas, in ludo exigis? D. Deus auerruncet: ne tu ſuſpicere me vnum de inertium iſtorum eſſe ſodalitio, qui ludum & ferias in primis, ſtudia in poſtremis numerant. M. Quid ergo facis? D. Vbi horas aliquot corpus animumq́; iucũdè recreaui, & ad omnem me hilaritatem effudi, mihimet receptui cano, ad libellos regredior. Nam me quemcunque diem, quo non didicerim, perdidiſſe ſtatuo. M. Quàm non inuito ad aures ſermo hic tuus acceſsit? O te ſolertiſsimum, ô ſummè induſtrium adoleſcentem. Tu non amandus? tu non geſtandus in ſinu? Mane in hac ratione ſemper, téque ex ea lucrum emolumentumq́; vberrimum, & immortalis gloriæ ſplendorem acquiſiturum ſpera.

ANNOTATIONES.

AERE CAMPANO) *Vſus campanarum quàm antiquus ſit & varius, & quomodo ſacris & pro-*

ſanis in rebus adhibeatur, deq; illarum pulſu ad ſtudioſos in Academiam ſcholasq; conuocandos, lege Iunium lib.3.cap.11.& Midendorp.lib.1.cap.11. DIEM COMBVRO) Plaut. Menæch.

ME. Hoc mihi abs te caueo cautius,
Clam vxore vbi ſepulchrum habeamus, & hunc comburamus diem.
PE. Age ſanè igitur, quando æquum oras: quàm mox incendo rogum?
Dies quidē iam ad vmbilicum eſt dimidiatus mortuus.

Cuius loci hæc eſt, quamuis allegorica explanatio. Græci & Romani mortuos in rogum imponebant, & comburebant. Menæchmus optat ſepulchrum, id eſt, locum, vbi neſciente vxore diem iam ad occaſum præcipitantem, & veluti animam agentem abſumere poßit, hilariter nimirum & iucundè viuendo, epulando, & perpotando. Virg. eclog. 9. dixit: Cantando puerum memini me condere ſoles. Horat. Ode. 5. lib. 4. condere diem. Paraſitus autem, quàm mox, inquit, incendo rogum: id eſt, quàm citò prouideo, ſeu coquo obſonium, vt hunc diem comburamus, vt oppiparè epulemur? Nunc enim dies in pomeridianum tempus inclinatus eſt, & ita quaſi dimidiatus mortuus. Comburendus igitur. A COENA QVID INCOEPTAS?) Aut nullum ſit ſtudium nobis poſt cœnam, aut iucundum ſit, non ſpinoſum atque ſerium. Vult etiam Plutarchus. lib. de tuenda valetud. animum non vexari à cœna, neq; negotiis, neq; curis, neq; ſophiſticis contentionibus. Hiſtoricarum, poeticarumq; quæſtiuncularum

ſtiuncularum exercitationes, quas aliqui ſtudioſorum hominũ ſecundas menſas nominauerunt, non prohibet. DEVS AVERRVNCET) *Ruſticum verbum eſt à uerrunco, amputo, ſuccido, reſeco, à runca inſtrumento, quo vitium luxuries coërcetur. Inde per metaphoram pro depellere, auertere, remouere. Liuius lib. 8. Placuit auerruncandæ Deûm iræ victimas cædi. Cic. ad Att. lib. 4. Dij, inquit, auerruncent. Lucilius apud Nonium; Dij amentiam auerrunca ſſint tuam. Hinc Auerruncus Deus, à quo precari ſolebant, vt pericula auerteret. Varro lib. 6.* RECEPTVI CANO) *Militaris locutio, crebra Liuio. Veget. lib. 2. cap. 22. Tubicines ad bellum vocant milites, & rurſum receptui canunt. Græci* ἀνακλεῖν. *Receptus autem dicitur, quo ſe exercitus recipit.*

PROGYMNASMA
SEXAGESIMVM OCTAVVM.

Obſeruator.

OBSERVATOR, ATHANASIVS, MATTHAEVS, BONIFACIVS

OBSERVATOR. Vos tres, linguas geritis impensè liberas & expeditas, loquacitas vobis dominatur, meam admonitionem contemnitis ac pro nihilo putatis. Ecce in fabulatorum indicem vos refero. Si Pegaſo velociores ſitis, nunquam hodie effugietis infortunium. A. Conni-

Conniuiſti aliâs, conniue nunc etiam, & muta iſtam mentem,rogo;tacebo deinceps vt piſcis.M. Si nomina noſtra in catalogum retuleris,erit mihi,quod Prçceptori de te narrem. O. Quid dices? M. Cognoſces. O. Minas iactare cuiuis obuiũ eſt. M. Experieris. O. Nullius in me maleficij crimen admiſi,cuius me ſtimulet conſcientia. M. Senties. O. Nullum, inquam, crimen incurri, quo tu me accerſas;& non ignoro technas tuas. M. Videbis. B. Ne ſcribe nomen meum in tabula, donabo tibi quidpiam. O. Egóne vt patiar me abs te corrumpi muneribus? B. Lepidiſsimum eſt. O. Non curo. B. Simul aſpexeris,appetes. O. Mitte nugari,nihil habes quod dones. A Habet certè. O. Quin oſtendis? B. Ecce imago longè venuſtiſsima: auguſtiſsima Dei mater puerum IESVM vlnis ſuſtinens. Videtis vt amabiliter arridet nobis diuiniſsimus atq; belliſsimus infans? O. Hanccine daturus es? B. Daturus,ſi pollicere ſilentium. O. Polliceor,da. B. Quæ res feliciter ambobus eueniat, accipe. M. O factum bene, iam tu incorruptiſsime obſeruator nec me,nec Athanaſium audebis accuſare. O. Quapropter non auderem? A. Quia nos te accuſaremus, & tu penderes pœnas non leues, quod Præceptori infidelis ac perfidus extitiſſes. O. Ignoſco vobis ſimiliter, vt Bonifacio. M.Perplacet.Diſcede iam hinc,obſerua alios. A. Prô,quantum boni adepti ſumus hac luce,qui ab iſto quidem Obſeruatore quoad voluerimus tuti ſimus. B. Quînam? A. Si de fracta lege ſilentij poſtulare quenquam è nobis meditabitur, obiiciemus illi, quam abs te accipere non recuſauit elegan-

elegantem picturam vt ſileret: mutire non audebit. Nam tribus, tibi qui donaſti, mihi & Matthæo teſtibus oculatis plus vtiq; quàm illi ſoli vel iurato credet: periuriſsimum dicet, ſi deierauerit. M. Via reperta eſt commodiſsima ad euadenda verbera, propter iſtam congreſsionem noſtram videlicet imminentia. Vah.

ANNOTATIONES.

PEGASO VELOCIORES) *De equo alato, qui capite Meduſæ amputato à Perſeo, ex eius ſanguine natus repente proſiluerit, quomodo eo vſus ſit Bellerophon, Natalis Comes Mytholog. lib.7. cap.11. & lib.9. cap.4. fabulantur hunc eundem equum, cum terram vngula percuſsiſſet, fontem elicuiſſe, vnde ipſi nomen inditum Pegaſus,* πηγὴ *enim fons; qui quoniam Muſis conſecratus eſt, dicuntur illæ Pegaſides. Idem fons* ἱπποκρήνη, *& Muſæ Hippocrenides.*

PROGYMNASMA SEXAGESIMVMNONVM.

Formulæ petendarum facultatum.

LVDIMAGISTER, NICOLAVS, CRISPINVS diſcipuli.

LVDI-

LVDIMAGISTER. Quas ob res, Nicolae, conſueuerunt à Magiſtris poteſtatem petere pueri? N. Ob duas potiſsimùm. L. Scilicet. N. Ob exitum è ſchola, & abſentiam à ſchola ad tempus. L. Quapropter ſolent exire è ludo? N. Vel vt corpus leuent, vel vt emant aliquid neceſſarium. Item ob cauſſam aliquam omnino fortuitam. L. Eſtne more Cynicorum Stoicorúmue ſimplicibus, propriis, apertiſsimis vtendum verbis, ſine vlla præfatione honoris, cùm loquimur de illis naturæ humanæ neceſsitatibus, quas iam cogitatione præcipis: an potius tectis, ac prætextatis; vt quod re inhoneſtum non eſt, modò occùltè fiat, id verbo ne turpe obſcœnumq́ ſit? N. Ita tu quidem nuper ex Cicerone nos erudiuiſti. L. Velim petitiones aliquas iis verbis iteres, quibus à me accepiſtis. Agite pueri, auſcultate atque operam date, & quæ dicentur percipite.

N. *Caput, venter, dentes mihi condolent, Præceptor: quocirca precor, fac mihi copiã eundi domum.*

Febriculam, tentatiunculam ſentio: tua cum venia domum me recipere concupiſco.

Neceſſe habeo exire, Præceptor, ad hoc illudue emendum: ſi permittis, exibo, & poſt paulò reuertar.

Vocor domũ à ſeruo, ab ancilla: poſſum abire? L. Quomodo, Criſpine, abſentiæ facultas roganda eſt?

C. *Hoc*

C. *Hoc illúdue negotium mihi curandum, tranſactum reddendum, tranſigendum, perficiendum eſt, lauandum, hoſpitibus ſeruiendum, ægrotanti ſorori, fratri miniſtrandum.*

Parentes mei hanc, illam rem vt peragerem mihi præceperunt; huc, illuc me mittunt: quamobrem hodie, cras, biduo, triduo in ludo adeſſe non potero. Hac de re certiorem te facere volui, amantiſsime Præceptor, quo id te conſcio ac non repugnante fieret.

A ſcholis abfui heri, nudius tertius, quatuor, quinq; dies, &c. ob hanc, ob illam cauſſam; quam excuſationem ne repudies, te vehementer oro. L. Hiſce phraſibus edico à me poteſtatem petant omnes, & vſitatam ſibi, lutulentamq́; barbariem valere iubeant. Qui contrà venerit, is & quod petet non impetrabit, & modis accipietur tam miſeris, vt poſthac omnes barbariſmos odio Vatiniano oderit.

ANNOTATIONES.

MORE CYNICORVM) *Cynici non tantum, quod deuios allatrarent, vt canes faciunt, ſed etiã ob vitam illiberalem, ab humanitate & munditia remotam, appellationem hanc ſunt conſecuti in Græcia. Turneb. lib. 7. cap. 9. Teſtatur & Laert. ob ignominiam ſic nominatos.* ODIO VATINIANO) *Vatinium homi-*

hominem natum & ad riſum, & ad odium, ſcurram fuiſſe venuſtum ac dicacem memoriæ proditum eſt. In pedes ſuos ipſe plurima dicebat, & in fauces conciſas: ſic inimicorum, quos plures habebat quàm morbos, & in primis Ciceronis vrbanitatem effugit. Seneca lib. Quod in ſapientem non cadat iniuria. cap. 17.

PROGYMNASMA SEPTVAGESIMVM.

Certamen copiæ.

PAVLINVS, MAVRITIVS, EVGENIVS.

PAVLINVS. Vter veſtrûm paratus eſt mecum conſerere manus, conferre pedem, ſuſcipere bellum, certamen inire, prælio contendere, pugnam capeſſere, in arenam deſcendere, Martem laceſſere, armis experiri, dimicare, pugnare, certare, decertare, præliari, confligere? M. Ohe, quorſum tu inconſiderate tot ſynonyma, tot loquendi genera idem valentia conglobas? diceres ſemel vno verbo quid velles. Ecquid tibi vis tandem? E. Quod iſtuc prælium nobis, quam dimicationem offers? glorioſe miles. P. Demiror equidem non ſentire, non videre, non animaduertere, non intelligere, non percipere vos quid cupiam, qua de pugna loquar. E. Nempe tibi admodum plaudis de varietate ſermonis atq; copia, & tanquam Crœſus aliquis in tua affluentia nos vt Codro pauperiores auerſaris, noſtram pauper-

tatem

tatem deſpicatui ducis. M. Legiſtin mi Thraſo (mi Pauline volebam dicere) quid Archidamus Lacedæmoniorum Imperator, cùm in Arcadiam irrupiſſet, cognouiſſetq́; hoſtib⁹ Eleos ferre auxilium, quid, inquam, ad eos ſcripſerit? P. Quid ſcripſit? M. Hoc tãtùm: quies bona. Ne igitur te commoueas cum tuis copiolis, vt ne incidas in permagnos & valentes exercitus, à quibus re ad extremum perducta caſum, fœdiſsima ſtrage conciſus cùm fueris, tum deniq; diſcas quid moneat illud vetus adagiũ: Satius eſt recurrere quàm malè currere; palma in medio eſt poſita. P. Quod tuo capiti ſit. Rem iſtam mecum recta reputaui via, ſubduxi rationes, delectus egi: abſit verbo inuidia, eſt vnde vobis bellum faciam, copias magnas, valentes, virum à viro lectum viſuri eſtis. Quare ſi vos viri eſtis, non mulieres, ſi audetis, ſi vos vlla accendit tantarum gloria rerum, mouete, aciem inſtruite, & à iugulis veſtris vim meam prohibete. M. Vt ſæpe ſumma virtus in occulto latet? Hic Imperator quantis eſt ceruicibus? innumerabiles & munitiſsimas videtur vrbes expugnaſſe. E. In nobis mora non erit vlla, quoniam tibi inſanire libet. Pone in quo nos copia tecum decertare deſideras. P. Ponam verò. MORI, quot modis aliter efferri poteſt Mauriti? M. Multis, quòd neminem fugit, niſi qui literas fugit. P. Quot ergo? M. Tu numerato, ego proferam. P. Numerabo. At caue quidquam inquinatum ac lutulentum, tanquam bonis mercibus adulterinas, & argenteis nummis plumbeos admiſceas. E. Quorúmnam formas illas loquendi eſſe poſtulas? P. Ridiculus

es. Interrogas qualem cocum, quales epulas ſtomachus meus appetat? examuſsim optimum, & conquiſitiſsimas; architectorũ nimirum & principum latinitatis, M. Tullij, Cæſaris, Salluſtij, T. Liuij, Plauti, Terentij, Virgilij, Horatij, &c. nec enim poëtas excluſerim: aliorum deniq; probatiſſimorum ſcriptorum, etiam noſtri ſęculi, qui imitatione ad ſanitatem & mundiciem antiquorum accedere ſtuduerunt. M. Facient ad ſtomachum tuum, vti ſpero. P. Ordire, Eugenius te excipiet, ego poſtremo loco occidam vos: trecentos enim modos ad hanc vnam rem explicandam recenſebo. E. Baſilicas edictiones hic habet. Mira confidentia. P. Mira diligentia. Iam pro caſtris militem producito, quem ſub pellibus tutius contineas, vt ego ſentio. Fuga ſalutem petet, ſi non appetet. M. *Mortem cum vita commutare*, non, vt aliqui, phraſin non intelligentes, inuerſo verborum ordine dicunt, vitam cum morte commutare: hoc enim eſt ex mortuo viuum fieri; vitam ſcilicet pro morte recipere. P. Quis ita locutus eſt? M. Seruius Sulpitius diſciplina Iuris ciuilis eruditiſsimus, & oratione maximè limatus ac perpolitus, epiſtola qua Ciceronem de obitu Tulliæ conſolatur: *Poſteaquam mihi renunciatum eſt, &c.* lib. 4. epiſtolarum ad Familiares. P. Reperitúrne ibidẽ alius dicendi modus? M. Ita: *diem ſuum obire*. P. Sic eſt, perge. E. Mauritius didicit literas Pauline, & perſonam adhuc bene gerit. P. Nondum perculit. M. E voce, vita, frequentes naſcuntur formulę. *Vitam reddere: interdum adiungitur,*

natura,

naturæ, dandi caſus videlicet. Vitam deſerere, vitam dimittere, amittere, relinquere, edere, vita cedere. E vita cedere, diſcedere, decedere, recedere, excedere, à vita deſciſcere. Vita concedere, eſt apud Cornelium Tacitum. E vita ſeu de vita exire, migrare, demigrare. Extremum vitæ diem conficere, ſeu, morte conficere, vita carere. Reſtant modi quidam conflati ex vocabulis, anima, lux, ſpiritus, corp⁹, & aliis, quos relinquam Eugenio repręſentandos. P. Quomodo? tu repræſenta, tu promus eſto, ſi quid habes conditum præterea. M. Satis fore arbitror, ſi formarum numero ambo te quaſi coniunctis caſtris, duplicatiſq; viribus ſuperemus. Quòd ſi tu vni potes reſiſtere, duobus profectò non reſiſtes: nam neque Hercules contra duos. P. Attuliſti circiter quatuor & viginti: atqui plures exſpectabam. M. Mox addetur cumulus, vt ſint amplius quadraginta. Sudabis & algebis Pauline, ſi his noſtris omnibus prętermiſsis (quod neceſſariò tibi faciendum eſt) plus quinquaginta in medium adducere volueris: quot niſi adduxeris, palmã nequaquam obtinebis. Et veremur magnoperè, ne leonem pollicitus cùm ſis, murem oſtendas. P. Ego contrà vereor, ne vos falſa teneat opinio. Mecum erit iſte labor. E. *Animam efflare, edere, exhalare, agere, exſpirare, amittere. Lucis vſuram reddere, amittere, ex hac luce diſcedere, migrare. Extremum ſpiritum ſeu vitæ ſpiritum*

exhalare, ſpiritum, ſupremum vitæ ſpiritum edere, ſpiritum finire. Ab hominibus, ſeu ab hominum vita demigrare, inter viuos eſſe deſinere. In viuis, inter viuos numerari, vitam & ſpiritum ducere, vita & communi ſpiritu frui, vitam propagare deſiit, vita defecit, caſu ablatiuo. Intercluſa anima creditus eſt mortalitatem expleuiſſe. Cornel. Tacitus agens de Tiberio, annal. lib. 5. in extremo.

Poëtarum illa ſunt, vitale lumen, lucem relinquere, lumina linquere, occubare vmbris, linquere dulces animas; quæ duo ſunt Virg. in 3. Æneid. in quo & illud ad Æneam Andromache: Viuiſne? aut ſi lux alma receſſit? Idem in 11. perelegantur, capi leto, cùm de Camilla loquitur. Ibidem de eadem moriente: Vitaq́ cum gemitu fugit indignata ſub vmbras. Extremum efflare halitum, quo vſus eſt in ſecunda Tuſcul. diſputatione Sophoclis aliquot verſus in Latinum conuertens M. T. & in primo, leto potiri: Euthynous potitur fatorum munere leto. Vocant etiam mortuos carentes luce, caſſos lumine.

M. Non pœnitet virium, vtriq; noſtrûm magnū dediſti decus. Deſine plura, non vincet nos hodie. P. Vincam, ita ſim felix. Ac primùm ſimplices voces, quibus vti conſueuerunt auctores Latini, cùm de morte verba faciunt, producam: quas tamen veluti calones & lixas, non veros, auctoratóſque milites æſtimari, nec, quod ad victoriam attinet, vllo ipſos numero eſſe poſtulo. M. Fiat ſanè, dum fateare,

fateare, nos quoq; fungi potuiſſe hac opera. Quin etiam illas elocutiones commemores licebit, quibus præter naturam inuecta mors declaratur. P. Ita facere ſedet animo. Demum ad eas aggrediar, quæ ſunt veſtræ claſsis, eæq; partim oratoriæ, partim poëticæ: hoc modo numerus aduerſus numerum pugnabit; meus nempe maior contra veſtrum minorem. E. Placet: iam propoſita exequere; arrectis aſtamus auribus. M. Sed expediet fortaſsis tuos milites in procinctu teſtamentum facere, quoniam ſatis eſt credibile, apud inferos hodie cœnaturos. P. Quod facillimum eſt facis. M. Quid iſtuc? P. Homines vt irrideas: verùm noli, quæſo, iſtum vrbanitatis tuæ ſalem totum in me irridēdo conſumere. *Itaq; pro, mori, etiam dicimus interire, perire, occidere, extingui, obire, decedere, excedere, abſumi, decidere, &c. Plautus Trin. Nemo extat, qui ibi ſex menſes vixerit: ita cuncti ſolſtitiali morbo decidunt. Ibidem: Quin prius ad plures me penetraui? Et in Caſina. Qui nunc abierunt hinc in communem locum. Terent. Phormione: E medio abiit. Horatius quoque, &c:*

Nos vbi decidimus,
Quo pius Aeneas, quo Tullus diues & Ancus,
Puluis & vmbra ſumus.

Vixiſſe etiam dicuntur, & fuiſſe, quos mortuos ſignificare volumus, κατ' συνεκδοχήν. *Qui ſeu volentes, ſeu nolentes occiduntur, ij dicuntur*

vitam ponere, profundere. Virg. animas proiicere, in 6. Vita priuari, exui, eiici, ſpoliari, expelli, extremum ſpiritum effundere, mortem capere, è viuorum numero exturbari, à vita eximi, morte affici, multari, mortem oppetere, morte ſeu mortem occumbere, quod Virg. extulit in ſecundo, cum dandi caſu: Seu verſare dolos, ſeu certæ occumbere morti. Cic. 1. Tuſcul. è Poëta vetuſto: Priamo vi vitam euitari, id eſt, extorqueri; mitti ad mortem, vbi Socrates de ſe cicutam bibituro diſſerit, & 9. Philipp. Occidi, interfici, interimi, necari, mactari, obtruncari, iugulari. Iis item dicitur vita eripi, adimi, extorqueri. Liuius lib. 1. dare manibus dixit, pro interficere. Et Plaut. Aſin. morti dedere. Virgil. 4. Georg. dedere neci. E. Vellem in rem præſentẽ venire, ſi liber adeſſet. P. Nihil eſt opus: memini verba & locũ. De duobus Curiatiis tum à ſe peremptis, ac de tertio iam iamq́ perimendo ſic ait victor Horatius: Duos fratrum manibus dedi: tertium cauſſam belli huiuſce, vt Romanus Albano imperet, dabo. Malè ſuſtinenti arma, gladium ſupernè iugulo defigit, iacentem ſpoliat. *Plaut. Menæch. Quem ego hominem, ſi viuo, vita deuoluam ſua. Ibidem: Anima priuabo virum.* Ecquid plura expetitis? M. Non his contenti ſumus. Ad illa delabere, quæ ſunt inſtitutæ

concer-

concertationis propria; & memento quanta ſit à nobis coaceruata locutionum multitudo: ſimul in mentem reuoca, quid promiſeris. Et cùm nos in ſummam exſpectationem adduxeris, vide ne falſos turpiter deſeras. P. Non excidêre animo promiſſa. Accipite. *E corporum vinculis euolare, ex his tenebris in lucem illam excedere, à Deo euocari, ad Deum abire, in cœlum migrare, de vitæ ſtatione decedere. Ad illud diuinum animorum concilium cœtumq́ue proficiſci, ex hac turba & colluuione diſcedere.* Quæ quidem non de quibuſuis morientibus vſurpanda eſſe, ipſimet intelligitis, quando hæc Romuli nepotum diſertiſsimus Cicero de Romanis illis, Paulo Æmilio, Catone, aliisq́ue ſapientibus atque optimis viris, qui cum virtute ſcilicet æuum agitâſſent, in ſomnio Scipionis, in Catone, & in Tuſculanis vſurpauit: *quos præterea dicit corpore laxari, & eorum animas in cuſtodia corporis detineri; vt proinde talibus decedentibus dicere integrum ſit, ipſos è cuſtodia corporis euolare, elabi, emitti. Item vinculis corporum leuari. Si iam vocer ad exitum vitæ, ait de ſe epiſtola quadam ad Torquatum, lib. 6.* E. Eleganter animaduertiſti haſce elegantias. P. *Vitam finire, deſtituere, vita fungi, defungi, vitæ modum, finem imponere, ſupremum, vltimum vitæ diem agere, explere,*

rebus humanis eximi. Nodis corporeis eximi, apud Arnobiū lib. 2. In eodē: animæ corporibus exutæ humanis. Inter homines agere deſiit, legi apud Tacitum. Et Saluſt. in Iugurth. Quoniam mihi natura finē vitæ facit. Nō præteribo illa; ſi quid ei acciderit, ſeu humanitus acciderit. Cic. 1 Philip. & 1. Tuſcul cui ſimile eſt, ſi quid eo factū erit, ſi quid eo fuerit, pro, ſi mortuus fuerit: quo abſtinebant, ne malè ominari viderentur. Fato cedere, fato fungi, in fata concedere. E. Cuiuſnam hoc eſt? P. Opinor, Liuij. *Naturæ ſatisfacere, naturæ cedere, concedere.* M. Et hoc extremum? P. Saluſtij in Iugurthino. *Naturam ſatietate viuendi expleuiſſe dicuntur à Cicerone, qui decrepita ſenectute de vita exierunt. Mors continuò iſtam occupat. Terentius. Mortem obire, vitam finire, claudere, alicui vitam deficere. Item accuſandi caſu, Petrum vita defecit. Finem viuendi facere, inuenire.* Tranſeo nunc ad formulas Poëtarum, quarum tu, Eugeni, bonas quidem illas, at paucas protuliſti. E. Si libuiſſet, protuliſſem plures. P. Quin tu dicis idē quod in eclogis ille paſtor: Nunc oblita mihi tot carmina. M. Pauline, hîc Rhodus, hîc ſalta. P. Audite. *Fata ſubire, finiri leto, morte ſopiri, animas, vitam ponere, deponere, linquere, conſumi morte, ſupremam horam*

ram alicui veniſſe. Tibull. At mihi Perſephone nigram denuntiat horam. Idem: Quod ſi fatales iam nunc expleuimus annos. Agere ſpiritum, tenuem mutari in vmbram, mitti ad campos Elyſios, nigram tranare paludē, mors venit. Propert. Quandocunq; igitur noſtros mors claudet ocellos. Martial. Cùm mihi ſupremos Lacheſis peruenerit annos. Subire mortem, mortis iter adire. Eſt etiam in vſu apud eos rapi, pro emori. Virg. in Epitaph. ſuo: Mantua me genuit, Calabri rapuere: nam in Calabria deceſſit. Idem in 6. Æneid. de infantibus mortuis:

Quos dulcis vitæ exortes, & ab vbere raptos
Abſtulit atra dies, & funere merſit acerbo.

Propertius: Viuam ſi viuet, ſi cadat illa, cadam. Animam ponere primis cunis. Fata repellunt vitam, fata properant quietem, venire ad fata, petere aquas Stygias, intrare domos nigrãtes animarum ſilentûm, immites Parcas habuiſſe, ſenſiſſe. Lucretius vitæ pauſam vocauit mortem: Frigida quem ſemel eſt vitaï pauſa ſecuta. Cuius item illud elegantiſſimum eſt; vitaï lampada tradere: in 2. Vultis adducam verſus ipſos? E. Volumus, ſi commeminiſti. P.

Sic rerum ſumma nouatur
Semper: & inter ſe mortales mutuà viuunt.
Augeſcunt aliæ gentes, aliæ minuuntur,
Inq; breui ſpatio mutantur ſæcla animantûm,
Et quaſi curſores vitaï lampada tradunt.

Rurſum libr. 3. de Xerxe. Lumine adempto animam moribundo corpore fudit. De Epicuro ibid. Ipſe Epicurus obit decurſo lumine vitæ. & in 5. Illi quos à vita natura remouit. In 6. autem libro, cùm peſtilentiam deſcribit, quæ vrbem Athenienſem ciuibus exhauſit, Deus bone quàm venuſtis circuitionibus mortem ſeu obitum effert. Prorſus vt illud muſæum mel, illumq́ue muſæum leporem, quem toties nominat, agnoſcas.

Octauoq́ue ferè candenti lumine ſolis,
Aut etiam nona reddebant lampade vitam.

Horatius pro mori dixit, Ire Numa quo deuenit & Ancus. epiſt. ad Numicium lib. 1. Idem Ode 7. lib. 4. Nos vbi decidimus, Quo pius Aeneas, quo Tullus diues, & Ancus. Quem penes iam eſt victoria? equidem operâ haud parcus fui. M. Nunquam crediſſem tam pænè infinitis rationibus vnam hanc rem explicari poſſe: multis poſſe haud ignorabam, & non paucas ipſe annumeraui. Videntur Romani ſcriptores in effingenda hac tam multiplici varietate mortem honorare voluiſſe; quam fugimus quidem omnes, non etiam effugimus. E. Tollamus digitum Mauriti, ſepulti ſumus. Viciſti Pauline, fuiſtiq́ue ambobus laborioſior in obſeruandis tot loquendi generibus ſub vnum velut ſignificationis iugum deuinctis, & memoria es meliore. P. Nullum acroama, nullius vocem libentius audiebat Themiſtocles, quàm eius, à quo ſua virtus opti-

optimè prædicaretur. M. Hoc Themiſtocleum habes; illud aſſume, vt te Miltiadis trophęa è ſomno ſuſcitent. P. Teneo.

ANNOTATIONES.

QVOD CAPITI TVO SIT) *De hàc locutione Turneb. lib. 11. cap. 12.* VIRVM A VIRO LECTVM) *Faciebant Romani aliquando poteſtatem militibus, vt ſinguli notos ſibi, quorumq́ue virtuti confiderent, legerent, atque id potiſſimùm, cum periculum aliquod maius inſtaret, aut aliquis grauior caſus vrgeret. Reliqua Victor. lib. 18. cap. 19. & Turneb. lib. 25. cap. 7.* EXTINGVI) *Antiqui quod calore foueri ac vegetari omnia, & frigere cadauera cernerent, animum igneæ naturæ putauerũt eſſe. Ex qua opinione verbum extinguendi, quod in igne proprium eſt, in animalibus quoque cœptum eſt vſurpari, & verbum viuere ad ignem transferri. Hæc & plura Muret. lib. 7. cap. 6.* AD PLVRES ME PENETRAVI) *Cum Tarentinis editum eſſet oraculum, res eorum meliores futuras, ſi vnà cum pluribus habitarent, ita ſunt illud interpretati; ſi illos, qui migraſſent è vita intra vrbem reciperent (nam ad id vſque tempus mortuos, vt alij quoque Græci, intra oppidum non condebant) Rempub. ſuam bonam fortunatamq́ue fore. Verba oraculi hæc erant:* ἄμεινον καὶ λῷον ἔσεσθαι σφισὶ ποιουμένους τὴν οἴκησιν μέτα τῶν πλεόνων. *Victor. lib. 2. cap. 7.* QVI SEV VOLENTES, SEV NOLENTES) *De generibus mortis eruditè,*

ditè, eleganterq́ diſputat Manut. in epiſt. 12. lib. 4. apud Ciceronem. ANIMAM AMITTERE) *De hac locutione, & ſimul de varia notione huius vocis, anima, lege caput 12. lib. 1. Miſcell. Hieronymi Magij, qua vſi ſunt Plaut. in Amphit. Cicero ad Terentiam, Salluſtius in Catil. Probus in Epaminonda.* MORTEM OBIRE) *Feſtus. Mortem obiiſſe ea conſuetudine dicitur, qua dixerunt antiqui; ob Romam legiones ductas, & ob Troiam duxit exercitum, pro, ad. Similiterq́ vadimonium obiiſſe, id eſt, ad vadimonium iiſſe, & obuiam, ad viam.* E CORPORVM VINCVLIS EVOLARE) *Animal, vt conſtet, neceſſe eſt in corpore anima vinciatur. Ideo corpus* δέμας, *hoc eſt, vinculum nuncupatur, &* σῶμα *quaſi quoddam* σῆμα, *id eſt, animæ ſepulchrum. Vnde Cicero pariter vtrumque ſignificans, corpus eſſe vinculum, corpus eſſe ſepulchrum, quod carcer eſt ſepulchrum, ait: Qui è corporum vinculis tanquam è carcere euolauerunt. Macrob. in ſom. Scip. lib. 1. cap. 11.* NON ETIAM EFFVGIMVS) *Propert. eleg. 17. lib. 3.*

Sed tamen huc omnes, huc primus & vltimus ordo.
Eſt mala, ſed cunctis iſta terenda via eſt.
Exoranda canis tria ſunt latrantia colla,
Scandenda eſt torui publica cymba ſenis.
Ille licet ferro cautus ſe condat & ære,
Mors tamen incluſum protrahet inde caput.
Nirea non facies, non vis exemit Achillem,
Cræſum aut Pactoli quas parit humor opes.

Mar-

Martialis lib. 4.

Nullo fata loco poſsis excludere; cùm mors
Venerit, in medio Tibure Sardinia eſt.

Eodem.

Lanificas nulli tres exorare puellas
Contigit: obſeruant quem ſtatuere diem.

Lucret. lib. 3.

Vitaq́ mancipio nulli datur, omnibus vſu.

Ibidem.

Certè equidem finis vitæ mortalibus aſtat,
Nec deuitari letum pote quin obeamus.

TOLLAMVS DIGITVM) *Qui ſuccubuerat in conflictu, hoc indicio victum ſe fatebatur. Similia ſunt: tollere, dare manum, dare ſeu porrigere herbam, faſces ſummittere. Hoc extremum à Coſſ. ſumptum eſt, qui in concionem aſcenſuri, Publicolam imitati, de quo lib. 2. Liuius, faſces populo ſummittebant. Quod mirè gratum ipſi fuit, cùm ita confeſsio fieret, populi quàm conſulis maieſtatem vimq́ maiorem eſſe.* ACROAMA) *Cicero hæc pro Archia. Eſt autem acroama, feſtiua & iucunda narratio, tralatione à ſymphonia muſica, quæ olim in theatro hiſtrionum actionem commendabat, & auribus percipiebatur, vt illa oculis. Cic. pro Sextio Clodium acroama appellauit, quod & hiſtrionis & muſici partes gereret. Ipſe ille maximus Ludius non ſolùm ſpectator, ſed etiam actor & acroama.* MILTIADIS TROPHÆA) *Cicero Tuſcul. 4. Noctu ambulabat in publico Themiſtocles; quòd ſomnum capere non poſſet: quærentibusq́ reſpondebat, Miltiadis trophæis ſe è ſomno*

ſuſci-

ſuſcitari. Plutarch. in Themiſtocle idem narrans, addit. Reliqui enim cladem barbarorum Marathoniam belli finem eſſe cenſebant, at Themiſtocles eam initium maiorum certaminum putabat, ad quæ ſe pro tota Græcia aſſiduò præparabat.

PROGYMNASMA SEPTVAGESIMVMPRIMVM.

Cantus Muſicus.

SABINVS, CRESCENTIVS.

SABINVS. Auditione accepi, te in ludum itare muſicum Creſcenti. C. Méne? audiſti vera. S. Quoties per hebdomadem? C. In dies ſingulos. S. Qua hora? C. Duodecima. S. Vltróne pater voluit, an tu ab eo precibus id extorſiſti? C. Exoraui patrem: nec muto factum. S. Cur quæſo? C. Quæ hunc intemperiæ tenent? Haben' tu aures, an auriculas tantùm? S. Enimuerò habeo aures, niſi eas hoc temporis articulo perdiderim. C. Quid ergo interrogas, cur diſcam canere? S. Non abſurdè id quæro. C. At ego dico, abſurdiſsimè. Quid enim muſica dulcius? quid illa ſonorum temperatione auribus gratius, aut iucundius? S. Scire fidibus (quod ingraueſcente iam ætate Socratem Philoſophum didiciſſe fama vulgauit) & canere cithara, teſtudine, barbito, multò eſſe ſuauius quouis pignore contendam:

quà

quà de vocibus, libentiùs audierim Sirenas, aut luſciniolam, aut cygnum in morte canentem.

Dulcia defecta modulatur carmina lingua
Cantator cygnus funeris ipſe ſui.

C. Iſta reprehenſio inſcitiam tuam coarguit: nam ſi muſicam ſcires, nunquam facultatem nobiliſsimam in vituperationem adduceres. S. Non diffitebor me artem hominum feriatorum, languẽtium, & nihil agentium ignorare. Aures permulcet illa quidem, in animo voluptatis nihil relinquit, vt literæ. C. Neceſſe non eſt, ſi literæ ſunt bonum, muſicam eſſe malum: nec ſi illæ plus proſunt, ideo hanc nihil prodeſſe. S. Acumen dialecticorum. Patet tamen in muſica nimiùm deditos, eſſe idiotas ferè, tria verba latinè loqui neſcire. C. Haud me dedam immoderatè, non dico ampliùs. S. Nolim ego tempus diſperdere in repetendis, & vſque ad vomitum penè audientium recantandis per dies integros hiſce 6. ſyllabis, vt, re, mi, fa, ſol, la. Præterea in ligaturis, fugis, cantibus naturalibus, conſonantiis perfectis, imperfectis, reſolutionibus, diminutionibus, diapente, diateſſaron, & ſimilibus tricis. C. Mihi relinque iſtas tricas, & perpende in quos hoc maledicti cõferas. S. In neminem. C. In multos præſtantiſsima dignitate, & in excelſo ætatem agentes viros, qui animos pondere curarum laſſos, cantiunculis remittunt ac releuant. Sanctarum literarum ſumma eſt auctoritas, qua commendatur muſica. S. Noui tamen clariſsimos grauiſsimosq; viros, qui, ne ponantur in ſuſpicione leuitatis, canere cùm ſciant, cantu conſultò abſtinẽt. C. Faceſſe hinc

hinc Mome: tempus eſt in ludum eundi. Vale. S. Ito, ito, & bonas horas malè perde. Canta ab vſq; manè ad veſperam, canta in ſomnis quoq;. C. Et tu quoad lubet in cœlum iaculare.

ANNOTATIONES.

AVRES AN AVRICVLAS) *A vocibus hauriendis dictæ ſunt aures. Virg. 4. Æneid. Vocemq́, his auribus hauſi. Auricula eſt cartilago, aurium cauitatem circundans, cuius ima parte nihil mollius, tenerius, aut flexibilius in toto humano corpore. Hinc prouerb. Auricula infima mollior, in hominem lenem, lentum, minimè aſperum & iracundum. Vtitur eo Cicero. ad Q. F.* SIRENAS, LVSCINIOLAM, CYGNVM) *De cantu Sirenum vide Odyſſeam. Et parœmiam, Sirenum ſcopuli. Iſocrates ob dicendi ſuauitatem Attica Siren cognominatus eſt: Eadem de cauſſa Xenophon Attica Muſa, & apis Attica Sophocles. Luſcinia de qua multa Plin. lib. 10. cap. 29. inde dicta, quòd cantu ſuo ſignificare ſolet diei ſurgentis exortum, quaſi lucinia. Eadem & acredula. Cicero Prognoſt. Et matutinos exercet acredula cantus. Iſid. lib. 12. Dicitur græcis nominibus philomela & aëdon, propter amorem perpetuum cantandi. Plaut. Bacchid. Pol ego quoq; metuo, luſciniolæ ne defuat cantio. Cygnorum cantu apud vulgus & poëtas nihil notius, quos Plato in Phædone non ſolùm cum cantu & voluptate mori, ſed in vita reliqua muſicos & canoros*

canoros eſſe ſcribit. Lucianus tamen libello de cygnis, Aelianus lib. 1. cap. 14. Plin. cap. 23. lib. 10. negant cygnos canere. PONDERE CVRARVM LASSOS) *Quomodo cantus animum abducat à curis, à mœroribus, quomodo ſenſum malorum minuat, quantamq́ue delectationem habeat, lege Ouid. eleg. 1. lib. 4. Triſt.* FACESSE HINC MOME) *Fingitur quidam Deus hoc nomine, qui cùm ipſe nullum opus edidiſſet, aliorũ deorum opera curioſius contemplaretur, & carperet quàm liberrimè, ſi quid aut omiſſum, aut perperã factum putaret. In Venere quidem cùm aliud reprehendere nihil poſſet, reprehendit ſtrepitum & ſtridorem eius ſandalij. Hinc licebit ſandalium Veneris vſurpare, vt parœmiam, de re quoquomodo, & iniuſtè etiam reprehenſa.*

PROGYMNASMA SEPTVAGESIMVM SECVNDVM.

Græcæ literæ.

DOROTHEVS, MATTHIAS.

DOROTHEVS. Quid libri manu geris? M. Nicolai Clenardi Inſtitutiones linguę gręcæ: quæ lamentariæ mihi ſunt, neque eas ferè intueor, quin propemodũ illachrymer; certè quidem ſuſpiro. D. Hui egregium virum, & immortali virtute præditum. Num ſpicula vibrãt quibus te conuulnerent? M. Telis non aſpectabilibus

bilibus ſauciant pectus meum : quin cerebrum mihi excutiunt. D. Quî iſtuc fieri poteſt? M. Fieri ſentio,& excrucior. D. Quæſo, quid tu hominis es?abhorres nimio opere à lingua Græca: hoc illud eſt,hæc illa ſunt ſuſpiria. M. Non Pythium magis verum eſt reſponſum, quàm quod dixiſti. Etiam,abhorreo. D. Et quibus tandem ſuperatus rationibus? ne occultaueris. M. Ob inexplicabiles, immenſas, infinitasq; difficultates, quæ me potiſsimùm impediunt, & deterrent ab hoc ſtudio. Myriades contractionum in nominibus & verbis,in totidem partes diſtrahunt animum meum. Tot ſunt declinationes, tot coniugationes, tot anomola,quot Athenis noctuæ.Quis vel abũdatiſsimus otio iſta penitus memoria comprehenderit? D. Præclarè Terentius, opinor : Nulla eſt tam facilis res,quin difficilis ſiet, quam inuitus facias. Contrà Mantuanus Homerus : Labor improbus omnia vincit. Et alius. Amanti nihil difficile. Tuum ingenium,quod apparet,non capitur, non oblectatur hac principe, & regina linguarũ: ea re inuitus,& quod proximum eſt, minore cum diligẽtia,nulla cum nauitate ad haſce præceptiones diſcendas incumbis. Hæc vna res difficultatẽ exaggerat,vbi eſt aliqua difficultas; vbi autẽ nulla eſt, ibi eam progignit:ſicuti ex altera parte, amor & deſiderium rei alicuius adipiſcendæ efficiunt, vt quamuis oneroſus magnusq; labor, aut perparũ,aut minimè ſentiatur. M. Tu ſi hic ſis,aliliter ſentias. Scienti ac perito nõ videtur laborioſa ſcientia. Iam tu hæc liguriuiſti & concoxiſti, in quibus ego tam ſudo, quàm ſi molares effoderẽ.

D. Fa-

D. Fatebor candidè, per ſomnum & iocum hæc diſci nō poſſe: veruntamen minui, vel potiùs minùs ſentiri aio laborem, ſi generoſa diſcendi cupiditas affuerit, quæ frigidam ſuffundat. M. Tam fatuum & delirum non inuenies, qui nolit græcè noſſe. D. Cùm de voluntate loquor, non illā omnino deſidem, & operum ſolutā intelligi poſtulo, qua cupiunt quidam pecuniā facere, & amplificari patrimonia, cùm vacui negotiis domi ſedeant; qua honoribus augeri, cùm honore nihil dignum moliantur; quà eruditione præſtare, cùm ſe erudiendos nulli magiſtro dedant. Perquàm inſipiēter vult, qui ſic vult. Atque vt hoc tibi largiar, magnam ineſſe in præceptionibus difficultatem, tamen iſtuc ipſum cum multis pręcellentibus rebus iis commune eſt, de quibus dictitare illud ſolemus: difficilia quæ pulchra. M. Haud dicam dolo; labore & ſtudio me tantùm non eneco, nec tantillo magis inhæreſcunt in mente mea illi canones. D. Non pauci affirmant ſe hoc facere, nec faciunt. M. Quomodo? D. Quia cùm ſtudium à M. Tullio breui ac circumſcripta definitione explicetur his verbis: Eſt vehemens & aſsidua ad aliquā rem applicata magna cum voluntate occupatio; ipſi aut nō vehementer, aut non aſsiduè, aut ſi vtrumq; nō adeò magna cum voluntate occupationem ad Græcas literas applicant. Tu tacitus temet interroga, te excute, tecum conſidera, num ita te geras. Si geris; niſi bardus & truncus, ſtipes, caudex ſis, prætereq; figurā hominis nihil habeas, vtique addiſces Græcā grammaticen. M. A tempore ſubſecare nihil poſſum, quod dem Græcis

quotidie. D. An tu non potes minimùm ſemihoram tribuere? M. Latina hoc quidquid eſt temporis ſibi quoq; vendicant. D. Attende pauliſper animum. M. Do tibi operam, loquere. D. Si noſtrorum ſtudiorum præſides ac moderatores vidiſſent nõ ſufficere nobis ordinarium tempus ad Græca cum Latinis coniungenda, nunquam in catalogis librorum explicandorum, qui in annos ſingulos typis deſcribuntur, & luci committuntur, vllum auctorem libellúmue Græcum nominaſſent: nec Magiſtri, homines conſiderati & prudentes, hoc penſum à nobis exigerẽt. M. Sophiſma & captio iſta tua nil me conturbat: tu ſi quid es facturus, firmiora argumenta cõquiras neceſſe eſt. Ambo curare non poſſum. D. Tu verò potes, & poteris ſi voles. Aliorũ exempla, quos audiſti & vidiſti vtrunque ſtudium perſequi, tibi perſuadeant. M. Abundant ingeniis. D. Do hoc de aliquibus: voluntate quidem pollent ac diligentia, nec adeò ſunt imbelles vt tu. M. Poſtquam equis remisq́; contendero, non conſequar tamen conſummatam grammaticæ notitiam. Sic ego operam, parentes ſumptum perdiderint. D. Deſperatio quoque eſt mater ignauiæ, ac plurimos peſſundedit. Extermina hanc peſtem literariam ex animo tuo, ſperaq́; te adepturum omnia. Spes alit agricolas, ſpes ſulcis credit aratis. Ferrum aſsiduitate vſus atteritur; & quid ferro durius? aquæ guttæ cauãt marmor; & quid aqua mollius? marmore ſolidius? quî ergo aſsiduò impẽſa cura, perpetuatũq; ſtudium doctiorem te non reddat, minùs licet valentem ingenio, quo anteſtas compluribus?

pluribus? M. Quæ,per Deum, eſt tanta & tam fatalis huius trãſmarinæ linguæ neceſsitas? D. Multiplex & præcipua. Ea,(ne longum faciam) vt ſine eius cognitione manca & mutila ſit omnis doctrina; & qui eius expertes ſunt, ij nec latinè quidem ſcripta penitus percipiant. M. Paradoxa mihi narras. Doctiſsimos viros habeo nominare, & te nouiſſe multos arbitror, qui alphabetum non teneant, & Græcam legere vocem, cùm occurrit aliqua,neſciant funditus. Sunt qui in commentariis à ſe editis ita loquantur: Græcum eſt,nõ legitur. Item: Græcum hoc totum omitte. Iſti profectò exiſtimationis ſuæ non ideo iacturam faciunt, quia τιμὴ & ἄνθρωπος quid velint, aut qua ratione per caſus inflectantur,neſciant; & ſuarum artium alumnos citra damnum iſtiuſmodi otioſorum delectamenta negligere poſſe pro certo credunt. D. Bona verba. Commemini hac ipſa de re audire à Præceptore meo: ceterùm ego tantus adhuc non ſum, vt fuſiùs hoc de argumento mihi agendum putem. Cùm legimus quę ab eruditis de huius linguæ laudibus prodita ſunt ad poſteritatem,tum rationibus firmiſsimis, & bene multis demonſtrari cernimus, quàm ſit ad omnem diſciplinam vtilis & neceſſaria Græcarum literarum cognitio;id nos credere oportet tantiſper,dum reipſa experiamur:quemadmodũ morbis impediti credunt medicis, ad ſanitatem bonitatemq́ꝫ valetudinis profuturam ſibi potionẽ, & alia quæ ab iiſdem dantur pharmaca atqꝫ antidota. M. Sed Clenardus iſte perturbatus atqꝫ confuſus eſt,& meo quidem animo docendi viam ac

 metho-

methodum nullam videtur cuſtodiuiſſe. D. Hoc ipſum conſenſu iudicauerunt quidam docti homines: quocirca, quod in rem communem eſſet adoleſcētum, in ordinem certum ac facilem eius præcepta redegerunt. Eum librum in Galliis editum commercare: de tuis condiſcipulis ſunt qui parauerunt. M. Ante veſperam adibo ad tabernam librariam, empturus librum, quantóuis precio ſteterit. Abs te autem maximoperè pro noſtra ſumma coniunctione, tuaq́ humanitate peto & quæſo, ſi quando te interrogauero, ne deneges mihi operam, & hoc addas ad tua in me officia: ſtatui enim feruidiùs diſcere. D. De me ſic tibi promitto atq; confirmo; nihil cùm malim, quàm te grçcè vel optimè noſſe, non detrectaturum tua cauſſa puſillum hunc laborem. Tu modò fac animo erecto conſtantiq́ ſis, & caue vnquam in conſilium deſperationem adhibeas. M. Ero, ne diffidas: & hoc tuo facto ad eam quam ergo te habui voluntatem magnus cumulus accedet, contráq; omnia me quæ potero in te ſtudia & officia collaturum polliceor.

ANNOTATIONES.

MANTVANVS HOMERVS) *Aliquot epitheta Virgilij ab optimis auctoribus ipſi tributa afferamus; quò in promptu ſint ſtudioſis. Alex. Seuerus Imper. Platonem poëtarum vocabat. Plin. celeberrimum auctorem. Velleius, principem carminum. Marcellinus, eminētiſſimum vatem. Seneca, vatem maximum.*

Macro-

Macrobius, Homericæ perfectionis per omnia imitatorem. Idem Mantuanum Homerum. Fabius, auctorem eminentiſsimum. Auguſtinus, Poëtam maximum, omniumq; præclariſsimum. Quidam Iouem poëtarum latinorum. NON VIDETVR LABORIOSA) *Plures ſunt verbi huius notiones. Homo laborioſus eſt, quem Græci dicunt* φιλόπονον, *nos induſtrium. Item is, qui moleſtia aliqua impeditus eſt, ex qua ſeſe explicare nequit. Res etiam laborioſa dicitur, in quã multus impendendus eſt labor. Catull. Chartas doctas & laborioſas vocauit, magna diligentia ſtudioq; elaboratas. Secundam notionem confirmat illud ex Miloniana. Quid enim nobis duobus, Iudices, laborioſius? quid magis exercitum dici poteſt? qui ſpe ampliſsimorum præmiorum ad Rempub. adducti, metu crudeliſsimorum exitiorum carere non poſſumus. Prima tam eſt manifeſta, vt confirmationis ac teſtimonij nullius egeat. Eſt ergo hoc verbum de illorum ordine, quæ agendi patiendiq; vim habent, ſeu in vtramq; partem ſignificatione reciproca & aduerſa dicuntur: vt formidoloſus, inuidioſus, ſuſpicioſus, ambitioſus, gratioſus, infeſtus, metus, iniuria, neſcius, ignarus, &c. Gell. lib. 9. cap. 12. Huc etiam pertinet nobilis: dicimus quippe nobilis poëta, nobilis latro.* DOMI SEDEANT) *Sedere ſignificat interdum negligenter ſe gerere, pigrum, otioſum, ignauo animo eſſe, vt apud græcos* καθῆσθαι. *Cic. in Piſon. An poteſt vlla eſſe excuſatio, non dicam malè ſentienti: ſed ſedenti, cunctanti, dormienti, in maximo Reipub. motu conſuli?*

ſuli? Virgil. 3. Georg. Et meliora deos ſedet omina poſcens. Sic deſidere pro remiſſo animo eſſe. Sueton. in Iulio. Victor.lib.16.cap.20. & Torrent.in Sueton. Eandē vim habere apud Tullium verbum, tacere, notauit alicubi Manut. in eiuſdem epiſt. FERRVM ASSIDVITATE) *Plutarch.de lib.educand. Multarum rerum contemplatione addiſcere poßis, quantum efficacitatis habeat induſtria atque labor. Nam & aqua guttatim lapſa lapidem cauat: & ferrum atque æs manuum contrectatione atteruntur: & rotas curruum magno labore curuatas nullo poßis conatu in priſtinam reſtituere rectitudinem. Et quæ ſequuntur. Seneca item epiſt.50. Nihil eſt quod non expugnet pertinax opera, & intenta ac diligens cura. Robora in rectum quamuis flexa reuocabis, curuatas trabes calor explicat; & aliter natæ in id finguntur, quod vſus noſter exigit. Quanto facilius animus accipit formam, flexibilis, & omni humore obſequentior? Quintil.lib.1.cap.1. Præſtat ingenio alius alium. Concedo: ſed vt plus efficiat aut minus: Nemo tamen reperitur, qui ſit ſtudio nihil conſecutus.* AQVÆ GVTTÆ CAVANT MARMOR) *Lucret. lib.1. Stillicidi caſus lapidem cauat. Idem lib. 4.*

Nonne vides etiam guttas in ſaxa cadentes
Humoris longo in ſpatio pertundere ſaxa?

Rei paruæ & humili magna eſt in hiſce duobus verſibus quæſita dignitas. Quos cum illo ſanè abiecto & plebeio Naſonis comparat Victorius.

Gutta cauat lapidem, non vi, ſed ſæpe cadendo.

Propert.

Propert.

Quid magis eſt durum ferro, quid mollius vnda?
Dura tamen molli ſaxa cauantur aqua.

Idem lib. 2.

Sed tamen obſcura teritur rubigine mucro
Ferreus, & paruo ſæpe liquore ſilex.

PROGYMNASMA SEPTVAGESIMVMTERTIVM.

Bibliotheca.

ANTONIVS, CYRILLVS.

ANTONIVS. Vbi tu aut moratus, aut vagatus es tamdiu? C. Apud patruum erat quod tranſactum redderem negotium. A. Quid narras? quodnam negotium? C. Tua nihil refert: quare deſine percunctari. A. Difficillimum creditu; propter negotium, vt dictitas, dimidiatum penè diem illic te hæſiſſe. C. Propter aliud etiam. A. Parcam exquirere, quid fuerit illud aliud: ſi vltro aperueris, non inuitè auſcultauerim. C. Bibliothecam maxima impenſa, libris multis, variis, optimis refertiſsimam, locupletiſsimamq́ꝫ confecit. A. Quid hoc autem ad te? C. Quid ad me? ô Antoni. A. Etiam, quid ad te attinet, ſi ille bibliothecam comparauit? an tu idcirco eam es adepturus? C. Adipiſcar ſi vixero. A. Iam volo mihi pandas hoc myſterium. C. Audacter proloquar. Cùm defunctus eſſem mandato, quod à

patre acceperam,& rem abſoluiſſem ex ſententia; adeſdum Cyrille mi,infit meus patruus, paucis te volo; manuq́ apprehenſum in conclaue perducit,bene amplum,lucidum,abundè inſtructum & ornatum. A. Lubido eſt porrò audire:iucundum aliquid magnumq́ conſequetur. C. Magis id dices, ſi audieris. A. Ergo narra. C. Viſebantur ibi in ordines diſpoſiti libri per conclauis latera: vnumquodq́ habebat octuplicem ſeriem; maioribus aſcendendo minores ſemper magnitudine ac mole ſuccedebant, cùm ipſa quidem receptacula ſeu loculamenta eſſent libris proportione interuallorum reſpondentia. A. Quàm multos diuinas fuiſſe? C. Minimùm tria millia. A. Nõ aſpernandus numerus. C. Plurimi inſuper in aceruo ſoluti & rudes ex officina iacebant. Ceteri diligenter admodum compacti: alij tegumentis ſeu inuolucris erant ex albo corio, alij nigro, alij rubro: quidam membrana candida, & arida modò pumice polita tegebantur. Nonnullis, præſertim grandioribus,per quatuor vtriuſq; frontis angulos ex orichalco bullæ vmbilicatæ cernebantur affixæ. Claudebantur hi vncis æneis (clauſuras vulgò vocant) illi loris ſericis, alij coriaceis. A. Quod genus ſcriptores? C. Omne genus. Nam etſi patruus Iuris ciuilis ſcientiam profitetur,attamen non in politiores duntaxat literas præterea, verumetiam in Philoſophiam,Medicinam,& aliquantum in Theologiã ſtudium tradidit.In Rhetoricis & Dialecticis excellit. Græcæ linguæ iam inde à prima adoleſcẽtia ſe perſtudioſum extitiſſe affirmare ſolitus eſt: quam interdum ſeriò quidem

dem & ex animo, ſed ſuaui cum lepore promittit ſe mihi ſponſam cum lautiſsima dote relicturum,

Omnes quæ mecum meritis pro talibus annos

Exigat, & pulchra faciat me prole parentem:

hos enim ſimul de poëtarum Latinorum Platone verſiculos recitat. Non fugit prudentiſsimũ virũ, me eandem hanc efflictim deperire. Ergo quia omnem doctrinam liberalem combibit, & opibus præditus eſt, hinc tanquam cornucopię librorum poſsidet. Nec illi confusè locati: verùm diſpertiti in ordines certos viſuntur: hîc ad hanc, illic ad aliam diſciplinam pertinentes. Ad vnumquemq; verò ordinem porrectioribus elementis ſeu literis cubitum longis, vt iocatur Plautus, præſcripta pendent lemmata: THEOLOGI. PHILOSOPHI. IVRECONSVLTI. ORATORES & HISTORICI. PHILOLOGI. POETAE. GRAMMATICI. Adhæc quiſq; nomen ſuum in tergo gerit: terga enim oſtendunt intrantibus & aſpicientibus, vt nullo negotio quod quęris inuenias. Omnia deinde tam nitida & munda, vt in primis obſtupefactus, in paradiſum (vt noſtri loquuntur) te iures introgreſſum. A. Per quem hęc curat? nam ipſe, credo, hanc moleſtiam non ſubierit. C. Puerum mercede conduxit, promptum & impigrum, qui in ſingulos dies certa ac præſtituta hora puluerem de libris deuerrit; cúmque opus eſt, conclaue ſcopis purgat, & turbata ac diſiecta quæ ſunt, rurſum componit. A. Quid ibi eſt extra libros? C. Menſa cooperta tapete viridi laneo, pluteus, clepſydra, ceteraq; ſupellex in literas ſeſe abdentium. Adde monumenta nonnulla antiqui-

tiquitatis,vt ſtatuas paruas marmoreas, perquàm artificioſas, vt veterum Imperatorum nummos argenteos,vt illuſtrium pictorum tabellas,vt mathematica inſtrumenta & muſica. A. Quid poſtquam tibi demonſtrauit hæc omnia? C. Iuuat meminiſſe. Complexus me: Tua hæc erunt vniuerſa, Cyrille chariſsime,ſi colueris ſtudia literarum, vt inſtituiſti, nauiter; & quam exſpectationem tui concitâſti, eam ſuſtinueris. Nulla mihi vxor eſt,vt vides,nullus hæres:te harum,quantęcunque ſint, copiarum mearum hæredem ex aſſe teſtamento ſcribam nominatim.Noli quęrere;ita ſum hac tam ſingulari ac diuina promiſsione affectus,vt ebrius lætitia neſcirem vbi conſiſterem. A. Tam valde hoc facto delectatum eſſe te non miror;nihil enim potuit fieri amantius,nihil dulcius. C. Gratias contrà agebam immortales,pollicebar montes aureos. A. Heu, cur ego quoque talem patruum ſortitus non ſum? vt nimiùm longe meis tuæ fortunæ præcedunt? C. Non cuiuis homini contingit adire Corinthum.

ANNOTATIONES.

ADuerſum eos, qui maximis impenſis ingentem librorum multitudinem comparant, quibus non tam vtantur quàm glorientur, lege quæ ſunt apud Senecam cap.9. de tranquillit. animi. Quo mihi, inquit, innumerabiles libros, & bibliothecas, quarum dominus vix tota vita ſua indices perlegit? onerat, diſcentem turba non inſtruit: multoq́ſatius eſt, paucis te auctoribus tradere,

tradere, quàm errare per multos. Quadraginta millia librorum Alexandriæ arſerunt, pulcherrimum regiæ opulentiæ monumentum. Alius laudauerit, ſicut Liuius, qui elegantiæ regum curæq́; egregium id opus ait fuiſſe. Non fuit elegantia illud aut cura, ſed ſtudioſa luxuria, &c. RECEPTACVLA SEV LOCVLAMENTA) *Poſteriore voce appellat Seneca illos quaſi cancellos, per quos libri in bibliothecis diſponuntur. Cic. ad Att. lib. 4. epiſt. 18. pegmata vocat, quanquam & aliud eodem loco ſignificare poteſt. Vide Manut. Epiſtola verò 4. lib. 4. cùm, inquit, offendes deſignationem Tirannionis mirificam meorum librorum, intelligit eorum diſpoſitionem, collocationem, deſcriptionem, & diſtributionem ſuo cuiuſq; loco. Argumento locus eſt epiſtolæ 8. non longè à principio. Poſteaquam verò Tirannio mihi libros diſpoſuit, &c. Lamb. annotat. Sittybas in extremo epiſtolæ 5. lib. 4. Manut. interpretatur membranulas, quarum integumento libri à pulueris temporisq́; iniuria diutius integri conſeruantur.* IN RHETORICIS ET DIALECTICIS) *In Muſicis, in Dialecticis, Arithmeticis, Grammaticis, malebant dicere veteres, quam in Muſica, ſeu, in arte Muſica, in arte Dialectica. Cic. 1. de Orat. in muſicis numeri, voces, & modi. & lib. 4. ad Attic. epiſt. 16. muſicis eruditos. Terent. Eunuch. fac periculum in muſicis. Cic. ad Att. lib. 12. hominem remotum à Dialecticis, in Arithmeticis exercitatum. Et 1. de natur. Deor. Tantos progreſſus habebat in Stoicis. Obſeruauit Manut.* MIHI SPONSAM CVM LAVTISSIMA) *Cice-*

Ciceronem quoque delectauit audacior iſta metaphora. Nam ad Atticum lib.1.epiſt.8.ſic ait. Bibliothecam tuam caue cuiquam deſpondeas, quamuis acrem amatorem inueneris. Nam ego omnes meas vindemiolas eò reſeruo, vt illud ſubſidium ſenectuti parẽ. Et epiſt.ſequenti apertius. Libros verò tuos caue cuiquam tradas: nobis eos quemadmodum ſcribis conſerua. lib.3. Libros tuos conſerua, &c. ILLVSTRIVM PICTORVM TABELLAS) *Imagines doctorum, clarorumque hominum in bibliothecis collocabant. Cicero ad Att.lib.4.epiſt.9. Maloque in illa tua ſedecula, quam habes ſub imagine Ariſtotelis ſedere, quàm in iſtorum ſella curuli.* HÆREDEM EX ASSE) *De diuiſione aſſis in 12. partes lege Alex. ab Alex.lib.1.cap.1.*

PROGYMNASMA
SEPTVAGESIMVMQVARTVM.
Deſcriptio Gymnaſij.

FABIANVS, SYLVESTER.

FABIANVS. Schola iſta noſtra, in quam ad ingenij culturam percipiendam in dies cœpimus commeare, pulcherrimè commodiſſimeq; exædificata mihi videtur: idem tibi videri, nunquam in incerto habui. S. Bene: & antepono illam multis aliis, quas vidi, in quibus ſtudiorum gratia verſatus ſum hactenus. F. Primùm (vt inde potiſſi-

potiſsimùm laudationem exordiar) excitata eſt eo ciuitatis loco, qui omni ſtrepitu, clamore, turbis caret. Non hîc eſculenta, poculenta, non ſcruta venduntur: nullæ in hac vicinia cauponæ, nulli ſalſamentarij, ſalgamarij, myropolæ nulli. Non fabri aſsiduè incudem tundentes, non doliarij, non aurifices, non demum eiuſmodi opifices, qui totum diem pulſibus perſtrepunt, nulli circuli, non colludentes & concinentes pueri ac puellæ. Hîc ſumma quies, hîc alta ſilentia: prorſus, ſicut illa prætoria, ſeu magiſtratuum palatia apud Perſas, de quibus Xenophon in vita Cyri. Nec enim carmina ſolùm, vt inquit vates Sulmonenſis, ſed vniuersè & generatim ſtudia omnia bonarum artium ſeceſſum quendam & otium, hoc eſt, tumultus, negotiationumq; vacuitatem requirunt, vel potius flagitant. S. Haud quidquam hac veritate verius. F. Tum ſalubri quoque ſub cœlo condita eſt; quod in eadem vrbe non omnibus ſemper ædificiis contingit: quædam enim craſsiore, & corporibus humanis peſtilente circumfunduntur aëre. Academiam illam Athenis amœno & nemoroſo, at minimè ad tuendã ſanitatem accommodato ſolo traditum eſt conſtructam fuiſſe. S. Vt memoria mea eſt, hoc ipſum quod affirmas alicubi ſcriptum legi. Et æquum eſt, cùm alioqui integra valetudo ſtudiorum diuturnitate ac vehementia corrumpatur, non ibi conſtitui gymnaſia, vbi procliuius eſt, eam omnino perdi, quàm recreari & conſeruari. F. Nullæ domus ita contiguæ, vt officiant luminibus. Iam verò quàm excelſi parietes? quàm ſublimę & ad pluuiarum de-

fluxus

fluxus pręceps aptatumq́ꝫ tectum? Ipſa forma domus non proiecta in longum, non extenſa nimis in latum, non trilatera, ſed πτϱάγωνος ſiue quadrata: ita tamen, vt ſit aliquantò longior quàm latior. Porta ingens, & aſpectu auguſta ac venerabilis, à ſcalptore & pictore emblematis inſigniter decorata. S. Illi ordines feneſtrarum, infrà quidem latis luminibus, ſuprà anguſtiorū, omnium autem inter ſe ad perpendiculum æqualium, ecquid ornamentum addunt? F. Eximium. Vbi ingreſſus fueris, ad læuam auditoria duo, ad dexteram totidem: ambulatiunculæ ante ſcholas, & inter ſcholas. Inde gradibus ſeptēdecim ex albo expolito lapide, quatuor cubitos longis, vnum penè latis aſcenditur. Rurſum ibi quatuor gymnaſia, cum ſuis ambulatiunculis. Non ſe mutuò poſſunt impedire diſcipuli, nec magiſtri alter alterum clamoribus obtundere. Suggeſtus vt bellè laborati? ſupra velut tecta impēdent, ne diſsipetur vox docentium; adhærentia autem ipſis, non vt in ſacris ædibus, diſiuncta à concionatorum cathedris. A terra quatuor gradibus eleuati, quò videri audiriq́ꝫ ab vniuerſis doctor facillimè queat. Non in dextro aut ſiniſtro latere, ſed ex aduerſūm portæ collocati, vt intrantes primo aſpectu in Magiſtrum incidant, & ipſe ſine circumactu capitis auditores ſuos, & quemcunq́ꝫ ingredientem poſsit aſpicere. Vt ordinatim diſpoſita ſedilia? ſic, vt ex omni parte, à fronte, à tergo, à dextris, à ſiniſtris inter ipſa & parietem ſpatia fieri queant. Vt dolatis è tabulis ſpecioſa laquearia? vt circum feneſtras decentiſsimè depictæ vites, roſæ, flores denique?

nique? quàm mundum, candidum ac ſubtile tectorium? nihil vſquam fractum, nihil ruinoſum, aranearum nihil. S. Aulam omittis? F. Nónne hæc ſcholis incumbens,& in ſummis ædibus ampla, tabulatiſq; ornatiſsima, & picturis egregiis mirabiliter locupletata eſt? S. Aſſentior. F Nónne ad oratorias exercitationes, ad comicas quoq; actiones opportuniſsima? S. Nimirum. F. Nónne templo quàm ſimilliſima? S. Etiam. F. Quid igitur ſalubrius, quid ſplendidius noſtra ſchola? S. Nihil. F. Quàm adhæc frequentes diſcipuli? quàm eruditi Magiſtri? Breuiter; ſi Muſæ cum Apolline ſuo Heliconem relinquant,huc inprimis, & cupidiſsimè commigrent. S. Me adſcribito huic tuæ ſententiæ.

ANNOTATIONES.

SECESSVM QVENDAM) *Plutarch. de Curioſit. Siquidem & Muſæa quam maximè procul ab vrbibus collocabant, & noctem εὐφρόνην appellabant, videlicet arbitrantes quietem & aſsiduitatem illam nullis interpellantibus aliarum rerum curis, multum habere momenti ad inuentionem eorum quæ inquirantur.* SALVBRI SVB COELO) *Cœlum pro aëre dicunt latini. Hinc loci & cœli grauitas, cœli ſalubritas, cœlum graue, ſalubre, peſtilens, pro quibus barbari, mala aura, malus aër, inſalubris aër. Plin. li. 2. cap. 38. Namq; & hoc cœlum appellauere maiores, quod alio nomine aëra: omne quod inani ſimile, vitalem hunc ſpiritum fundit.*

PROGYMNASMA SEPTVAGESIMVMQVINTVM.

Pædagogi.

EVTROPIVS, LEOPOLDVS, TIBERIVS.

EVTROPIVS. Lachrymas effudiſti Leopolde, etiamnum quippe in tumore ſunt oculi, & rubent. Hem, quę cauſſa ploratus? L. Ploraſſes tu nihilominùs, pro certo, ſi pædagogus tuus ſimilem in modum tibi blanditus eſſet. T. Eia, blanditus? fortaſſe in te miſello virgæ rurſum exultauerunt. Factum eſt hoc Leopolde? L. Factum eſt. E. Quid ais? L. Dubium hac de re nullum eſt; nimis apertum atq; indubitatum eſt pellem mihi vſque ad ſaturitatem conſauciatam flagris. E. Prædurum pædagogum prædicas. L. An vos nunquam à veſtris flagellamini? T. Perquàm raro, Leopolde. L. Nimis propitios ac lenes habetis; ac proinde vereor vt vos ſitis boni pueri. E. Quin ſęuiſsimi ſunt: quare nos plagas & increpationes illorum ſuprà quàm cuiquam credibile eſt metuentes, officium vltro exequimur. L. Meum, vt arbitror, ſæuitia non anteibunt; qui tyrannidem in me quandam exercet. T. Tyrannidem? L. Inprimis omnia dicta, facta mea curioſiſsimè obſeruat: non poteſt tamen noſſe quæ mente agito (rumpatur licet) nam cogitata ſunt cuiq; libera. E. Meus æquè, vt ſcias, non dormit. T. Nec meus pro-

profectò. L. Quandocunque non videt aſsidentem libro, ſuſpicatur, ſuſpicatur autem? imò credit me ludere, vixq; ad naturę requiſita concedere patitur. T. Auges rem in maius: non equidem puto tam ab omni humanitate derelictum & agreſtem. L. Neſcio mentiri. E. Quàm ſæpe rationem poſcit eorum, quæ in ſchola audieris? L. Fermè in dies ſingulos. E. Quid facit tibi, ſi quærenti imperitè reſpondeas? L. Minatur. T. Si iterum? L. Ferociùs minatur. E. Si tertiùm? L. Vobis iſtuc cogitandum relinquo: dolet enim vel dictu, nedum perpeſſu, qùod iſte plagoſiſsimus homo mihi tertiùm peccanti conſueuit facere. T. At noſtri (quod inter nos liceat dicere) tota hebdomade vix ſemel nos examinant; quia videlicet ponunt, nos eſſe diligentes, vt reuera ſumus. L. Quid igitur iſtuc eſt, quod diligentes iſti tam crebrò in ludo vapulant? E. Nimiùm argutaris. Sinítne diutius te dormire? L. Dormire? propemodum ante galli cantum, multa adhuc nocte è ſomno me Stentorea voce excitat. Diebus feſtis ad quintam, & hyeme ad ſextam ægerrimè ſinit requieſcere. E. Nos, Tiberi, præ Leopoldo beati ſumus, quibus conceditur in lucem cubare ſæpius. L. Num intelligitis iam verum me dixiſſe; habere vos pædagogos plus æquo indulgentes? T. Non non: hanc enim lenitatem & indulgentiam ſeueritatibus nonnullis affatim compēſant. L. Quibus? T. Proferrem, ſi ex vſu tuo fore iudicarem. L. Cur non erit? nam hinc me non ſolum miſerum eſſe cognoſcam. T. Cogunt in ſacris precationibus multum abſumere temporis; inſo-

lenter ac rarò permittunt operã dare luſibus; ob leuiſsimam culpam interdicunt ientaculo: nonnunquam merendam quoq; eripiunt; ſilentium vt Pythagoreis imperant. L. Clementior meus eſt aliquanto, confiteor. E. At tu paulò antè quaſi quendam carnificem ipſum deſcribebas. L. Verumenimuerò quod vos de veſtris, idem ego nũc de meo: lenitatẽ vnam tribus ſeueritatibus compenſat. Dies me citiùs relinquat, quàm enumerẽ quas mihi leges, quàm multas, quàm duras ciuilitatis & modeſtię impoſuerit; quoties apud parentes coram & per literas accuſarit. Omnipotens & miſericors Deus, da mihi alium pædagogum. E. Timẽdum, ne malo peior ſuccedat, eueniatq; tibi, & nobis, ſi idem quod tu optemus, illa aſini calamitas apud Æſopum. L. Quę calamitas? E. Seruiebat olitori, & quoniam ille præparcè pabulum dabat, multumq; laborare cogebat, precatus eſt Iouem aſellus, vt alteri domino venderetur. Iuſsit figulo vendi. Hîc aſinus iniquiore animo geſtare cœpit onera, nempe teſtas & lutum. Rurſus ergo cùm rogaſſet, vt ſibi dominum liceret mutare, coriario eſt venditus, Tum peiorem prioribus herum nactus, videnſq; quid ille faceret, cum ſuſpirio; Væ miſero, præſtabat apud priores manere dominos. Nam hic, vt video, pellem quoq; meam conficiet. Conſilium meum eſt, vt cuicuimodi ſunt pædagogi noſtri, eos toleremus. Et quoniam id quod volumus, fieri nunc haud poteſt, velimus quod poteſt: donec, vbi ex ephebis exceſſerimus, in tutelam noſtram veniamus; tunc poteſtas dabitur viuendi liberiùs. L. Nunquam vidi melius

dari

dari conſilium. E. Et iſti pædagogi, quod more iam receptum eſt, fient patresfamiliâs, ducent vxores, quæ nos multimodis vlciſcentur, & iſtis maritis ſuis magnum dabunt malum, poſtquam illi argento accepto, imperium dote vendiderint. L. Meus ſi pro peccatis in me commiſsis centum ducat vxores, parum eſt.

ANNOTATIONES.

STENTOREA VOCE) *Homer. Iliad. 5. Stentori attribuit vocem ferream, id eſt, firmiſsimam, eumq́ affirmat clamoris magnitudine æquare alios quinquaginta. Hinc vox ſeu clamor Stentoreus, pro maximo.* MERENDAM ERIPIVNT) *Feſtus. Merendam antiqui dicebant pro prandio, quod ſcilicet medio die caperetur. Nonius. Merenda dicitur cibus, qui poſt meridiem datur. Iſidor. lib. 20. cap. 2. Merenda eſt cibus, qui declinante die ſumitur, quaſi poſt meridiem edenda, & proxima cœnæ. Vide Hieronym. Mercurial. variar. lect. lib. 4. cap. 17. & Muret. lib. 4. cap. 12. quoties antiqui cibum in die ſumpſerint.* EX EPHEBIS EXCESSIMVS) ἐφηβία *eſt finis pueritiæ, principium adoleſcentiæ, ſeu extrema pueritia, & prima adoleſcentia, ſeu prima pubertas. Terent. And. Nam is poſtquam exceſsit ex ephebis, liberius viuendi fuit poteſtas. Eodem modo Plaut. Mercat. Cic. pro Archia. Nam vt primum ex pueris exceſsit Archias.* IN TVTELAM NOSTRAM VENIAMVS) *Tutela definitur à Iurecoſ. vis ac poteſtas in capite libero ad tuendum eum, qui ſe per ætatem defendere nõ poteſt,*

iure ciuili data ac permiſſa. Quam vim ac poteſtatem qui habent, tutores appellantur. In ſuam tutelam venire aut peruenire, eſt ad pubertatem peruenire. Cic. 1. de Orat. Negaretq́; niſi poſthumus & natus, & antequam in ſuam tutelam perueniſſet, mortuus eſſet, &c. Item 2. de Inuent. Quidam pupillum hæredem fecit, pupillus autem ante mortuus eſt, quàm in ſuam tutelam veniret.

PROGYMNASMA SEPTVAGESIMVMSEXTVM.

Præceptores.

RVFINVS SERENVS, FLORENTIVS.

RVFINVS. Quotus annus voluitur, Serene, cùm limina ludi literarij calefacis? S. Iam octauus inſtat. Vos, quamdiu frequentaſtis gymnaſium? F. Ego annis ſeptem. R. Nec pluribus, nec paucioribus ego. Quis autem qualíſue fuit, quem primum es adeptus in patria tua didaſcalum? S. Nomen erat viro, illi nomen erat: iam iam verſabatur mihi in labris primorib9, ab aſpiratione inchoatur. R. Hieronymus. S. Non eſt. R. Hieremias? S. Non eſt. R. Hilarius? S. Non eſt. R. Henricus? S. Hem iſte eſt: ſatis intra labra atque dentes iacuit. Henricus ergo audiebat: cui indi-

indigenę à promiſſa ad pectus,& rufa barba,ænobarbo poſtea cognomentum indidere. F. Cuias erat? Germanus, Belga, Italus? S. Germanus: &, quod quaſi per nebulam recordor, Miſnenſis; illa enim dialecto loquebatur, molliſsima nimirum ac ſuauiſsima, qualem teſtantur harum rerum periti fuiſſe linguam Ionum quondam inter Gręcos. R. Vbi ſita eſt tua patria? S. Attingit fines terræ Miſniæ. Pergam vt exorſus ſum de illo Magiſtro dicere. F. Si moleſtum non eſt. S. Statura eius iuſta longior, vultus placidus & mitis. Deduxit domum non multò pòſt, quàm iniuit docendi prouinciam, prædiuitem viduam: etenim in noſtra regione ludi moderatores ſunt feliciores quã alibi, quando perfacilè bene dotatas vxores inueniunt. Interpretor hoc dari literarum ſcientiæ à ciuibus noſtris, & in parte beatitudinis numerari à fœminis, coniunctam eſſe cum erudito homine. F. Quemadmodum Henricus ille puerum te tractabat? S. Næ, primis menſibus amanter, & perhumaniter, poſtmodum aſperiùs & auſteriùs, vt mihi tum videbatur. R. Cur ita? S. Audies. Sodales mihi erant pueruli coæui tres, ciuium primariorum filij: cum iis me ſeparatim in humili ſcamno collocabat; eramus ſiquidem omnes puſilli ac teneri. Quoties autem ingrediebatur ſcholam, toties ferè nos ipſum propter adeo prolixam barbã nonnihil timentes (vt illa ætas metum in ſe concipit facillimè) placidiſsimis oculis aſpectare, & capita noſtra manu demulcere ſæpicule, inſuper ſingulis aut aridas fic⁹, aut in cucullis coriandri grana, & amygdala ſaccharo obducta porri-

gere, hortariq́; nos ſuauiter ſubridendo, & multa pollicendo vt diſceremus alacriter. R. O dignum ſtatua Præceptorem, & cui victus publicè in Prytaneo præbeatur. S. Diſsimulabat præterea, ſi interdum confabulantes cerneret. Scholis finitis, domum ſuam, quæ in proximo erat, aliquando ſecum abductos, priuatim docebat; & nunc paſſulis, nunc ſcriblitis donatos dimittebat. F. Aureum Præceptorem narras. Nunquámne verò te cecîdit? S. Vſque hodie tangit animum memoria illius nefaſti diei. Cùm malè legerem libellum Germanicum, hæſitaremq́; ad tertium aut quartum quodque verbum, ille me obiurgare, ego hærere, pallere, tremere. Cùm autem perperam legendi hæſitandíque finem non facerem, afferri virgam iuſsit. F. Oh, tam ſæuiter? S. Tum, vt paruulis fieri mos eſt, ſuper genua ſua ipſe ſedens me compoſuit, perinde ac lanius ouiculam iugulaturus, méque graphicè profectò tetigit, multumque eiulantem à ſe repulit. R. Ha ha hæ. Non tu ibi cogitare: papæ, quid hoc prodigij? quæ iſta eſt mutatio? vbi ficus? vbi ſaccharum? vbi ſcriblitæ? vbi tam mellita verba? S. Hæc ipſa voluebam Rufine. F. Sed quid ais? Qualis in reliquum tempus in te extitit? etſi ſuſpicione iam præcurro. S. Non ampliùs blandus, ſed rigidus; non pater, ſed triſtis quidam patruus. F. Quoties demulſit caput tuum? quoties munuſcula? S. Hæc omnia in flagella & verbera conuerſa ſunt. F. Multa ex quo fuerunt commoda, eius æquum eſt ferre incommoda. S. Rides? Meminiſtíne verò tu illius temporis quo rudimenta literarum

poſui-

poſuiſti? F. Valde. S. Similíne modo actum eſt tecum? F. Ah, longè diſsimili. S. Dic, ora. F. Altero ſtatim die cæſus ſum, &, ſi cutem meam ſpeculere, nihil te vidiſſe magis lacerum iures. R. Quantum auguror coniectura, eras puer nequã, & parum aut nihil diſcebas, quandoquidem, vt tute commemoras, tam egregiè conciſum eſt tibi corium. F. Tu ſcilicet in roſa educabare. R. Summùm ter quatérue triennio toto percuſſum me recordor: nec id tam propter ſtudia, quàm puerilem inſolentiam atque licentiam. S. At hoc tempore, eſtíſne adepti Magiſtros pro arbitrio? R. Diligentiſsimum ſcio eſſe meum, venire in ludum tempori, exigere rationem à diſcipulis quotidie, docere accuratè, emēdare ſcriptiones ſollicitè, tradere pietatem & virtutem, punire ſontes pro delicti grauitate, amare & laudare induſtrios, hortari ſegnes & cogere. F. Meus ſanè quidem nec omnia hæc, nec nihil horum. Fœcundos calices amat, & inuenitur non rariſsimè vino madidus: hoc, ſi rectè ratiocinor, parum decet. Quod crebrò facit pueris ludendi copiam, non reprehendo; mallem tamen aliquando non luderemus. Scitè dictum, ne quid nimis. S. Nos quali Magiſtro vtamur in præſens, ex diſcipulorum doctrina moribusq; puto perſpici poſſe. Quod querar, penitus nihil habeo. R. Gratulor tibi tanto bono.

ANNOTATIONES.

LIMINA LVDI CALEFACIS) *Calent loca, quæ frequentantur. Sueton. Octa. cap. 71. Luſimus per omnes dies, forumq́ aleatorium calefecimus. Verba ſunt ipſius Auguſti ex quadam epiſtola.* Catull. *Galliambo: Mihi ianuæ frequentes, mihi limina tepida.* HENRICVS AVDIEBAT) *Græci verbum ἀκούειν vſurpant interdum pro vocor, dicor, nominor. Sic latini, vt* Horat. *epiſt. 7. lib. 1. ad* Mecœnatem, *rexq́ paterq́ Audiſti coram, nec verbo parcius abſens. Idem epiſt. 16. Tu rectè viuis, ſi curas eſſe quod audis; id eſt, quod diceris.* DEDVXIT DOMVM) *Ducere & deducere domum ad matrimonium & nuptias etiam ſignificandas adhibentur.* Plaut. Trinum. *Nunquid cauſſæ eſt, quin vxorem cras domum ducat?* Terent. Hecyr. *Vt ad pauca rediam, vxorem deduxit domum.* Tibull. *Vt iuueni primum virgo eſt deducta marito.* CVI VICTVS PVBLICE IN PRYTANEO) *Athenis erat domus hoc nomine publica, in qua victus præbebatur ex ærario iis, qui bene meriti eſſent de* Repub. Cic. 1. de Orat. *Interrogatus Socrates, quam quaſi æſtimationem commeruiſſe ſe maximè fateretur, reſpondit, ſeſe meruiſſe, vt ampliſſimis honoribus & præmiis decoraretur, & vt ei victus quotidianus in Prytaneo præberetur.* TRISTIS QVIDAM PATRVVS) *Patrum in filios impotentem amorem ignorat nemo. Patrui verò tametſi fratrum ſuorum liberos ament, illo tamen vehementi affe-*

ctu

ctu ſunt liberi, nec quemadmodùm patres ad filiorum, ſic illi ad nepotum ſuorum peccata conniuent, neque ea diſsimulant, ſed ſeuerè & acriter reprehendunt, incorrupteq́ de actionibus ipſorum iudicant. Vnde factum vt nomen patrui pro obiurgatore, caſtigatore, reprehenſore ſeuero & acri poneretur à latinis. Cic. pro Cælio. Qui in reliqua vita mitis eſſet, fuit in hac cauſſa pertriſtis quidam patruus, cenſor, Magiſter. Horat. Sat. 3. lib. 2. Siue ego prauè, ſeu rectè, ne ſis mihi patruus. Et Ode 12. lib. 3. Patruæ verbera linguæ. vide epiſt. 2. lib. 2. ad Att. & in eam Manut. Lamb. in Horat.

PROGYMNASMA

SEPTVAGESIMVM SEPTIMVM.

Auctores ſcholaſtici.

VENANTIVS, FLORIANVS, EPIPHANIVS.

VENANTIVS. Triennium elapſum eſt, niſi quid erro, ex quo in iſta Principiorum ſchola ſeſsitas Floriane, prima, inquam, grammatices, id eſt, poſtrema & infima omnium. Ecquid ſtudes? F. Quamobrem non potius decennium dicis, maior vt eſſet annorum numerus, atq; vt magis falſum diceres, quoniam tibi voluptati eſt veri aliena effutire? E. Biennium effluxit, hoc ſaltem non refutabis. F. Etiam tu deli-

cias

cias facis? proximo Octobri annus vnus cum ſe-meſtri abſoluetur; diutius non fui in eo gymna-ſio: & me breui cōdiſcipulum tuum, Venanti, vi-ſurus es; ſic enim augurat animus. V. Meus cer-tè non eris; nam ego me Epiphanij futurum diui-no. E. Nō es futurus profectò: ego enim in ſcho-lam Humanitatis euolabo. V. Si modò qui exa-minabunt, alas tibi non interuellerint; aut ſi illas calor ſolis, vt quondam Icari, non liquefecerit. E. Tam dignus illa ego, quàm mea tu. V. Res ipſa documentum dabit. Tu Floriane, in quibus in-terrogaberis ab iis, qui eo tempore cognitionem puerorum explorabunt? F. In iis, puto, quæ do-ceor. E. Et quæ ſunt illa? F. Rudimenta. V. Ver-repæi, an Valerij, an Emmanuelis? F. Emmanue-lis. Deinde epiſtolæ ſelectæ, breuiſsimæ illæ Cice-ronis, diſticha Catonis, & Inſtitutiones Chriſtia-næ fidei. V. Hi ſunt auctores tui? F. Hi ſunt. E. Quid Venantius hoc anno audiuit? V. Quę quot-annis ferè traduntur. Grammaticam Emma-nuelis, quam Præceptor commendat mirificè; eiuſdem ſyntaxeos epitomen, ſelectas Ciceronis. E. Pauca ſunt hæc. V. Multa ſatis mihi quidem. De tuis velim cognoſcere, vt libros comparare poſsim, quomodo arma ante bellum miles. E. Eme Ouidium de Triſtibus. V. Mallem de Hi-laribus, nam meopte nutu triſtis eſſe ſoleo. E. At nihil illa Naſoniana triſtitia lętius, nihil iucūdius, quod experieris. Adde epiſtolas ad familiares, Catonem ſiue Lælium, & libellum de octo parti-bus orationis apud Græcos. V. Heu, ſtatui non diſcere Græca. E. Debebis volens nolens; non erit

erit hoc arbitrarium. V. Non poſſum: ſemper ab iſta carnificina longiſsimè ratio voluntasq́ mea abhorruit. E. Et ægri ab amaris ac ſalutaribus potionibus abhorrent. V. Quid præter hæc explanatur? E. Proſodia Emmanuelis. V. Optimè: verſus factitare cupio, proſodiam non ingratis diſcam. F. Si fruſtra emeris hos libros? E. Minimè fruſtra: vtetur quippe anno nonageſimo, ſi hoc imminente non vtatur. V. Ad nihilum cauilli tui recident Floriane: ſcio te id nolle; aſcendam tamen ego, ſi me Superi adiuuant. E. Si doctrina tam incenſæ cupiditati reſponderit, nō negauerim futurum de quo tu nec hilum dubitas. V. Mitte curas. Num quem alium mihi mercandum cenſes? E. Adrianum Cardinalem, Farraginem ſordidorum verborum, Scopas latinitatis, Aduerbiorum connubia, Epitheta Ciceronis. V. Vtiles tibi hos ſenſiſti? E. Vt nihil poſsit ſuprà. Tu quoque, Floriane, cura vt inſtructus ſis à libris. F. Pædagogi hoc munus eſt, ipſe curabit, ego ſine cura ſum.

ANNOTATIONES.

VT QVONDAM ICARI) *Fabula de volatu Dædali & Icari eius filij eſt in 8. Metamorph. Mare in quod decidit, Icarium nomen obtinuit. Ouid. Triſt. lib. 1. eleg. 1.*

Dum petit infirmis nimium ſublimia pennis
Icarus, Icarias nomine fecit aquas.

Monendi ſunt mihi vno verbo Magiſtri, vti ne temerè

quem-

quemquam auctorem ſuis diſcipulis interpretandum ſuſcipiant, & cogitent, vina recentia dulciora, vetuſta autem ſalubriora eſſe. Deinde videant etiam quos libros emant pueri, ne dilapident pecuniam. Ipſi ſe interrogari ſuper ea re iubeant, & quàm vtiliſſimos emendos ſuadeant. Quod quidem difficile non erit iis, qui in multis libris diu volutati fuerint.

PROGYMNASMA SEPTVAGESIMVMOCTAVVM.

Formula ſalutandi, et valedicendi in congreſſionibus atque literis.

CLAVDIVS, ALBINVS.

CLAVDIVS. Quandoquidem latinitatis peritia multis partibus iam diu factũ eſt poſtquam me vincere cœpiſti, rogo atque oro, ſi commodum eſt, da mihi paulum operæ. A. Vel multum, ſi id rationibus conducat tuis. Nolo tibi vllum cõmodum in me claudier. C. Vt ſi quidquam aliud: ne dubitaueris. Sed hoc die, quoniã te vacuum offendi, vnum quiddã me doceri perte opto. A. Quid eſt illud vnum? C. Tritiſsimum cùm ſit ita ſalutare factos obuiam, & in cõgreſſu; bonus

bonus dies, bonus veſper, bonum mane, bonum ſerum: & reſpondeatur ſalutantibus, Deo gratias. Item in digreſſu ſub noctem, cùm his verbis bene precari ſoleamus; fauſta nox, felix nox; reddaturque idem reſpõſum, more patrio videlicet, gůten Morgen/gůten Abendt/gůte Nacht/ danck euch Gott/ iis autem formis loqui neceſsitas nulla cogat, Latinisq; auribus ingratiſsimum ſit: quo pacto tùm ſalutando tùm valedicendo, ſiue cùm in alicuius colloquium congreſſumq; veniendum eſt, ſiue alicui ſcribendum, nos geremus? Non enim me latet, ſolere te ſtudium acerrimum ponere in notandis huiuſmodi latiniſmis, cùm inter legendum occurrunt, aut à Magiſtro inculcantur. A. Haud equidem me tanto dignor honore. Nihilominùs, quia tu hoc à me candidè petis, & poſſe me tibi commodare iudicas, parebo voluntati tuæ, mi Claudi, neque te quidquam celabo eorum, quæ in præſentia, nihil tale prouidenti memoriam ſubierint. Hoc tenebis primum, nõ ſemper opus eſſe reſponſione cùm ſalutamur: & interdum ſalutantem non reſalutari, verùm reſpõderi aliquid aliud, quod ille libens ac volens audiat. Eſt quando ſalutationi quæſtiunculæ quædam adiiciuntur, de valetudine præſertim: nonnunquam reſalutantes etiam interrogatiũculam annectunt. Hæc omnia exemplis declarabuntur: tu auritum te facito.

Salue. Reſpon. *Salue.*

Salue Ioannes. R. *Et tu Paule.*

Salue. R. *Et tu.*

Myſis ſalue. R. *O ſalue Pamphile.*

Salueto.

Salueto: quid agis?

Mater mea, frater mi, ſalue. R. *Salue fili, ſalue mi frater.*

Antoni ſalue. R. *Salue Paule.*

Salue oculiſſime homo.

Iubeo Chremetem: ſubaudi, ſaluere.

O Iacobe ſalue. R. *Saluus ſis Corneli.*

O ſalue bone vir. R. *Hem, Simo. O noſter Chreme.*

Mi patrue ſalue. R. *Salue.*

Curculio exoptate ſalue. R. *Salue. Saluum te aduenire gaudeo.*

O noſter Chremes. R. *Salue Geta.*

Salue Andrea. R. *O nutrix, ô mea nutrix.*

Salue mi germane. R. *O ſoror mea, quid agitur?*

Salue exoptate gnate mi.

Saluum te adueniſſe gaudeo.

Venire te ſaluum volupe eſt. R. *Credo: quid agitur?*

Here ſalue, ſaluum te adueniſſe gaudeo. R. *Oh, bone cuſtos, ſalue.*

Plurima ſalute Parmenonem ſuum impertit Gnato: quid agitur?

O mi exoptate Clinia, ſalue. R. *Vt vales?*

Georgius plurimùm iubet ſaluere Stephanum.

Iubeo te ſaluere.

O pater, pater mi ſalue. R. *Salue multùm gnate mi.*

Charmidem ſocerum ſuum Lyſiteles ſalutat. R. *Dij dent tibi Lyſiteles quæ velis.*

O Thraſo. R. *Saluete.*

Amphrituo vxorem ſalutat lætus ſuam. Valuiſtin' vſq; ? exſpectatúſne aduenio?

Saluus atq; fortunatus Euclio ſemper ſies. R. *Dij te bene ament Megadore.*

O amice, ſalue, atque æqualis mihi: vt vales Ambroſi? R. *Et tu.*

Salue Gregori. Valen', valuiſtin'? R. *Valeo, & valui rectiùs.*

Mi homo, & mea mulier, ego vos ſaluto. R. *Et nos te.*

C. Habeo ſalutationum rationes; nunc quibus verbis valedicendum ſit quæro, quocunque diei aut noctis tempore. A. An poteſt vlli quidquam optari melius integra valetudine? qua nihil maio-

ris æſtimandum vita humana complectitur. Itaq; has ferè formas inuenio.

Bene vale. R. *Et tu.*

Vale. R. *Et tu bene vale, Martine.*

Vale. R. *Et tu frater.*

In hoc quadriduum Antoni vale. R. *Mi Georgi, & tu: nunquid vis aliud?*

C. In extremis epiſtolis quonam modo valedicemus?

A. *Vale.*

Da operam vt valeas, hoc mihi gratius facere nihil potes.

Tu me diliges & valebis.

Cura ſi me amas vt valeas.

Vale, & matrem meosq; tibi commendatos habe.

Me velim vt facis diligas, valetudiniq; tua & tranquillitati animi ſeruias.

Valebis, meq; vt à puero feciſti, amabis.

Ama nos & vale.

Cura vt valeas, & me vt amas, ama.

Bene vale & me dilige.

Fac valeas, meq; ames.

Fac valeas, meq; mutuò diligas.

C. Vbi tam multa, tam varia legiſti? A. In epiſtolis M. Tullij: ac miror te interrogare. C. Quid ſi ad ami-

amicos & conſanguineos ſcribemus, quibus tum vocibus vtendũ cenſes? A. Nullus hac in re præſtantior magiſter eodem Cicerone, ex cuius epiſtolis quædam exempla tibi recitabo, quorum ſimilia licebit excogites, cùm vſus venerit.

Ad vxorem & liberos.

Valete mea deſideria, valete.

Vale mea Terentia.

Mea Terentia fidiſsima atq; optima vxor, & mea chariſsima Tulliola, & ſpes reliqua noſtra Cicero, valete.

Vos, mea ſuauiſsima et optatiſsima Terẽtia, et Tulliola, ſi nos amatis, curate vt valeatis.

Etiam atq; etiam vale.

Tu velim tuã & Tulliolæ valetudinẽ cures.

Valetudinem tuam cura diligenter.

Fac vt tuam & Tulliæ valetudinem cures.

Maximè autem date operam vt valeatis, ſi nos vultis valere.

Cura vt valeas, & ita tibi perſuadeas, mihi te charius nihil eſſe, neque vnquam fuiſſe.

Ad Q. Fratrem.

Reliquum eſt vt te orem, vt valetudini tuæ, ſi me & tuos omnes valere vis, diligentiſsimè ſeruias.

Cura mi frater vt valeas.

Fac mi frater vt valeas.

Vale mi optime & optatiſsime frater.

Mi frater vale.

Te oro etiam atque etiam mi frater, vt valeas.

Cura mi ſuauiſsime & chariſsime frater, vt valeas.

Vale mi ſuauiſsime & optime frater.

Ad T. Pomponium Atticum.

Cura vt valeas & nos ames, & tibi perſuadeas, te à me fraternè amari.

Cura vt valeas.

Etiam atq; etiam vale.

Ad Tironem.

Etiam atq; etiam vale.

Cura vt valeas etiam atque etiam Tiro noſter.

Quantum me diligis, tãtum fac vt valeas; vel quantum te à me ſcis diligi.

Ama nos & vale.

Cura te etiam atq; etiam diligenter.

Cura mi Tiro vt valeas.

C. Expone hoc loco, ſi placet, qua ratione in extremo

tremo literarum, aliorum nomine ſalutare nos oporteat.

A. *Saluebis à Cicerone, ſalue à Petro, ſalutat te Cicero meus. Cicero belliſsimus tibi ſalutem plurimam dicit. Tullia tibi plurimam ſalutem adſcribit. Terentia te ſaluere iubet. Cicero te ſalutat. Terentia tibi ſalutem. Terentia impertit tibi multam ſalutem. Domus te noſtra tota ſalutat.*

C. Quonam modo, quibus verbis quoſdã ſalutabimus per eum, ad quem damus literas?

A. *Tulliolæ & Ciceroni ſalutem dicito. Multam ſalutem Piliæ. Dionyſio plurimam ſalutem. Atticæ plurimam ſalutem velim dicas. Dionyſium iube ſaluere. Dionyſium velim ſaluere iubeas. Iubebis meo nomine ſaluere Paulum. Ex me ſalutato Præceptorem tuum. Saluta meis verbis Ioannem. Salutem Marcello. Salutem dic Petro meo nomine, quem ego in oculis fero. Molinio meo multam ſalutem. Salutem quibus videbitur. Saluta tu mihi iſtic quos videbitur, Contarellum præcipuè, & Gerardum. communibus amicis à me multam ſalutem.*

C. Cumulatè omnem deſiderij mei exſpectationem expleuiſti. A. Volui id quidem efficere certè, & gaudeo, ſi, quod volui, aſſecutus ſum. C. Arctiore vinculo tibi me aſtrinxiſti. Vtinam hoc meritum in me tuum referenda gratia aliquando conſequi poſsim.

ANNOTATIONES.

QVas hîc legis ſalutandi reſalutandiq́; formulas, nõ collegi nunc primùm omnes, collegi tamen aliquas, ſed annum abhinc plus duodecimum, cùm Rochum Peruſinum de epiſtola componenda augerem, & ſcholiis illuſtrarem, à me comportatas, hũc in locum hoc tempore transferendas, exiſtimaui. Hoc te lector vt ne eſſes neſcius monitum volebam. Non poterit autem quiſpiam conqueri de paucitate, nec elegantiam reprehendere; ſunt enim Terentij, Plauti, Ciceronis, & eloquentiſſimorum hominum.

PROGYMNASMA
SEPTVAGESIMVMNONVM.
Cupiditas proficiendi.

PELAGIVS, SISINNIVS.

PELAGIVS. Malè eſt ſodali tuo Siſinni. S. Malè? quî iſtuc mi Pelagi? Deum oro vt bene ſit potius. Verùm enuntia cur ſecus eſt quàm volumus? Quid tibi malæ rei euenit? P. Quoniã quod natura & voluntate facio libentiſsimè, id facere quantum velim haud permittor. S. Age, proloquere, quid illud? P. Diſcere. S. Quis mortaliũ præclaros conatus tuos, & incitatos ad laudem impetus retardat? P. Familia negotioſa, inquieta, turbulenta. S. Non habet pater tuus aliquod

quod vltimis conclaue in ædibus,quod tibi attribuat? P.Hyeme vix habet:domus enim noſtra nõ eſt tam multis cõclauibus & hypocauſtis : tum ligna ſtant magno. S. Experimur nos idem incõmodum. P.Ergo in eodem hypocauſto diuerſantur ſerui,ancillæ , infantes; quorũ inconditis clamoribus perturbatur animus , & ab eruditis cogitationibus aliò auellitur atque abſtrahitur. S. Tuarum fortunarum me miſeret. Non te pater aliquò mittere deliberauit extra ſolum patrium? P. Anno futuro,quod Deus proſperè euenire iubeat, Dilingam mittet, ibi in ſpe ſum, me quiete optata potiturum. S. Habéſne in manu cætera quæ deſideras? P. Nullo modo. S. Cur? P. Quòd multo mane vetor ſurgere : timent enim parentes valetudini meæ. S. Quàm manè cuperes? P. Hora quarta æſtate , quinta hyeme. S. Ætas imbecilla non ferret. Et cur tam maturè? P. Quòd duas tréſue horas ante ſcholam poſſem repetere,ediſcere, ſcribere , legere : matutinum quippe tempus percommodum eſt hiſce rebus ; nec mihi non audita eſt vigilantia Demoſthenis, qui dolere ſe aiebat , ſi quando opificum antelucana victus eſſet induſtria. S. Sufficit horam impendere. P. Tibi quidem , adoleſcenti ingenioſo , & fideli memoria ; at non ei qui hebetior & obliuioſus ſit. S. Quin me anteis vtroque. P. Ingenium ac memoriam creare mihi non poſſum, diligentia velim cedere nemini. S. Tantoperè adamaſti ſtudia? P. Vt nihil ardentiùs in vita. In hiſce omnem operam,curam,induſtriam, cogitationẽ, mentem omnem fixi & locaui : ſapientia quippe

cœleſtes immortaléſque diuitiæ. S. Quoties non obiiſti ludum toto anno? P. Nec vnam hebdomadem Siſinni; hebdomadam autem? nec vnum diem: quid diem? nec vnicam horam abfuiſſe me tam certũ ſcio, quàm me tecum modò congredi. S. Rarum decus. Quoties cæſus? P. Cæſus? nunquam. S. Obiurgatus? P. Nunquam. S. Cõmendatus? P. Quod apud amicum effari liceat, ſæpiſſimè. Hoc ego ſtimulo non ad ſtultam arrogantiam, ſed ad maiorem induſtriam excitor: nec conſiderare ſoleo, quàm longè à carceribus proceſſerim, ſed quàm procul adhuc à metis abſim. S. Laudo: hoc virtutis opus. P. Si pedem alterum in ſepulchro haberem, adhuc diſcerem, vt ille de ſe prædicabat. S. Fruſtra te rogem, quo pacto tempus tranſmittas, cùm tam inflammatam doctrinæ cupiditatem in te videam. P. Vt fatear verum, ludis & otio parum apud me loci eſt. S. Illuſtrabis familiam tuam. P. Faxit Deus, quẽ ego præſidem & auſpicem mearum literarum in dies ſingulos piè ſanctéque veneror, & cœleſte ipſius auxilium certis precationibus flagitare non deſiſto. S. Acceſsi ad ignem tuum, Pelagi, iam caleo plus ſatis.

ANNOTATIONES.

QVORVM INCONDITIS CLAMORIBVS) *Seneca epiſt. 62. etiam negotiorum tractatione ſua ſtudia cogitationesq́ affirmat minimè impediri, quod pauciſſimis arbitramur eſſe conceſſum. Verba eius ſubſcribam. Vaco, mi Lucili, vaco: & vbicunque ſum,*

ſum, meus ſum. Rebus enim non me trado, ſed commodo: nec conſector perdendi temporis cauſſas, & quocunque conſtiti loco, ibi cogitationes meas tracto, & aliquid in animo ſalutare verſo. Cùm me amicis dedi, non tamen mihi abduco: nec cum illis moror, cum quibus me tempus aliquod congregauit, aut cauſſa ex officio nata, ſed cum optimo quoquo ſum: ad illos in quocunque loco, in quocunq; ſæculo fuerint, animum meum mitto. Audiamus etiam Quintilianum lib. 10. cap. 3. Silentium & ſeceſſus, & vndique liber animus, vt ſunt maximè optanda, ita non ſemper poſſunt contingere, ideoq; non ſtatim, ſi quid obſtrepet, abiiciendi codices erunt, & deplorandus dies, verùm incommodis repugnandum, & hic faciendus vſus, vt omnia, quæ impediunt, vincat intentio. Quam ſi tota mente in opus ipſum direxeris, nihil eorum, quæ oculis vel auribus incurſant, ad animum perueniet, &c.

PROGYMNASMA OCTOGESIMVM.

Munditia librorum.

AMANTIVS, MANSVETVS.

AMANTIVS. Si incumbere in libros, eſt cubito ſupra eos depoſito niti, haud memini videre, qui magis incumbat te vno, qui Emmanuelem & alios codices tuos propè iam incumbendo contriuiſti. M. Aſsiduitas hoc in-

tertrimentũ attulit,non cubitus. A. Quid?iſta aſſiduitas in meo cur non ſic apparet?Prçterea,quàm ſunt commaculati intus & foris tui?quàm habent oras paginarum infimas & ſummas introrſus inflexas ? quas auriculas aſinorum ſolemus vocare. Itáne eſt vt loquor? M. Tu aliquod artificium calles vt videtur,mihi adhuc ignotum: quod vbi didicero,habebo libros mundiores,minusq́; tritos. A. Nullũ teneo artificiũ,omitte iocationes:munditiam librorum perinde vt corporis totiùs amo & complector. M. Quid tam te miſeret librorum meorum ? quid tam mirum in modum ſollicitus es?breui nouos emam. A. Si ſanus es mentis,quare mauis prodigere pecuniam , quàm deponere ruſticitatem & negligentiam? M. Eho, tu vt mihi ruſticitatem in probri loco obiectes? A. Nõ enim eſt vrbana elegantia : hoc quamuis iniquo iudice probauerim. M. Quid tibi mecum eſt negotij? cura tuos. A. Id ego ago ; veruntamen odi malè ſordes iſtas in aliis quoq;. Phui, quàm habes item digitos atramẽto fœdatos,&os ſimiliter denigratum;vt nõ iniuria ſuſpicetur aliquis , te atramentum bibere ſolitum.Cur non caues?cur non aqua purgas? M. Indicia & veſtigia ſunt hæc diligentiç magnæ & laboris. A. Pigritiç magnæ & torporis: oportebat alioqui diligentes fieri immundos atq; ſordidos. M. Deſine mihi exhibere moleſtiam, ſi ſapis. A. Tracta libros humaniùs, aut dicam tibi diem.ScisMagiſtrum in huiuſmodi peccata çquè, vt in diſcendi ſocordiam acrem ſe præbere vindicem. M. Crimine vacare debet qui in alterum paratus eſt dicere. A. Quid iſtuc? M. Non deerit

vnde

vnde tibi par reponam. A. Minæ iſtæ nihil ſunt niſi minæ. Vale ſordide. M. Vale nitidiuſcule.

ANNOTATIONES.

Non placent, qui nimis diu nimis mundos ac nitentes habent libros ſuos: id enim argumentum eſt, parum ſæpe ac multum ab eis lectitari libros. Quod ſi fieret, contererētur etiam, ne dum, vt munditiam ſuam perderent. Nec tamen ſi egregiè intus foriſq́ꝫ, & ſpurciſſimè contaminati ſunt, ſtatim eſt colligendum, id ex frequenti vſu & euolutione accidiſſe, & quod eſt puerorum vitium, id etiam grauibus viris tribuere: nihil poſſe ſine ſordibus diu conſeruare. Laudandi præterea non ſunt quidam, qui quamuis iis non vtantur, aut menſe toto vix ſemel, noctes tamen & dies apertos in ſcamnis, in menſis, in pluteis iacere, & pulueribus inquinari ſinunt. Vnuſquiſque artifex ſupellectilis ſuæ curam diligenter gerit, ſuáque inſtrumenta, ſi poßit, recentia ſemper habere velit: & ſtudioſus literarum tam elegantia & pretioſa inſtrumēta, vnde non ferreum aliquod, lapideum, ligneúmue opus, ſed eruditio comparatur nihili pendet?

PROGYMNASMA
OCTOGESIMVMPRIMVM.

Academiæ.

PAN-

PANCRATIVS, TORQVATVS.

PANCRATIVS. Quod precatus ſum à Deo, & à parentibus ſæpe multumq́ contendi, vt à triuiali gymnaſio remotum me in aliquam Academiam, & in hanc potiſsimùm, tanquam ad mercaturam eruditionum virtutúmque clariſsimarum amādarent, eius me compotem aliquando factum in ſinu gaudeo. Confido inanem me neutiquam rediturum, dedecorantem Preceptores meos, & mœſtitudine luctúque complentem parentes, qui ſuæ dignitatis ſpem in me collocauerunt, ſtatuuntq́ ipſorum me vrgenti iam ſenectuti multa ſolatia daturum eſſe. T. Quin præſtiturus ſis, quæ indolem tuam egregiam condecent, & quæ parentes ambo expectant, non mihi datur vlla dubitatio. Argumentum verò gaudendi idoneum & iuſtum. Etenim etiamſi quis Cicerone eloquentior, Ariſtotele doctior euaſerit, idq́ vel domeſticis vſus Præceptoribus, vel in iſtis ſcholis, (quibus quoniam in triuiis, hoc eſt, paſſim aperiuntur, triuialibus vulgò nomē eſt) nunquam gloria circumfluet, niſi eum in alicuius Academiæ luce verſatum conſtiterit. Opinantur enim homines, ibi pænè ſolùm (procliuiùs quidem certè) ad ſolidæ perfectæq́ ſapientiæ diuitias perueniri, vbi Doctores & multi, & optimarum artium ſtudiis politiſsimi ex Regum & Principum ærario ſtipendiis liberaliſsimis aluntur, & exercitationes diſputationum, repetitionum, ſcriptionum, ſermonis item Latini & Græci, diuerſarum tractatio diſciplinarū, æmulatio inter adoleſcentes eandem ſcientiam excolentes (quod ad pro-

greſſum

greſſum vehementer conducit) maximè vigent. P. Sic arbitror: cùm hoc ipſum animaduerterent Principes, & prætereà ſecum attentè reputarent, quantum intereſſet Reipub. vel potius vniuerſi orbis terrarum, quàm plurimos viuere abundanti doctrina homines, in ſuis prouinciis atque regnis Academias, tanquam publicas & communes diuinæ humanæque ſapientiæ officinas idcirco inſtituere voluiſſe. T. Idem ego ſentio prorſus, & ſentiam. Quis autem eſt, in quo aliquod probitatis lumen eluceat, qui tantoperè à maiorum curriculo deflexum eſſe dolenter non ferat? & nunc in iſtis ſacrariis atque templis religionum, virtutum, ſcientiarumque tam multos cerni otioſos, tam multos inertes, poculis, impuræ libidini, cæteriſque criminibus, & voluptati immerſos? P. Sæpe interfui querelis grauium virorum iſtam rerum conuerſionem deplorantium. Quare initiò affirmabam, efferri me lætitia, quòd hûc eſſem miſſus: hæc ſiquidem Academia præclaram ſibi famam longè latéque confecit, & à morum pietatiſque diſciplina celebratur; ad quam proinde, qui filiis ſuis bene cupiunt, eoſque Chriſtianis inſtitutis formari deſiderant, eoſdem tranſmittere ſolent. T. Si iſti commendandi ſunt, vti ſunt; malè merentur de liberis, qui eos mittunt, vbi Catholicæ veritati nefarium atque impium bellum indicitur; vbi, vt literas percipiant, pietate quidem nulla excoluntur, & quam attulerunt Catholicam religionem, ægrè tuentur, facillimèque prauiſsimarum ac letalium opinionum commentis ad exitium præcipitantur. P. Ipſi viderint quid Deo rationē repoſcenti

reſpon-

reſpondeant: præſertim quando Orthodoxæ in Germania Academiæ non deſunt. Porrò me frequenter cupido inceſsit, eiuſmodi librum volutandi, in quo de Academiis ageretur: ſi in talem incideris, mone me, quo eum vel emam, vel ad tempus à te mutuum ſumam, & ita diuturnam hanc ſitim meam reſtinguere queam; hoc te vehementer etiam atque etiam rogo. T. Inueniſti quod quæris. P. Euax,inueni? T. Sequere me in bibliothecium meum,ibi monſtrabo,& commodabo etiam quod optas. P. O fortunatum hunc diem. Haben'tu illum librum? T. Libros dic:nam duo ſunt. P. Cuius auctoris,& quales? T. Iacobi Midendorpij Iureconſulti, non indocti hominis, multæq́; lectionis. P. Quid alter differt ab altero? T. Primus continet celebriores Academias orbis terrarum, inſtitutiones, incrementa, interitus, progreſſus,& plurima demum,quæ in Academiis fieri obſeruariq́; conſueuerunt. Alter hiſtoriam Academiarũ orbis Chriſtiani, & ingenuis liberaliterq́; educatis adoleſcentibus dignam ſanè eruditionem complectitur. P. Beaſti. Eamus ad te. T. Eamus. P. Maiore opera ad eoſdem legendos me dedam: ſic ſtat ſententia.

ANNOTATIONES.

Optare debent adoleſcentes in Academias mitti, ſed ad diſcendum eò, non ad ludendum, ad diſciplinam, non ad licentiam eò mitti. Non eſt laudabile in multis & illuſtribus Academiis fuiſſe,ſed vel in vna bene profe-

profeciſſe, hoc prædicatione dignum eſt. Spero deplorationem noſtram in dialogo, & querelam de Academiarũ corruptelis cordatis viris non improbatum iri. Et quoniam mihi pulchrum eſt viſum, ſtudioſos cognoſcere res Academicas, indicaui auctorem qui diſtinctè, copioſè & eruditè hoc argumentum pertractauit.

PROGYMNASMA OCTOGESIMVMSECVNDVM.

Honores Academici.

MARTYRIVS, SMARAGDVS.

MARTYRIVS. Quòd aſpectauerim te aliquoties circumferentẽ libellum ſententiarum Ciceronis, forma permodica (typographi in decimoſexto vocãt) & typis Plantinianis, quorum eſt in hoc genere præcipua commendatio; eam opinionem imbibi, eius lectionem pergratam, perq́ iucundam tibi ſolere contingere. S. Et perutilem, Martyri, quod creberrimè experiundo probaui. M. Recita dum vnum aliquod axioma, ſeu pronunciatum. S. En. Tuſcul. 1. *Honos alit artes, omnesq́ incenduntur ad ſtudia gloria, iacentq́ ea ſemper, quæ apud quoſq́ improbantur.* M. Vera effatum quis neget virum ſapientiſsimum, & Romanæ eloquentiæ principem? Atque hanc eandem ſententiam millies cantatam audiui in creationibus Baccalaureorum, Magiſtrorum, Doctorum, quas

quas Promotiones nominare mos iam antiquus & vulgaris eſt. S. Ibi potiſsimùm locus fuit,& eſt, meo iudicio, iſta ſimiliáque proferendi. M. Cur tandem? S. Quòd eos honores inprimis ſibi proponunt plerique, qui ad ſapientiæ ſtudia ingrediuntur: quorum adeptione velut gradus parant, viamq́ ſibi muniunt, qua ad ampliſsimas dignitates, tum in Eccleſiaſtica, tum in ciuili Repub. prouehantur. M. Res iſto modo ſe habet. Nec mirum tamen, artes ingenuas ſine ſpe ſingularium præmiorum non coli à multis, cùm vix vnum alterúmue inuenire detur, qui virtutem, qua conſtat nihil eſſe honeſtius, nihil amabilius, propter ſeipſam amplectatur. Et ſurdis canit Poëta neſcio quis: Ipſa quidem virtus ſibimet pulcherrima merces. S. Eſt verò honeſtiſsima merces honor, & in eo omnes nationes concordiſsimè conſpirant atque conſentiunt: quocirca qui illam affectant, citiùs in laude ponendi ſunt, quàm qui eſuriunt pecuniam. Diuinè, vt omnia, M. Tullius in Off. Nihil eſt tam anguſti animi, tamque parui, quàm amare diuitias: nihil honeſtius magnificentiúſque, quàm pecuniam contemnere, ſi non habeas: ſi habeas, ad beneficentiam liberalitatemq́ conferre. M. Ex eodem nobiliſsimo ſcriptore mihi occurrit illud: Inſignia virtutis multi ſine virtute aſſequuntur. Quod pro certo in iſtis quoque ſcholaſticis ornamentis valere debet: vt exiſtimemus nimirum non omnes Magiſtros eſſe Magiſtros; ſiquidem non omnes qui habent citharam ſunt citharœdi. S. Hi faciunt, vt inaugurationes iſtæ vileſcant, & per ſummam inſcitiam

ac temeritatem ſuam non mediocria in ciuitates detrimenta important. M. Probas mihi iſta quę dicis. Quot ſunt autem ordines ſiue gradus iſtarum dignitatum? Præter Baccalaureos, Licentiatos (quos Promagiſtros, ſeu Mellodidaſcalos mallent quidam nominare) Magiſtros & Doctores, mihi quidem nulli videntur. S. Quo pacto nulli? Eſne tu Studioſus? M. Studioſus, vt ſi quiſquam alius. S. Eſtne iſtuc honoris vocabulum, an minùs? M. Si negem, tu me iure optimo de mentis poteſtate exiiſſe dicas. S. Eſt ergo alius gradus, & quidem primus omnium, ſine quo (in Academiis præcipuè Germanicis) nulli fas eſt illos, quos ſuprà recenſebas, aſcendere. M. Da veniam, non cogitâram. Supereſt igitur vt Baccalaureatum mediter, quandoquidem beaniſmo exutus & abſolutus, in numerum Studioſorum iampridem cooptatus ſum. S. Meditare, licet: ſed caue ne tu quoque vnus de illis reperiare, qui hoc inſigne virtutis ſine virtute aſſequuntur. M. Cauebitur. Nunc velim, quod ſine magno labore tuo fiat, rationem iſtorum vocabulorum explices, ſi poteris, & rem breuiter ac perſpicuè definias. S. Annitar ſanè, vt poſtulatis tuis faciam ſatis. Beani nomen vnde procuſum, & quare huc tranſlatum ſit, neſcire me confiteor, nec me huius inſcientiæ pudet. Vſurpatur autem de iis, qui quaſi profani adhuc, & Muſarum ſacris initiati nondum ſunt, de tyronibus nouitiisq́ſcholaſticis. M. Probè intelligo. Nunc de Baccalaureis age. S. Pedibus eo in ſententiam docti cuiuſdam viri, qui hanc vocem à militia deductam credit.

X Gallo=

Gallorum enim veteri lingua battallũ prælium, & battalarios tyrones milites, quíque caſtra ſequi, & militiæ exerceri cœpiſſent, ac ſemel manum cum hoſte conſeruiſſent, nominatos: hinc poſtea in Academia Pariſienſi perantiqua vbi hæ promotiones videntur natæ, Battalarios appellari ſolitos, qui in ſtudiis ingenuarum artium quaſi tyrocinium poſuiſſent,& publicè diſputando ſpecimen eruditionis ſuæ præbuiſſent,atque ita tanquam cum hoſte iam conflixiſſent. Quod ergo de bacca & lauro alij philoſophantur, friuolum eſt ac nugatorium. Laurus, id eſt,corona è lauri foliis contexta,debetur poëtis tantùm(de doctis loquor: nam quis ignorat etiam Imperatorum & militum triumphantium eſſe lauream?) præterea nullis; idq́ ob certas cauſſas, quarum hîc non eſt neceſſaria commemoratio. Ceterùm conſuetudo & ignorantia,vt alias innumeras, ſic iſtam vocem deprauauit, ac pro Battalariis, Baccalarios, deinde Baccalaureos in ſermonem Latinũ induxit. M. Haud diſplicet opinio tua. Quis igitur erit Baccalaureus(retineamus vocem vſitatam,ne res nouas moliri videamur) quis, inquam,erit inter literatos? S. Qui confecto liberalium ſcientiarum tyrocinio,publicum progreſſus ſui teſtimonium, hócque ipſum nomen in conſeſſu & frequentia Academica eſt conſecutus. M. De Licentiatis ſequitur vt diſſeras. S. A licentia deflexum eſt nomen, quòd illis liceat ſummam dignitatem petere & conſequi, cùm voluerint. Aptiùs Magiſtri, ſeu Doctores deſignati appellarentur, quæ poteſt eorum haberi definitio,vt agamus pingui Minerua,&

ua, & paucis. M. Magiſtri nomen,aueo noſſe vnde extiterit. Quidam volunt à magis, & ter,quòd nempe Magiſter emineat ſuper alios eruditos ter. S. Apage cum notatione iſta tam ridicula. Magiſtri Iurecoſ. ſunt, quibus præcipua rerum cûra incumbit. Hinc dicti magiſtratus. Feſtus Magiſtros appellatos docet, quòd cæteris magis poſſunt:vel quod magis quàm cæteri diligentiam, & ſollicitudinem rebus quibus pręſunt debent. Nec ſolùm in ſcientiis liberalibus dicuntur aliqui Magiſtri, id eſt, præceptores & doctores, ſed etiam in aliis rebus permultis; nempe Magiſtri pagorum, ſocietatum, vicorum, collegiorum, conuiuiorum,equitum,qui pagis,ſocietatibus,vicis, collegiis,conuiuiis,equitibus pręſunt,& pręfecturę illæ,magiſteria.Vnde magiſteria municipalia apud Sueton.in Auguſto. Et in Catone,cùm de conuiuiis loquatur Cic. Me verò magiſteria à maioribus inſtituta delectāt.Et magiſtrare Feſto eſt moderari,regere,temperare. Itaq; illud,ter,nihil video aliud habendum,quàm adiectionem ſyllabicam,vt loquuntur Grammatici: ſicut fit in meditullium, quod ſignificat medium; in qua voce, tullium, nihil eſt: & pari ratione in aliis quibuſdam vocibus. Finiemus autem Magiſtrum: cui decurſis Philoſophiæ & artium ſeptem ſpatiis,ritè ac ſolemni cæremonia hoc nomen eſt impertitum.De Doctoribus,ſiue illi Iuris,ſiue Theologię, ſiue Medicinæ ſint, facile ex his quid ſentiendum ſit, colligetur. Sed intra carceres reuocanda eſt aliquando oratio. Si quid vel nunc deſideras, vel aliâs ſuper his rebus deſiderabis à doctioribus &

dialecticis petes. M. Impleuiſti expectationem meam, eriſq; in poſterum mihi & propter facilitatem tuam charior, & propter doctrinam venerabilior.

ANNOTATIONES.

De honoribus iſtis ſcholaſticis, ſiue vt more iam receptum eſt loqui, de promotionibus, multa cap. 7. lib. 1. Academiarum Midendorp. Rationem inſignium iſtorum accipiendorum, & honorem denique cum victoribus apud Olympum coronatis comparat Iunius lib. 5. cap. 21. AXIOMA SEV PRONVNTIATVM) *Quam Ariſtoteles* ἀπόφασιν *propoſitionem, enuntiationem, Cic. 1. Tuſc. more Stoicorum,* ἀξίωμα *vocat, & interpretatur ibidem pronuntiatum. in 4. Academ. effatum. An tu dialecticis ne imbutus quidem es? Inprimis enim hoc traditur; Omne pronuntiatum (ſic enim mihi in præſentia occurrit, vt appellarem* ἀξίωμα, *vtar poſt alio, ſi inuenero melius) id ergo eſt pronuntiatum, quod aut verum aut falſum eſſe dicitur. Ariſtoteli in poſterioribus analyticis axioma eſt aliud: nempe communis quædam ſententia, quæ non tantum vera eſt, ſed etiam vera omnibus videtur. Eadem ſunt axiomata, quæ &* κοιναὶ ἔννοιαι. *Ineptè autem faciunt, qui hanc vocem* ἀξιώματα *hoc ſignificatu dignitates interpretantur. Lege Muret. cap. 2. lib. 6.* SIBIMET PVLCHERRIMA MERCES) *Seneca de Clement. lib. 1. cap. 1. Rectè factorum verus fructus eſt feciſſe, nec vllum*

virtu-

virtutum pretium dignum illis extra ipſas eſt. DE MENTIS POTESTATE EXIISSE) *M.Tull. inſanos, furioſos, iracundos exiſſe dicit è poteſtate: hoc loquendi genus ex eo natum ſuſpicor, quod qui furioſi erant, agnatorum & gentilium poteſtati permittebantur, & domini rerum ſuarum eſſe vetabantur.Ita exierant è poteſtate ſua. Rationem enim loquendi, quæ poſtea manauit latius, hanc originẽ, hunc fontem habuiſſe auguror.Nam & filij, qui parentum poteſtati ſubiecti erant, tamẽ quibus in rebus ſuæ ſpontis & arbitrij erant, ſuæ poteſtatis dicebantur eſſe.Cic.autem eleganter dicit: furioſos exiiſſe è poteſtate dici, quia non ſunt in poteſtate mentis, cui regnum totius animi à natura tributum eſt. Turneb.lib.2.cap.11.*

PROGYMNASMA OCTOGESIMVMTERTIVM.

Depoſitio.

NARCISSVS, GVLIELMVS.

NARCISSVS. O Kalendæ Kalendæ Apriles, nulla vnquam dies delebit memoriam veſtri ex animo meo. Quàm libens huic diei oculos effoderem, tantum gemitus, tantum acerbitatis mihi obtulit. Certum eſt, notabitur à me atro calculo. G. Cuia vox mihi ad aures aduolat? quem prope me exclamantem audio? Tu-

ne eras Narciſſe? N. Quid hic vult? G. Salueto, quid agis? N. Ambulo domum. G. Conſiſtamus hîc aliquãtiſper. Quam ob cauſſam huic diei tam es iratus, eiúſque in ſempiternum memorem te futurum aſſeris? N. Quia perpeſſus ſum hac luce horribilia. G. Ain' tandem? paſſus es horribilia? quid fuit? amabo: quanquam præcipere mihi ſuſpicione rem ipſam videor. N. Num te clam eſt, quiſnam libellus in propylæo Academiæ fuerit propoſitus? G. Edictum graue Bedelli ſignificas, quo pro auctoritate Beanis imperabat ille, vti ſe ad duodecimam pomeridianam, quo loco mos eſt, ſiſterent, audituri paſſuríque quæcunque ius æquumq́ue poſtulaſſet. N. Iſtanc ipſam promulgationem aio mihi dolores & iniurias multas peperiſſe. G. Enuntiabo liberè quod ſentio: nihil præter cæteros tibi ſingulare acerbúmque contigiſſe arbitror. N. Prô Deum immortalem, ſi hoc modo accipiantur omnes, ſatius eſt, me iudice, mulionem aut bubulcum, quàm Studioſum creari. Quin cum meis commilitonibus humaniùs agebatur. G. Haud credo. N. At ego credo, vt qui oculis aſpexerim & ſenſerim. Me ſicut præſtantem feram delegerant, quam aliis propè dimiſsis perſequerentur canibus ſuis venatores. Erant autem canes illi, vt in Captiuis ait paraſitus, moloſſici, odioſicíque & multùm incommodiſtici. G. O infelicitatem. N. Vt primùm ingredior, quidam me Archibeanum ſalutare, alij naſo ſuſpenſo ludere, nonnulli medium digitum oſtendere, omnes denique me circumuolare & vellicare, vt aues noctuam. Ibi tum cor meum in pectus emicare

care præ terrore, & animus impleri curis anxiis. Cogebar humi extenſus immotusq́ ſupinus iacere, inſtar mortui. G. Quid te factum ibi? N. Inſtrumētis fabrilibus, ſerra, ſecuri, dolabra, bipenni pulchrè, & ad amuſsim (nempe ad funem bene craſſum) ceu trabs aliqua ædificio conſtituendo accommodatus ſum. Liberaliſsimè pulſata crura, brachia, latera: quid multis moror? totum corpus. Quamobrem ſi me graciliorem intueris, quàm heri & nudius tertius, nihil mirum: multum materię in ſarmentis de me reſectis perdidi. G. In eadem officina ab hinc triennium miſerrima vidi, & eorum pars magna fui. N. Raſerunt boni tonſores barbam meam, cum imberbis adhuc ſim penitus, lauerunt caput frigida, quam ego ipſe è culina, in cuprea & ſordida trulla efferre compellebar. E qua proteruiſsimus vnus, cùm mihi ad latus iret, ſemper faciem meam ſua manu aſpergebat, & genu impacto me protrudebat. Poſthęc pectebar tam ſubtili pectine, vt raſtrum putarem. Recordabar Polyphemi, quem huiuſcemodi pectine vſum ſcribit Ouidius. De linteo quo ſum exterſus, quid ego memorem? quandoquidem ex lixiuio & pectine coniici poteſt eius leuor, & mollitudo. G. Quid vis fieri? patiendum fuit: nam qui ibi ſe reſiſtendo defendit, nihilo plus agit, quàm ſi aquam tundat in mortario. N. Etiam cubitales pueri me ſubſannabant, carpebantque manibus mentum meum ſine intermiſsione: quę vocantur participia. G. An te iratum ſimulabas? an rogabas vt miſereſcerent tui? N. Egóne vt ſimularem? non ſimulabam, verùm medullitus iraſcebar, &

ex animo obſecrabam, ne putarent me pro cibo habere ſic verberari; mitiùs agerent, hominē eſſe me, non belluam. At illi nequiſsimi, quo id magis faciebam, eo me inſiſtebant probris vexare cupidiùs; dicta in me ſalſa, & ſcurrilia ingerebant, recentioribusq; participiis implebant. Quid credis? videbar agnus in gregem luporum deueniſſe. G. Quàm vellē affuiſſe huic comœdiæ. N. Non erat comœdia, erat eculeus, & taurus Phalaridis. Ah, vt dolent omnia, vſq; adeò raptatus, protruſus & contuſus ſum. Quin etiam (infandum) pro tantis iniuriis & ignominiis, tanquam bene meritis, neſcio quantum argenti ſoluere neceſſe habui, gratias agere, & ſacramentum conceptis verbis dicere, non me vltorem aliquando fore. Quod niſi dixiſſem, tenere me vix poſſem, quin aliquibus in me exagitando diligentioribus mutuam pro beneficiis gratiam referrem. Nunquam aliquid animo meo neq; eſt neque fuit ægrius. G. Quidquid perpetratum eſt, non maleuolentia & odio, ſed leuitate & riſus commouendi cauſſa perpetratum eſt. Ignoſce; & puta alios æqualia vel paſſos hactenus, vel paſſuros in poſterum. N. Rem perdifficilem ſuades. Audi inſuper fallaciam admirabilem. Apponebant atramentarium torno factum, cum calamis & charta; iubebant pingere literas. Ego vaſculum aperire cùm vellem, non poteram: epiſtomium quippe non erat inditū, quod amoueretur, ſed erat totum opus ſolidum, &, vt dicebam, tornatile. Hic proſiliens quidam, digitosq; meos bacillo contūdens; prô Superi, inquit, beanus iſte necdum atramentarium aperire didicit. Omnes cachin-

cachinnum tollere. Vt libenter homini caput cō-
mitigaſſem fuſte aliquo,aut ſaltem os pugno per-
curriſſem:valde profectò mihi manus pruriebāt.
G. Modeſtiſsimè tractatus hîc fuiſti:ha ha ha. Nō
meream mihi vel talentum, vt in te hodie non in-
ciderim. Reſtátne aliud quidpiam huius notæ? N.
Reſtat, & ſuperiore vel intolerabilius. G. Expo-
ne ſis, do tibi operam. N. Furcifer quidam me
imprudente iniecit in ſaccum meum, quem veſti
interius aſſutum,& ad femora dependentem ge-
ſto,epiſtolion velut à matre miſſum, quod coram
omnibus extractum recitauit. Deus bone, quàm
effuſo & immodeſto cum riſu tam ſuo quàm a-
liorum quotquot aderant? G. Quid eo contine-
batur? N. Mater lamētabatur abſentiam meam,
& muliebriter, id eſt, ineptiſsimè blandiebatur,
commemorans quantis me cum doloribus pe-
periſſet,quàm ſtudiosè mammam dediſſet, quàm
crebrò oſculata eſſet pulcherrimum infantem,
quanta me deniq; cura eduxiſſet,& quàm arden-
ter me ab ineunte pueritia velut corculum ſuum
dilexiſſet, qui ipſi fuiſſem ocellus aureus, hædil-
lus,agnellus, paſſerculus, & dulci melle dulcior.
Tum adiiciebat, ſe ſomnum capere non poſſe,&
vim lachrymarum profundere in dies ſingulos
propter cruciamenta,quibus me inaudiſſet opor-
tere affligtari in depoſitione iſta. Hæc omnia irri-
ſores illi excogitauerant & ſcripſerāt. Toto tem-
pore nihil fuit ipſis iucundius. Vt riſu pnee cor-
ruebant? vt mihi epiſtolam obtrudebant? vt pu-
gnos impingebant? vt magis magiſq; participiis
me cumulabant? Quid quæris? propemodum to-

tus effectus ſum vnum quoddam participium. Certè, plus ſatis illuſum eſt mihi. Mori me malim, quàm vt hæc patiar denuo. Laruæ, inſaniæ, & intemperiæ miſeros in me ſtimulabant. Si ſciſſem hæc futura, abiiſſem vbi ſunt Academiæ, in quibus nihil iſtorum fieri perhibent. G. Do ſanè, multis in Academiis non fiunt hæc: tamen cur introducta ſint, & iam inueterauerint, poteſt afferri ratio veriſimilis. Non inficias ierim porrò, quædam omitti, alia modeſtiùs committi poſſe. N. Si aliorum initiationi interfuero, malo meo doctus ſum, quo me pacto erga eos viciſsim gerã. Vale. G. Et tu bene vale Narciſſe: atq; audin'. N. Quid eſt? G. Quæ exprompſiſti apud me, ſile apud alios. N. Memorem mones.

ANNOTATIONES.

AD ingenium cuiuſq; naturam, voluntatem explorandam, ad faſtum reprimẽdum, ingenerandamq; modeſtiam hic mos deponendi excogitatus primùm videtur, quod etiam eius cæremoniæ quædam rituſq; communes omnium Academiarum (in quibus ſcilicet tenetur) ſatis indicant, ſi eos intelligas. Initium forſitan cœperit ab Athenienſis Gymnaſij conſuetudine, vbi nouitij captioſis interrogationibus vexari, irrideri, miroq; tumultu ac ſtrepitu in balneum per forum deduci ſolebant. Qua de re multa D. Gregorius Nazianzenus in laudatione D. Baſilij Magni, quem cum Bizantio veniret Athenas, propter opinionem probitatis & doctri-

na,

næ, quam haberet iam tum apud omnes, hac lege ſolutum fuiſſe affirmat. Lege cap. 10. lib. 1. Academiarum Midendorpij. In re igitur ludicra mihi ludendum fuit, et ex præcepto Iſocrat. μηδὲ ποιοῦ τὰ γελοῖα σπουδάζειν, μηδὲ ποιοῦ σπουδαῖα γελοίοις χαίρειν. Nec in ridiculis ſeriò, neq; in ſeriis ridiculè agendum. ERAT ECVLEVS) Eculeus ſtipes erat, cui velut equo imponebantur, ac variè torquebantur, cruciabantur, & diſtendebãtur: id è Prudentio apparet, cùm enim in D. Romani martyrio ſcripſiſſet,

iuſſerat
Euiſcerandum corpus eculeo eminus
Pendere, & vncis vinculiſq; creſcere.

ſubiicit: Iubet amoueri, noxialemq; ſtipitem. Turneb. lib. 4. cap. 3. vbi & vngulæ, cataſta, laminæ quid fecerint declarat. NON MEREAM MIHI VEL TALENTVM) Ne talentum quidem, ne dum minus aliquod pretium, ſeu mercedem mihi velim perſolui, vt hodie in te non inciderim. Quod tibi occurri hodie, & abs te iſta narratione tam recreatus ſum, maius eſt mihi omni pretio. QVAM CREBRO OSCVLATA) De tribus oſculandi generibus vide Donat. in Eunuch. Iam vt illa, amatio, infinitio, tactio, debitio, ambitio, & ſimilia, ſic baſiatio, oſculatio, ſuauiatio leguntur. OCELLVS AVREVS) Ocellos & oculos vocare conſueuerunt auctores optimi eas res, quæ tantum eiuſdem generis rebus, quantum in corpore humano cæteris partibus oculi antecellunt. Sic Catull. villulam ſuam pen-

peninſularum ocellum: ſic Cic. ad Attic. Cur ocellos Italiæ villulas meas non video? & in 3. de nat. Deor. Corinthum & Carthaginem oculos oræ maritimæ vocat. Plura Victor. lib. 9. cap. 9.

PROGYMNASMA OCTOGESIMVMQVARTVM.

Actio Latinitatis.

LATINITAS accuſatrix, M. T. CICERO, diſceptator, ſiue quæſitor, MYXOBARBARVS reus.

LATINITAS. Etſi res noua, atque ante hoc tempus ne fando quidem audita videtur, filiam ad parentis tribunal citato reo actionem intēdere; quia tamen in cauſſa Romani ſermonis tot ſæculorum memoria apud vniuerſas gentes ſummam decernēdi poteſtatem tibi concedere, tuum iudicium exquirere & amplecti tanquam cœleſtia reſponſa omnes cōſueuerunt, viſum eſt faciendum, chariſsime pater, vt ego in hac calamitoſa afflictaq; fortuna mea te quoque iudicem mihi deligerem, cuius integritate, prudentia, æquitate iſtius contumeliis atque iniuriis, quibus me onerare in dies ſingulos non deſiſtit, finem impoſitum, veritatemq; ab eodē nimium diu debilitatam & exagitatam, vindicatum iri magna me ſpes tenet. M. Contra aduerſariā gratio-

tioſiſsimam, & facundiſsimam litem mihi perorandam ſcio. Atque vt hoc ſcio, ſic illud minimè neſcio, in hac ſumma eſſe quæ in me ne mediocria quidem inueniũtur. Veruntamen te M. Tulli ſolitudini atq; inopiæ meæ auxilium laturum, vti virum iuſtum condecet, qualis tu ſemper habitus es, & haberi voluiſti, tuamque virtutem & grauitatem ſolatio mihi futuram confido. T. Quãquam nihil dedit natura dulcius, quàm ſuos cuique liberos, mihiq; mei tum propter indulgentiam meam, tum propter excellens ipſorum ingenium ſunt vita mea cariores, nihilominus fidei & iuſtitiæ, quas ſæpe in aliis iudicibus laudaui, nihil anteponam. Habebo in conſilio legem, fidem, religionem, æquitatem: libidinem, inuidiã, metum, cupiditates omnes amouebo: maximi æſtimabo conſcientiam mentis meæ, quam à Diis immortalibus accepi, quæ à me diuelli non poteſt. Quòd ſi tua fuerit ſecundum veritatem & æqua defenſio, litem ſecundum te dabo, te abſoluam, hæc cauſſa cadet, hanc condemnabo; ſin minus, tu cades, neque ſine tuo magno malo. An aliquid deſideras præterea? M. Quî poſsim? T. Quid controuerſiæ inter vos extitit? L. Myxobarbarus, pater, congreſsionibus hominum quo iure quaq; iniuria me prohibet, & à collocutionibus excludit ac repellit, tantumq; domi in Muſæo, libris circumfuſam, vt aliquam ſellulariam mulierem manſitare vult, & tum demum diſertam atque elegantem, & accuratam eſſe, cùm ipſe mihi calamum in manum ad epiſtolam, orationem, ſeu quidpiam aliud conſcribendum dedit. T. Vt nihil

hil obſcuritatis relinquatur, volo dilucidiùs & vberiùs rem explanari. L. Licet. Hoc dico. Semidoctus iſte negat & pernegat, in conuentu, ſeu in mutuis ſermonibus cogitatè, purè ac bene latinè loquendum eſſe, idq́ꝫ cum gregalibus ſuis vituperabile ducit: barbarè & inquinatè loquēdi licentiam & ipſe ſibi audaciſsimè vendicauit, & aliis etiam proiectiſsimè largitus eſt. En quantos ſibi ſpiritus, quantam arrogantiam ſumpſit? Quòd ſi hodie terſiùs, limatiùs, curaq́ꝫ adhibita apud te diſſeruerit, calliditati eius aſsignato: nouit enim fraudulentus iſte religioſiſsimas, & maximè teretes ac delicatas aures tuas orationibus ſordidis, fluctuantibus, aſperis ac ſalebroſis vehementer inimicas, & infenſas. Si quid componat aliquis, non vetat quin ego conſiliaria, magiſtra & emendatrix accerſar, totamq́ꝫ ſcriptionem pro arbitrio moderer, & vt Lydius lapis explorem. T. Tetrū facinus de te prædicat puella. Ehodum bone vir, quid ais? expedi te hoc crimine. M. Negare nolo me iſtuc facere, quod autumauit. Aſt ego huic inſtituto caput, dux & auctor non ſum: in aliorum veſtigiis pedem pono. T. Qui ſunt illi? M. Docti viri. T. Neceſſarium fore exiſtimo, vt momenta rationum tuarum antè in medium proferantur, quàm vlterius progrediatur Latinitas. Id ſi tuipſe per te agere vis, age: ſin autem, ipſa proferet, teq́ꝫ refutare inſiſtet. M. Nemo me magis quàm egomet intelligo, & ſibi quiſq; eſt fideliſsimus. Non abutar autem patientia tua M. Tulli: dicam breuiter. T. Cenſeo. M. Vnum hoc te rogo, vt me benignè amiceq́ꝫ audias, & efficias, vt neq; amor,

quo

quo filiam tuam, vtpotè ſanguinẽ & genus tuum proſequeris, mihi nocuiſſe, neq; eiuſdẽ eloquentia (cuius vt Grachi Corneliam matrem, ſic ipſa te patrem ſuum auctorem atque magiſtrum habet) me dicentem impediuiſſe videatur: quorum hoc vereor ſanè, illud pertimeſco. T. Depone timorem, & loquere quàm liberrimè. Boni iudicis eſt ſemper verum in cauſsis ſequi; id me, non aliud facturum hodie certus eſto. M. Animaduerti ab eruditis quibuſdam caſtigari eos, qui, cùm libenter Latinum ſermonem congredientes vſurpent, eundem nitidum, politum, floridum ac venuſtũ adhibere pro deliciis habent: quoniam ferè contingit, vt qui accurationem, & diligẽtiam ad ſermonem colloquiumq; conferendam putant, minus literatè ſcribant; ſiquidem neceſſe eſt, dum illarum rerum, quæ ad ſplendidè loquendum valent, iucunditate rapiũtur, in altero imperfectiores maneant. Quis enim res duas pari ſedulitate, ſimiliq; ſtudio tractauerit? Proinde & illi affirmant, & ego aſſentior, neminem adhuc ſe eruditè ſcribentem cognouiſſe, cui promptũ fuerit perbene latinè, ornateq; loqui. Haud inficiamur laudi dandum elegantiùs loqui, & quaſi quaſdam orationis oſtẽtare diuitias: at dum nos huic rei totos impendimus, præclariſsimas artes, quas conſectari oportebat negligimus. Quòd ſi ex bene loquendo oriretur bene ſcribendi facultas, permittenda ſermonis diligentia atq; ſollicitudo videretur: hoc autem non fit: de aliis enim rebus loquimur, de aliis ſcribimus. Loquimur de familiaribus, domeſticis, nouis, quotidie naſcentibus:

ſcribi-

ſcribimus de locis communibus, de Deo, de homine, de virtute, de vitio, de Repub. de pace, de bello, aliſque huiuſcemodi; vbi de nugis antea quantumuis commodè, apparateq́ꝫ locutum eſſe quas tandem opportunitates habebit? Addere poſſum exempla Manutiorum, Sigoniorum, Budæorum, qui, cùm omnis latinitatis eſſent ſcientiſsimi, rarò tamen, & perpaucis, & coacti Latina lingua locuti perhibētur: malebat enim iſte Gallicè, illi Italicè cogitationes ſuas efferre. Qui de ſcriptionis laude non cogitant, illis omni ope conatuq́ꝫ enitendum cenſemus, vt quàm politiſsimè res omnes eloquantur. Hæc vt breuiſsimè & apertiſsimè potui ad inſtitutum meum ab iſtius calumnia tuendum, ita diſſerui. T. Vnam aurem huic dedi filia, alteram tibi ſeruaui. Hic rationem facti ſui reddidit pro viribus: tuum eſt dicta refellere & coarguere; meum iuſtam pronuntiare ſententiam. L. Niſi teipſum ignoras pater, niſi à temetipſo longiſsimè diſceſsiſti, non potes huius vllo modo probare ineptias. M. Obuium eſt maledicere; niſi temperas, reponam tibi par. L. Obmuteſces: infans enim es, niſi cùm ſcribis. M. Fuerímne infans in hac defenſione mea, parens tuus iudicabit; & vt ſim indiſertus, ira faciet diſertiſsimum. T. Tollantur iurgia, certetur argumentis: dic cauſſam tuā filia. L. Rudem, omnisq́ꝫ animaduerſionis expertem orationem in cōgreſsibus adhibēdam ſtatuit Myxobarbarus: ego verò exquiſitam atq́ꝫ diligentem. Ille idcirco hanc tuetur ſententiam, quòd ita meliùs & politiùs ſcribitur. Ridete quidquid eſt cachinnorum: rideret ſi viue-

viueret, & abſurditatem opinionis huius audiret etiam ille, quem ſemel tantùm in vita riſiſſe ſcripſit Lucilius. An illud huic erit impedimento? immò adiumento præcipuo. Quemadmodum enim ad prælium capeſſendũ paratiores ſumus, & arma tractamus longè ſcientiùs, ſi in vmbratilibus pugnis nos priùs exercuerimus: ſic prorſus à conſuetudine & exercitatione præclaræ locutionis ad ſcripturæ concinnitatem, & lautitiam inſtructiores accedimus. Fuerunt item & ſunt etiamnum, qui cùm in vtroq; excellant, poſsintque cùm optimè loqui, tùm belliſsimè ſcribere; ex illo ad hoc, & viciſsim ex hoc ad illud ſe profeciſſe teſtificantur. Iam verò quid vnus & alter de numero literatorum aliquãdo egerit, id quaſi ab aliquo Deo factum ſit, tantum habere admirationis, tantum valere ad exemplum minimè debet: potius quid ab vniuerſis Latinæ linguæ candidatis fieri poſsit ac deceat conſiderandum eſt. Quòd ſi meditatus nec indiligens ſermo nihil ad feſtiuè ſcribendum prodeſt, quæro ſitne profuturus inquinatus, omni cura vacuus, inſulſus & incomptus; & an ideo quiſpiam in ſcriptione niteſcat, quia ſit in quotidiana locutione barbarus ac lutulentus? multò opinor minùs. Attende pauliſper, mi pater, incõſideratiſsimam vocem cuiuſdam de iſtorum colluuie: *Nulla prælectio mihi tanti eſt*, inquit, *vt cogitationis illi aliquid velim tribuere, id namq; me à ſcopo meo auerteret. Ea ſolùm profero, quæ primùm occurrunt, quæ exercitatio longa mihi comparauit.* Nónne hoc eſt diſciplinarum profeſſores iubere

illotis manibus ſuggeſtum conſcendere? Pergit: *Et ſi loquendum eſſet cum viris ſummis, etiam in cœtu maximo, ne verbum quidem vnum præmeditarer; tam libens ineptè, quàm aptè ſententiam exprimerem.* Satis inſipienter hæc: ſed extrema parum animo valentem, ac delirum videntur arguere. *Quòd ſi res maiorem curam poſtularet, talem rem, talem cœtum, veluti peſtem fugerem, ac ſtyli amorem continerem in pectore.* Quis ſe huic erudiendum tradat, niſi qui æquè deſipiat? num hîc è ſquilla roſam, & non potius è malo coruo malum ouum exſpectabimus? Ceterùm illud nequaquam negabo, prompta & expedita bene loquendi facultate haud multos præſtare: neque vlla aut ingenij bonitate, aut memoriæ excellentia, aut ſtudiorum cõtentione, aut vſu fieri poſſe, vt tam docta, venuſta, limataq́; ſit extemporalis oratio, quàm quieta, negotiis carẽs, multaq́; cum commentatione ſcriptura. Pleniora, maturiora, vberiora, elaboratiora ſunt, quæ chartis mandamus, quàm quæ profamur. Cogitatio enim quodammodo alit, format, excolit, auget ſtylum: quem quidem tu, amantiſsime pater, latinitatis ſupremus architectus non ſemel commendaſti. Quamobrem ſi cui vtraq; facultas contigit, tametſi non æqualiter, gaudeat in ſinu: Et ille ſibi nihilominùs plaudat, qui cùm loqui perbene ac ſcitè non poſsit, ſcribendi commoditate præſtat, communeq́; multorum malum ſingulari paucorum bono compenſat. Quod aſſerebas, accidere, vt qui accuratè loquerentur, parum eruditè ſcriberent, cauſſam ego cur ita ſentias

tias nullam video; vt neque eorum quæ deinceps in tua oratione ſequuntur. Non enim neceſſe eſt, vt ſi in hoc ſis induſtrius, in altero ſegnis euadas. Et quiſnam, quæſo, cùm libenter & cum voluptate loquatur purè ac venuſtè, ſcribendo velit amplecti barbariem, ſcabritiem atque ſordes? aut quis ingenium nactus cùm ſit ad illud, in hoc ingenio deficietur? Neque ſunt iſtæ duæ res diuerſæ, latinè loqui ac ſcribere, ſed vna; niſi quòd in ſcriptionem plus operæ curæq; conſumitur; quæ etiam eſt ſermone perfectior: quam ſi bene loqui impedit, quod tu inconſultè fabularis, ergo aut malè loqui adiuuabit, quo nihil ſtultius; aut certè loqui ad ſcribendum non conducet, quod etiam eſt ridiculum. Præterea artes laudandæ non negliguntur: quin hoc ipſo, dum perfectè loquēdi ſcribendiq; affectatur gloria, quæ ſine multis rebus & artibus non comparatur, præclarè diſcūtur; iidemq; doctiſsimi qui latiniſsimi ſemper adhuc inuenti ſunt. Quod addebas, non iiſdem de rebus nos loqui & ſcribere: vt ita ſit, quanquam ita non eſt omnino; ſaltem nullum ſcriptioni impedimentum ſermo obiiciet. Deinde interrogabo iſtos; tu inprimis, mi pater, Virgilius, Terentius, Plautus, an iiſdem de rebus loquamini, de quibus nos ſcribimus. Minimè inquiunt. Et tamen à vobis diſertiſsimè atq; politiſsimè nos loqui ac ſcribere diſcimus. Manutium & alios non idcirco tacuiſſe arbitror, ne fierent in ſcribendo inopes, aridi, exſangues, ſed quia ſuis in ciuitatibus vſum latinè loquendi nullum videbant; & cùm meram ac puram putam latinitatem expro-

mere vellent,timebãt ne apud ſemilatinos in arrogantiæ ſuſpicionem caderent:aut fortè vſu latinè loquendi carebant, nec magis inductione animi, quàm neceſsitate faciebant; quod feciſſe prædicantur. Quòd ſi ad ſcriptionem quidquam prodeſt obmuteſcere & elinguem fieri; tu pater, Quintilianus,aliiq; dicendi doctores hoc in præceptis non omiſiſſent: nullum autem verbum aliquando inueni.Hæc ſunt quæ aduerſus hoc impurum & illotum ſodalitium dicenda habui. Nunc noli, pater, comperendinare; da huic triſtem, mihi ſalutarem literam. T. Inuitus facio vt quemquam damnem: at veritas me cogit pro Latinitate iudicium dare. Erras Myxobarbare. Quòd ſi in hoc tam pernicioſo errore perſeuerare,eum rationibus defendere, ſectam tuam inter ſtudioſos literarum propagare perrexeris, & me grauem aduerſarium atq; inimicum perpetuum es habiturus,& aut vinculis & carceri mandaberis quoad viues, aut ad Scythas exulatum proficiſcêre. L. Dignum factis exitium: iam ſatis eſt mihi,fiat quæſo. M. Res mihi egere deliberatione videtur:poſt triduum renuntiabo quid decreuerim. T. Concedamus illi triduum. L. Concedamus. Quid me aſpectas ſtolide? quid nunc vis tibi?

ANNOTATIONES.

NE FANDO QVIDEM AVDITA) *Paßiuè poſitum gerundium. Plaut. Amphit. Quæ neq; fieri poſſunt, neq; fando vnquam accepit quiſquam.* Cic.

pro

pro Quinct. Non denique vlla vnquam interceſſit poſtulatio, mitto æqua: verùm ante hoc tempus ne fando quidem audita. Virgil. 2. Æneid. Fando aliquid ſi fortè tuas peruenit ad aures. Talia ſunt apud eundem, cantando, videndo, eclog. 8. Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis, & Georg. 3. Carpit enim vires paulatim vritq́ videndo Fœmina. FILIAM AD PARENTIS TRIBVNAL) *Enumerantur fœminæ 3. quæ cauſſas egerunt à Valerio lib. 8. cap. 3. In iis Hortenſia, Q. Hortenſij filia, de qua etiam Quintil. lib. 1. cap. 1. eius orationem apud Triumuiros habitam legi non tantum in ſexus honorem.* VT GRACCHI, CORNELIAM MATREM) *Cornelia Scipionis Africani maioris filia matrimonium tenuit Tib. Sempronij Gracchi, cui genuit liberos duodecim, eosq́ tanti fecit, vt illorum cauſſa Ptolemæi Regis nuptias repudiaret. Cicero in Brut. fuit Gracchus diligentia Corneliæ matris à puero doctus. In eodem lib. infra: Legimus epiſtolas Corneliæ matris Gracchorum. Apparet filios non tam in gremio educatos, quàm in ſermone matris. Quintil. lib. 1. cap. 1. Gracchorum eloquentiæ multum contuliſſe accepimus Corneliam matrem, cuius doctiſſimus ſermo in poſteros quoq́ eſt epiſtolis traditus. Et Lælij filia reddidiſſe in loquendo paternam eloquentiam dicitur. Eurydice Illyria vt filios docere poſſet, prouecta iam ætate diſciplinis animum ſtudiumq́ applicuit. Plutarch. de lib. educand. in extremo.* VNAM AVREM HVIC DEDI) *Traditum eſt memoriæ, Alexãdrum Magnum cum fortè accuſatorem*

audiret, manu admota alteram aurem occluſiſſe. Interrogatum cur id faceret, reſpondiſſe: Quoniam hanc ſeruare me defenſori oportet. Vtraq; pars igitur in controuerſiis & litibus audienda, quantumcunq; manifeſtum & euidens appareat, quod altera dicit. Seneca.

Qui ſtatuit aliquid parte inaudita altera,
Aequum licet ſtatuerit, haud æquus fuit.

PROGYMNASMA OCTOGESIMVMQVINTVM.

Litera Pythagoræ, ſeu biuium Herculis.

SOPHIA, PALATINA, ADOLESCENS fluctuans.

SOPHIA. Iam dudum te, quiſquis es, & vnde vnde veneris, chare iuuenis (certè autem ex hominum vulgo, & alicuius baiuli, aut operarij filius non es) in hoc ſeceſſu, ſub iſta quercu ad biuium ſedētem intuita, vultum mœſtitia ſuffuſum, & aliquam animi ægritudinem, ancipitíſue cogitationis diſtractionem, aut tædium ac ſatietatem cuiuſpiā negotij declarantē obſeruaui. Vidi quemadmodū modò vngues roderes, modò caput ſcaberes, modò brachia diſsipares, modò librū abiiceres: quocirca tui cōueniendi, conſolandi, & inſtituendi voluntas me ſubiit. Ibo aduorſum, inquā, & electabo quidquid eſt moleſtię.

Quod

Quod eſt hoc inteſtinum malum quod te cruciat? ne clauſum tene in pectore. P. Et ego, lectiſsime ornatiſsimeq́ adoleſcens, viã ad te flexi, vt allocutione mea prodeſſem tibi: quare idẽ te interrogo. At imprimis noſſe te intereſt quæ ſimus. A. Deas quiſpiã vos ambas ſuſpicari poſſet; adeò & auguſtus eſt vtriuſque habitus, & plus quàm humana ſpecies ac pulchritudo : vox verò ipſa diuinum quiddã ac cœleſte ſonat. O quænam tandẽ? vnde? quò greſſus dirigitis? S. Tibi generis mei claritatẽ vno verbo pandã. Pater mihi eſt Deus, matre careo, quam nunquã habui: Sapiẽtiam Latini, Gręci σοφίαν vocitant. A. Papæ, coniecturam ex reipſa capio. Tu illa es, quam patrimam, & è capite cœlicolûm regis ortam poëtæ canunt. S. Nequaquam: nihil mihi cum commentitiis antiquorum numinibus. Mineruam neſcio, Iouem non adoro. Ab vno illo ſoloq́ rerũ effectore ac principe Deo me procreatam, & cum genere humano, quod ipſe admodum vehementerq́ diligit communicatam omni aſſeueratione affirmo. Ille eſt omnis ſapientiæ fons & origo. P. Mihi Palatina nomen eſt: ſum præſes ac domina eorum, qui vitam colunt aulicam, potentiſsimiſq́ Imperatoribus ac Monarchis, opulentiſsimis regibus, nobiliſsimis dynaſtis ad nutum inſeruiunt. Ecquid te capit ſpecies mea? A. Quo magis aſpicio, hoc magis vtraque placetis : ſed egomet mihi ſummoperè diſpliceo, meiq́ me valde pœnitet. S. Quãobrem? A. Quia confuſus atque incertus mentis ſtatuere non poſſum, quid poſthac incipiendum ſit; procederéne debeam in colendis litera-

rum ſtudiis, an ad aliquod plebeium artificium appellere animum. P. Quid iſtuc verbi ex ore tuo profluxit? tam eximia facie, tam præſtanti corpore adoleſcentem cogitare opificium? Non diſcedam hinc, niſi te mecum abduxero, fecero-que vnum è domeſticis potentiſsimi alicuius Regis, eumque vel à cubiculis, vel à poculis, vel ab epiſtolis. S. Vel à ſtabulis, vel à tergendis calceis, vel à canibus. P. Oh, quid tu? S. Nónne hi quoque ſunt aulici? Sed tu mihi iſtum bolum hodie è faucibus, vt ſpero, non eripies. Frangam ſententiam tuam, frangam impetus. O adoleſcens optime, túne faſtidio teneris literarum? A. Maximo. P. Nec primum hunc eſſe ſcito, nec poſtremum fore, qui ſpreto ac deſerto ignauiſsimo clientum tuorum otio in gremium ſe meum recipiat. S. Non me latet, in aulis excellentia euanuiſſe, & quaſi in nihilum occidiſſe ingenia, quæ à me rebus ampliſsimis atque honorificentiſsimis ornari potuiſſent, quibusq; ciuitatum ſalus, & incolumitas niti debuiſſet. Quid verò creauit tibi iſtuc tam delicatum faſtidium? A. Quòd neque vllam neceſsitatem, neque tam admiranda commoda, neque tam incredibiles ſuauitates ineſſe in his occupationibus atq; laboribus animaduerto: quin contra moleſtias innumerabiles, & incommoda nec pauca, nec mediocria. P. Facetè, lepidè, lautè, nihil ſuprà. Si quid verum eſt, hoc eſt. S. Deprehendo etiam atque etiam, te non ita longè prouectum à primo littore, nec delatum adhuc fœlicibus Euris in ipſum eruditionis vaſtiſsimum altiſsimumque pelagus: nun-

nunquam tu has coram me voces emiſiſſes. Sic autem iudico, magis bonam voluntatem ac diligentiam, quàm bonum ingenium hactenus tibi defuiſſe. A. In tua penetralia nondum me penetraſſe confiteor; quòd ſi tamen aures patefacere mihi parumper volueris, non planè fatuum cognoſces, nec ſine iuſta cauſſa rem in deliberationem adducere, & curas animum meum haud immeritò diuersè trahere, pergámne hoc vitę genus agitare, an vel artem aliquam ſedentariam addiſcam, vel in militiam proficiſcar, vel etiam aulicas elegantias amplectar, quò me iſthæc aduerſaria tua pellicere videtur. P. Pelliciam & hortabor profectò, téque aduerſus iſtam diſſerentem enixè adiuuabo. S. Aquila non captat muſcas, & teſtudo non ſentit culices. Dicite quæ fert animus. A. Cùm neceſſarium id definiatur, ſine quo res aliqua finem & propoſitum ſuum aut nullo modo, aut non ſatis commodè aſſequatur, neutrum neceſsitatis gen⁹ in literas cadit. Finis quippe hominis eſt felicitas, quam ſi quis in artibus iſtis quas honeſtas, ingenuas, liberales appellitant, quærendam putat, verendum eſt magnoperè, ne pro theſauro carbones effodiat. De ipſa autem felicitate opiniones trecentæ inter doctos; & adhuc ſub iudice lis eſt. P. Iſtuc verò bene. S. Multò faciliùs & commodiùs auxilio doctrinę ad beatitudinem peruenitur. P. Erit ergo quiſque hoc ſanior, formoſior, copioſior, quo doctior: ſine iſtis enim non eſt conſummata felicitas; tametſi eam in virtute potiſsimùm Peripatetici tui conſtitutam eſſe philoſophantur. S. Non ego philoſophicam potiùs

quàm Chriſtianam beatitatẽ intelligi volo, quam is faciliùs conſequitur,qui Deum ardentiùs amat: amabit ardentiùs,qui clariùs cognoſcet; cognitio ſiquidem amorem parit: nemo autem cognoſcere poteſt Deum,niſi qui res ab eo conditas intelligentia percepit. Inuiſibilia enim Dei per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur: ſempiterna quoq; eius virtus & diuinitas.Et quamuis non ita ſentirem,tua tamen argumentatio nihil efficeret: non enim quoniam aliquid ad aliud conſequendum vim & momentum affert, idcirco illud dat, tantóque amplius dat, quanto plus ad acquirendum prodeſt. Sine vehiculo poteſt quis pedibus ſuis in locum remotum peruenire,facilius autem atq; celeriùs vehiculo: non ideo totum eſt ſitum in vehiculo; commoditas tantùm illius eſt, quæ nulla erit, niſi aſcendis, niſi equos adiungis, niſi eos flagello increpas, vt procedant alacriter. A. Veruntamen vt à genere ſummo deſcendamus, poſſum dicere quare neceſſaria fuerit calcearia, quare neceſſaria ſutura, architectonica, textoria, & ſimiles: quid opus ſit Grãmatica, Muſica, Geometria, cæteriſq; non video. P. Nec ego. S. Nec ego viderem ſanè, ſi veſtros haberem oculos; & vos perſpicuè videretis,ſi meos haberetis. P. Cœci ergo tibi videmur? S. Cœci; vt ille qui Platoni dicebat, videre ſe cyathum, videre menſam, at cyathitatem, & menſeitatem non videre. P. Niſi tu fortaſsis dicas,diſciplinas iſtas liberales, vt vocas,animo eſſe neceſſarias,quem ornent atq; perficiant. S. Dico. P. Hinc eſt quòd docti iſti hominem illiteratum nihil niſi forma à beſtiis, & tan-
quam

quam equũm indomitum à domito differre clamant. S. Haud falsò. P. Omnes ergo qui literas neſciunt, beſtiæ: vos ſoli homines. Eſtote Dij ſi vultis. S. Non ſoli homines, ſed excellentiores homines,ſeu magis homines.Eſt enim hominũm propria veri inquiſitio & mentis agitatio, quæ in rudibus permodica eſt,in doctis multa &aſsidua. Proinde perſapienter Ariſtippus: ſatius eſſe fieri mendicum quàm indoctum: quòd ille tantùm eget pecunia, hic humanitate. Cui deeſt pecunia, eſt ille quidem homo: at homo non eſt (hoc eſt, hominis nomine dignus non eſt) cui deeſt eruditio. Cur igitur qui pecunia caret,à viatoribus petit; qui eget ſapientia, neminem eius adipiſcendæ cauſſa ſollicitat? P. Qui eſt animal rationis & conſilij compos, is mihi homo perfectus videtur. Omnes tales ſunt. S. Stultíne etiam perfecti? Si dixeris; tum iudicio tuo inter ſtultum & ſapientem nihil intererit. Hoccine erit purpuram iuxta purpuram diiudicare? Si negaueris;quæram,cur? an quia rationis compos non eſt? imò eſt: an quia ratione parum vtitur? ita, dices. Perfectio igitur hominis à perfectiore vſu rationis eſt, qua perfectiſsimè vtuntur, qui ſunt literarum doctrinis quàm maximè imbuti. An non perfectiſsimi homines qui ſapientiſsimi? P. Eſto. S. Nónne eruditiſsimi ſunt ſapientiſsimi? P. Priùs vt confitear me cogis iſtis punctis interrogationis tuæ, quàm vt aſſentiar. Accipe reliqua velut vno cumulo. Aut priuatis aut publicis rebus ſunt neceſſariæ literæ. Si priuatis; paterfamiliâs vxorem, liberos, ſeruos malè gubernabit, niſi linguam Græcam & Lati-

Latinam nouerit; nihil vendi, nihil emi, nihil negotij inter vicinos conferri, ſine Rhetorica, Dialectica, Aſtronomia poterit. Quod ad publica attinet, ſæpe illud Platonis audiui: Tum demum beatas fore Reſpub. cùm aut Philoſophi eas regere incipient, aut qui regunt, philoſophabuntur. Quare igitur ipſe, vt Athenarum gubernacula ſuſciperet, ſe adduci non eſt paſſus? quare ſcripſit Philoſophos non acceſſuros ad Rempub. niſi coactos? Populi mores ferre non poſſunt, quietem nimis amant. Non ergo commodo eſt Philoſophia ciuitatibus, ſi Philoſophi ſe à ſtudiorum contemplatione ad negotiorum tractationem auocari nolunt. Quam diu literę à Romanis repudiatæ fuerunt, virtus & diſciplina militaris apud eos in honore fuit: cum primùm otium veſtrũ inertiſsimum illud clariſsimum imperij domicilium, illam arcem omnium gentium occupauit, neque tam boni, neq; tam fortes & generoſi poſtea ciues extiterunt. Quę doctrina fuit Romuli? quę Numę Pompilij? quæ Tarquinij Priſci? quæ Seruij Tullij? quę multorum Imperatorum, in quibus etiam Iuſtinianus ἀναλφάβητος, qui tam ſapienter, moderatè & clementer imperauerunt? Si neceſſariæ ſunt artes; omnes ne, an aliquæ? De Grammatica vanitatis ſit affirmare. Mathematicæ otioſam habent delectationem, & obſcuritatibus refertæ ſunt. Dialecticorum ſermones ipſimet Philoſophi aranearum telis ſimiles confitentur; vtpotè ſubtiles quidem, ſed inutiles. Rhetorica non minimam partem incommodorum vrbibus & prouinciis ſæpe importauit, eſtq; inſtrumentum ſeditio-

ſeditionum & tumultuum. Iureconſulti ex æquo &bono iudicant prçcipuè,quod facere poſſemus etiam nos,qui Iureconſultorum nomen atq; perſonam non gerimus. Medici non niſi coniecturis ferè nituntur. Philoſophia eſt plena incertis opinionibus. Theologia non ad Rempub.temperandam, ſed ad ſalutem animarum procurandam eſt vtilis, quam apud Sacerdotes reperias, ab Imperatoribus fruſtra deſideres. Oſtendi non eſſe literas neceſſarias,putóq; ſimul oſtenſum parum eſſe vtiles: tum enim valde commodas iudicare licuiſſet, ſi vita humana iis carere minimè potuiſſet. Quibus autem angoribus implicitus, quibus moleſtiis cinctus, quibus malis obrutus fueris, tu bone adoleſcens, dum incumberes in literas, rectius ipſemet explicabis. A. Quo pacto iucundum eſſe queat, à quo nihil vtilitatis ſperes? Lætari & exultare gaudio fortaſſe poteſt,qui iam in doctrinarum eſt poſſeſsione collocatus: at cui,quæſo,id ante obitũ contigit? Cùm ſapere incipimus, tum à nobis debitum natura exigit, & colligere vaſa, ac de vita recedere volentes iubet, nolentes compellit. Atq; vt delectarent,non eſt tamen ſapientis, ſequi potius quòd delectat, quàm quod commodat. Ego porrò non alias literarum delectationes cerno, quàm frequentem capitis dolorem, qui exiſtit,cùm intendere cogitationem velut arcum continenter vrgemur, & in altiſsimo puteo Democriti latentem veritatem perſcrutando indagare cogimur; crebram tuſsim,epiphoras, multas cruditates,inſomniam,nauſeam, phtiſin,variosq; morbos. Noctes & dies requirunt libri,ſocietates

&

& colloquia amicorum excludunt, patrimonia exſorbent. Hæccine poſſunt eſſe voluptati? hæccine expetenda? P. Ito iam Sophia, prædica te nectar & ambroſiam præbere alumnis tuis. Quin è veſtigio mecum vadis? A. Quónam? P. In regiam. S. Per Deum immortalem noli adoleſcens huic auſcultare, quæ te ſuæ temeritatis implet & inſaniæ; noli cantionibus huius veneficæ delinitus, animum ad malas partes adducere: nondum audiſti reſpõſum meum, quo diſturbabo huius machinas. P. Ito mecum: honores, potentiam, diuitias, voluptates tibi polliceor. A. Accendis me pollicitationibus tuis: ſed explicatiùs pollicere. P. Túne ignoras inter miniſtros Principum quanta varietas, quantum nominis, auctoritatis, loci muneriſq; diſcrimen? nónne complures honorum gradus? A. Nõ ignoro iſta. P. Nónne ab vno ad alium, ab inferiore ad ſuperiorem, ab infimo ad ſummum aſcendi ſolet? A. Etiam, ſolet. P. Prô quanta aulicorum gloria? Incedunt per vrbem, homines paſsim nudant caput, aſſurgunt, genua flectunt: ſi ad mutuum ſermonem veniatur, ſi ſalutentur, ſingularis adhibetur cærimonia, manibus figuntur oſcula, delecta verba, pudoriſque ac reuerentiæ plena vſurpantur. Nónne ipſorum opem ac gratiam mortales plurimi expoſcunt? nónne ipſos ſibi propitios imprimis facere laborant? nónne ipſorum apud ſe habere imagines, iiſq; domum illuſtrare percupiunt? Poſſunt illi & nocere & prodeſſe multis; nec pluris propemodum refert, vtrum apud aulicos domino ſuo charos, an apud dominũ ipſum in offenſa ſis. Licebit

præ-

præterea tibi ex ærario Principis magnificentiſsimas ædes conſtruere: quin vltro, nec rogatus nũc mille, nunc duo aut tria aureorum millia donabit; nunc torquem, nunc pateram, nunc inauratum enſem, nunc aliud quippiam magni pretij. Longa famulorum caterua comitatus, auro & oſtro conſpicuus prodibis. Si vehi cupies, paratus currus te dignus; ſi equitare, è Turcia aut Hiſpania præſto erit elegantia mira caballus. Fruêris inſuper quotidianis, iisq́ ſuauiſsimis oculorum, aurium, odoratus, guſtatus, tactionisq́ voluptatibus. Videbis ludos apparatiſsimos, ſpectacula ſumptuoſiſsima, hominum vtriuſq́ ſexus & forma inſignium, & veſtibus non tantùm mundiſsimis, verumetiam rariſsimis indutorum cœtus: quos choreas identidem ducentes aſpicere quàm erit iucundum? Ibi perelegantes picturæ paſcent animum, morabunturq́ oculos belluata, & auro argentóque intexta vela, quibus parietes conueſtiuntur: ſupellex denique omnis viſetur ibi tam lauta, tam copioſa, tam artificioſa, vt quidquam optari melius non poſsit. Ædificia ipſa è ſolido marmore, mirabili & exquiſito opere fontes, amœniſsimi horti, prꝍſtantes ferꝍ, lectiſsimi canes; catuli etiam Melitæi, ſimiæ, pſittaci. Infinita memorare poſsim præterea ibidem oculorum oblectamenta. Quid aures? illꝍ verò dulciſsimis muſicorum cantibus aſsiduò recreabuntur, miſcebis colloquia optatiſsima cum illuſtribus viris, & de magnis viris, qui ad gloriam virtutis via graſſati ſunt: nihil acciderit in Germania, nihil in Italia, nihil in Gallia, nihil in Hiſpania, nihil in Perſide,

nihil

nihil in Turcia,nihil in toto terrarum orbe,quod tibi non etiam narrabitur. Menſa conditiſsimis optimíſque & diuerſiſsimis dapibus conſtructa, quantam pariet voluptatem? quod enim Principi apponetur, tibi quoque appoſitum iri ne dubites. Quid vina dulciſsima,generoſiſsima,è peregrinis terris allata memorem, quæ poculis gemmatis & criſtallinis miniſtrantur? quæ porrò in aulis vnguenta,qui flores,qui odores deſiderãtur? omnia perfecta, quibus & corpora & animi reficiuntur; multóq; plura reperies, quàm à me breui ſermone poſsit exponi. Quocirca dubitationem quæ te habet prorſus excute, me hac via ad quam ſedes ingredientem hilari paſſu ſequere: nunquam te ſuſcepti conſilij pœnitebit. Plures dixerunt ſalutem iſtis ignauiſsimis literis, quos ego ex ignotis notos, ex egentibus beatos, ex infimis ſummos reddidi: tu noli ſapere nimium, & laureolam in muſtaceis quærere. A. Acres mihi ſtimulos admouiſti: parum omnino abeſt, quin te ſequar. S. Faciam ego tu idem aliter prædices. Adoleſcens, vnum rogare te volo. A. Quid vis? roga. S. Vt auſcultes & diſcas à me, quos tibi fumos indocta huius garrulitas vendiderit. P. Eia fumos. S. Etiam; meros fumos,& ſi quid eſt fumo inanius. In ſpeciem te multi venerabuntur; vbi præterieris, medium extendent digitum,male dictitabunt tibi,tua vitia in ore habebunt. Quis explicabit ſollicitudines, quis oratione cõſequetur metus,quibus iſti aulici noctes & dies ſuſpenduntur, cùm ſe negligi, alios efferri, aut ſibi præferri aſpiciunt? cùm honorem quiddam lubricũ eſſe,quòd parua offen-

offenſione interpoſita amitti, & ignominia etiam multa compenſari poſsit,conſiderant?Potentiam verò diuturnam obtinere quempiam inuidorum obtrectatorumq; inſidiæ, & multorum odia non ſinunt. Quiſque primus eſſe nititur; & quo quis Principi gratior fuerit,quò apud illum plus poterit, eò à pluribus oppugnabitur, & tandem ruet: grauiſsimè autem ruunt, qui ex tam alto dignitatis gradu prę̨cipitantur,& inimicis ſuis fiunt ludibrium,ſibi dolorē,amicis dedecus ferunt. Quàm autem indignum & riſu proſequendum, vt diuitias aſſequare,libertatem vendere?quo enim pluribus beneficiis te cumulauerit Princeps, eo ampliùs obſeruare nutus eius, & ad omnia inſeruire te ipſi oportebit: militare, nauigare, iuſta, iniuſta imperia exſequi;ridere ſi rideat,flere ſi fleat.Noui ego nonnullos qui cùm maiorum virtute eſſent diuites ſatis, in aula fortunarum naufragium fecerunt: multiq; cùm tot annos exegiſſent vitam illam,nec ad vllum honorem,nec ad opes peruenire quantaſcunque potuerunt.Iam ſi extremum bonū ſitum eſſet in voluptate, rectè eam ſibi proponerent, qui aulam cogitant, vt dediti corporis gaudiis, æuum ſuum exigerent. Cæterùm alibi vera bona & homine digna ſunt repoſita. Quàm multa nihilominùs iucunda & admiranda non videre eos neceſſe eſt,qui latera Principum ſtipare coguntur? Nec tantum hauriunt in aula voluptatis oculi, quantum doloris: audiuntur autem plura quæ diſpliceant, quàm quæ placeant. Obſcœnas voluptates omitto, quibus fruendis quò quis eſt beatior, tanto eſt infelicior: atq; in ea ipſa

re quot timores, & incommoda inſint, nemo facilè dixerit. Guſtus & odoratus voluptates ſectari pecudum eſt, quas natura pabuli tantùm ſtudioſas finxit: ac ſæpe muſcas potius, quàm iſtos videbis epulas regales attingere. Quoties, donec plerumq; noctis proceſſerit, exſpectanda cœna? quoties prandendum cœnandumq; ſimul? malè cocta, frigida, inſulſa, & aliquando ante lucem ortam compellêris eſitare, niſi velis nimium diu eſurire. Cùm in meridie pranderis, poſt horam iubeberis cœnare; nihil enim propemodum certo ac ſuo tempore fit in aula: hinc vomitus, calculus, inteſtinorum dolores, variaq; morborum cruciamenta. Vinum bibes ſæpe corruptum, nec quantumuis ſitiens bibere audebis, niſi maiores cœperint, tranſibitq; poculum per multorum manus, priuſquam ad te veniat, & in fundo fæx plurima hærebit: carnes edes frigidas, immundas, legumina ſemicocta, piſces paratos ante quatriduum. Tædet plura enumerare incommoda, quæ non perpendunt, qui ad pauca quædam foris magnifica, & in ſpeciem conſectanda reſpiciunt. Agricolam, priuatum aliquem ciuem, opificem deniq; aulico feliciorem arbitror. Nunc, mi iuuenis, meliora capeſſe conſilia, & deſerta Palatina ad meam te voluntatem nutumq; conforma, ad meas te rationes adiunge, ac ſcito, me ea expectare abs te, quæ à ſumma virtute ſummóque ingenio expectanda ſunt. A. Tua oratio, Sophia, ad veritatem viſa eſt propenſior. Quare tametſi aulam non cogito, tamen niſi mihi ſtudia literarum inſigniter collaudaueris, & flammã in pectore meo creſcere inci-

incipientem confoueris,atq; in immenſum adauxeris,etiam te non potero ſequi. P.O ſtultum;littori & vndis concionata ſum: præ iracundia nequeo animum ad cogitandum inſtituere. Abi in crucem cum tua muliercula. S. I hinc quò digna es cum tuis tam lepidis concluſiunculis.

ANNOTATIONES.

LITERA PYTHAGORÆ) *Curſum vitæ humanæ Samius ille ſenex literæ Y cõparauit, cuius baſis pueritia,ſummum autem baſis,vbi videlicet duo cornua oriri incipiunt, limen ſeu initium adoleſcentiæ, quod quiſq; hominũ cùm attigerit,hæreat,ac neſciat in vtram ſeſe partem det,dextrámne an læuam vitæ agendæ viam teneat. Illam eſſe virtutis bonarumq́; artium, aſperam quidem,ſed exitu iucundam & amœnam: hanc luxuriæ, inertiæ & ignauiæ, gratam & ſuauem in ſpeciem, ſine ipſo plenam miſeriæ. Qua de re Lactant.lib.6.cap.3.& 4. Fertur etiam carmen inter cætera Virgilianæ Appendicis, Littera Pythagoræ diſcrimine ſecta bicorni, &c. Sic Prodicus Sophiſta Herculi etiamnum puero in ſolitudine ad biuium ſedenti virtutem & voluptatem apparuiſſe, & vtramq́; ad ſe Herculem perducere conatam finxit. Meminerunt Xenophon lib.2. ἀπομνημον. Quintil. lib.9. cap.2. Cic.1. Offic. Silius Italicus figmentum hoc ad Scipionem ſub lauro ſedentem, & de bello cogitantem tranſtulit. Talis deliberatio eſt Lyſitelis adoleſcentis in Trinum. Plauti. Huc referatur ſomnium Luciani de*

ſtatuaria & Pædia. Huc anguſta porta & lata via, de qua apud Matth. MODO VNGVES RODERES) *Sic facere conſueuerunt, qui aut de mutanda re, cuius pœnitere cœptum eſt, ſeriò multumq́ cogitant, aut in aliqua attentiſſima cura defixum habent & immerſum animum: præcipuè autem, qui maiorem ponunt in ſcribendo attentionem ac diligentiam. Hinc Perſius negligentiam Poëtarum reprehendens: nec demorſos ſapit vngues. Et Horat. de Lucilio Sat. 10. lib. 1.*

Si foret hoc noſtrum fato delatus in æuum,
Detereret ſibi multa, recideret omne quod vltra
Perfectum traheretur, & in verſu faciendo
Sæpe caput ſcaberet, viuos & roderet vngues.

QVAM PATRIMAM E CAPITE) *De ortu Mineruæ è capite Iouis exſtat feſtiuus apud Lucianum dialogus. Quorum vterq́ parens in viuis eſſet, patrimimatrimi dicebantur. Quibus pater mortuus, matrimi; quibus mater, patrimi. Catull. epig. 1. Mineruam vocauit patrimam virginem (ſic enim quidam rectè legunt pro patrona virgo) quod matre carens, tantùm haberet patrem.* TE NON ITA LONGE PROVECTVM) *Vulgò dicitur: Scientiam neminem habere hoſtem, niſi ignorantem. Qui enim in adyta diſciplinarum ſemel introierunt, ij demum experiuntur, quàm ſit verum illud Ariſtoteleum: radices literarum amaras eſſe, fructus verò dulces. Ac poteſt ſanè quod de Dialectica ſcripſit Gellius lib. 16. cap. 8. ad quamlibet doctrinam liberalem, atque ad chorum totum Muſarum æquè referri.*

Huius

Huius diſciplinæ ſtudium atq; cognitio, inquit, in principiis quidem tetra & aſpernabilis, inſuauisq; eſſe, et inciuilis videri ſolet: ſed vbi aliquantum proceſſeris, tum deniq; & emolumentum in animo dilucebit tuo, & ſequetur quædam diſcendi voluptas inſatiabilis. Cui ſanè ſi modum non feceris, periculum non mediocre erit, ne, vt plerique alij, tu quoque in illis dialecticæ gyris atque mæandris, tanquam apud Syrenios ſcopulos conſeneſcas. ARTEM SEDENTARIAM) *Sedentarij & ſellularij opifices ſunt, textores, ſutores, ſartores, & omnes denique, qui ſedendo opus faciunt, eæq; artes ſellulariæ, & ſedentariæ dicuntur, ſuntq; in contemptu propemodum.* QVI PLATONI DICEBAT) *Laert. in Diogene rem his verbis exponit. Platone de Ideis diſſerente, & nominante menſalitatem & cyathitatem; equidem, ait Diogenes, ô Plato, menſam & cyathum video, menſalitatem verò & cyathitatem non video. Rectè (inquit Plato) quibus enim cyathus menſaq; conſpicitur oculos habes: quo autem menſalitas, & cyathitas intelligitur, animum non habes. Hac hiſtoria melius ſe tuebuntur, qui ob rerum obſcuritatem voces coguntur inauditas procudere, & illo Lucretij:*

Multa nouis verbis præſertim cùm ſit agendum
Propter egeſtatem linguæ & rerum nouitatem,

melius, inquam, ita ſeſe defendent, quàm eo, quod Cicero Lentulitas & Appietas dixerit. ESTOTE DII SI VVLTIS) *Meſſeniorum legati, aut alius ciuitatis, legati certè, Philippo Regi narrarunt, decreuiſſe Rempub.*

propter rerum ab eo geſtarum gloriam & magnitudinem in deos ipſum referre. Tum Rex ita quæſiuit: Habétne veſtra Reſpub. poteſtatem faciendi deos? Illi, habet, inquiunt, Et Rex: Facite ergo primùm vos ipſos deos. Non ita filius Alexander, qui Dario ſuperato ſpiritus ingentes, immoderatosq́ concipiens, Græcis ſcripſit: vt ſe deorum numero ducerent. Aliis igitur aliud ſtatuentibus, Lacedæmonij decretum tale fecerunt. Quoniam Alexander deus eſſe vult, eſto deus. Laconicè & patrio more hominis ſtuporem, & vecordiam redarguerunt. Ælian. lib. 2. cap. 19. Idem ægrotus ſe in Euphratem deiicere cogitauit, vt cùm non appareret, ad deos abiiſſe crederetur. Rhodigin. lib. 3. cap. 5. In eodem de iis qui aut ſeipſos fecerunt deos, aut relati ſunt in deos. EST ENIM HOMINVM PROPRIA) *Cic. 1. Offic. Inprimisq́ hominis eſt propria veri inquiſitio atque inueſtigatio. Itaq; cùm ſumus neceſſariis negotiis curisq́ vacui, tum auemus aliquid videre, audire, addiſcere, cognitionemq́ rerum aut occultarũ aut admirabilium ad bene beatéque viuendum neceſſariam ducimus. Et infrà non longè: Omnes enim trahimur & ducimur ad cognitionis & ſcientiæ cupiditatem, & quæ ſequuntur. Quæ ſententia eſt etiam Ariſtotelis lib. 1. de Sapientia.* QVI EGET SAPIENTIA, NEMINEM) *Laert. Percontanti Dionyſio, quamobrem Philoſophi diuitum limina tererent, diuites verò philoſophorum non item. Quòd illi, inquit Ariſtippus, ſciunt quibus indigeant: at hi neſciũt. Duæ ſunt præclaræ ſententiæ Iſocratis, oratione ad Demoni-*

monicum, quæ quidem referta eſt præceptionibus ſaluberrimis: eas attuliſſe, videtur ex vſu futurum, ſpectant enim ad rem propoſitam. Audiuiſſe multa præſtare puta, quàm pecuniæ multum coëgiſſe. Nam hæc facilè amittitur, illa perpetuò durant. Solius enim ſapientiæ poſſeßio eſt immortalis. Altera continenter ſequens hæc eſt. Ne te pigeat longam ire viam, ad eos, qui ſe aliquid vtile docturos profitentur. Cùm enim mercatores rei familiaris augendæ gratia tanta maria tranſmittant, turpe fuerit adoleſcentes excolendi ingenij cauſſa, nec terreſtre iter velle ſuſcipere. ANIMAL RATIONIS ET CONSILII COMPOS) *Cic. 1. de legib. hominem deſcribit his verbis. Animal hoc prouidum, ſagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis & conſilij, quem vocamus hominem, præclara quadam conditione generatum eſſe à ſupremo* Deo. *Solum eſt enim ex tot animantiū generibus, atq; naturis particeps rationis & cogitationis, cùm cætera ſint omnia expertia. Idem 4. de finib. Hoc ſolum animal natum eſt pudoris & verecundiæ particeps, appetenſq́; coniunctionem hominum ac ſocietatem, animaduertenſq́; in omnibus rebus, ne quid ab eo fieret, niſi honeſtè & decorè.* PVNCTIS INTERROGATIONIS TVÆ) *Fuit hic mos Stoicorum, quorū omnis cura in dialecticis conſumebatur, quiq́; diſputationum ſuarum veluti laqueis alios irretiebant. In Tuſcul. Stoicorum more agamus, qui breuiter aſtringere ſolent argumēta. Et præfat. Paradox. Cato autem perfectus (mea ſententia) Stoicus, & ea ſentit, quæ non planè probantur in vulgus, & in ea*

eſt hæreſi, quæ nullum ſequitur florem orationis, neq; dilatat argumentum, ſed minutis interrogatiunculis, & quaſi punctis, quod propoſuit efficit. CVM AVT PHILOSOPHI EAS REGERE) *Eſt apud Platonem in V. de* Rep. *loquens Socrates in hunc modū:* ἐὰν μὴ οἱ φιλόσοφοι βασιλεύσωσιν, *etc. id eſt. Niſi vel Philoſophi ciuitatibꝰ imperitent, vel ij, qui nunc reges & dynaſtæ appellantur, legitimè, & quod ſatis eſt philoſophentur, atq; in idem ciuilis facultas & philoſophia concurrant, & contra, quàm hoc tempore in vtroq; fit, ingenia multa neceſſariò diuerſa in ſtudia diſtrahantur, nunquam malorum finis reperietur.* Cic. *ep. 1. lib. 1. ad Q.F. paucis totius ſententiæ ſummam eſt complexus: Atq; ille quidē princeps ingenij & doctrinæ* Plato, *tum deniq; fore beatas* Reſp. *putauit, ſi aut docti & ſapientes homines eas regere cœpiſſent, aut qui regerent, omne ſuum ſtudiū in doctrina ac ſapientia collocaſſent.* VT ATHENARVM GVBERNACVLA) *In 1. Off. Itaq; eos (philoſophos) ne ad* Remp. *quidē acceſſuros putat, niſi coactos. Æquius autē erat id voluntate fieri. Vide locum. Præterea epiſt. 9. ad Lentulum, cur ipſemet Remp. attingere noluerit, cauſſam quandā affert: nempe quòd cùm offendiſſet populum Athenienſem prope iam deſipientem ſenectute, cumq; eum nec perſuadendo nec cogēdo regi poſſe vidiſſet, cùm perſuaderi poſſe diffideret, cogi fas eſſe non arbitraretur. Ælian. lib. 3. cap. 17. plurimos philoſophos recenſet, qui* Reſp. *gubernauerint, eaſq; inſtituerint, & emendauerint.* QVAMDIV LITERÆ A ROMANIS) *Anno ab* V.C. CCCCX. *ſeu vt alij numerant*

DX.C.

DX. C. Claudio Cæci filio, & M. Tuditano Coſſ. Liuius Andronicus Romæ primus dedit fabulam, anno vno ante natum Ennium, qui fuit maior natu, quàm Plautus & Næuius. Serò igitur Romani poëticam acceperunt. At contrà Oratorem celeriter complexi ſunt, nec eum primò eruditum, aptum tamen ad dicendum. Vide initium 1. Tuſcul. Quin edicto prohibiti ſunt docere, & vt putabãt, ignauia corrumpere iuuentutẽ Rhetores. Id habes apud Gellium lib. 15. cap. 11. Meminit etiam Sueton. libello de claris Rhetor. duoq; cenſoria edicta ſubiicit. At poſteà, quàm imperio omnium gentium conſtituto, diuturnitas pacis otium confirmauit, vt eſt in 1. de Orat. exiſtimarũt Romani ſibi quoque ad literarum & ſapientiæ laudem enitendum, qua Græcis non multum cederent, qui ipſos euſq; viciſſent non repugnantes. NON MINIMAM PARTEM INCOMMODORVM) Lege procemium 1. de inuent. & librorum de Orat. COLLIGERE VASA) Locutio militaris. Vaſa quippe, hoc eſt, impedimenta colligunt milites & ſarcinas, quoties caſtrametaturi ſunt. Allegoria quadam & cum lepore Cic. Verrina 4. Cùm Diodorum è Sicilia antè diſceſſiſſe vellet ſignificare, quàm à Verre, cuius rapiendi libidines non ſolùm oculis, ſed etiam auribus excitabantur, ſcyphis & ſupellectile argentea ſpoliaretur; conquiri, inquit, Diodorum tota prouincia iubet. Ille ex Sicilia caſtra iam mouerat, et vaſa collegerat. Conuaſare, ait Nonius, eſt furto omnia colligere. Terent. Phorm. Aliquid conuaſaſſem, atque hinc me coniicerem in pedes.

PROGYMNASMA OCTOGESIMVMSEXTVM.

Pars poſterior, ſeu laudatio Eruditionis.

SOPHIA, ADOLESCENS.

SOPHIA. Gratificabor tibi quod petiſti,(quid enim hac petitione tua dici poteſt æquius?) ſi paucis adhuc, quæ tam inſcitè ab inimica mea,tamq́ꝫ odiosè, & putidè effuſa ſunt refutauero. A. Tui audiendi mira me cupido inceſsit. S. Credas igitur ipſam partim falſa, partim ſibilo digna,partim aliena locutam, literasq́ꝫ nõ modò laudari,ſed nec vituperari ſine literis poſſe, de quibus illa guſtaſſe videtur aliquid, vt canis è Nilo. Vna ſcientia liberalis alteri neceſſaria eſt, vt ſuo munere perfectè fungatur. Habent quoddã inter ſe commune vinculum: omnes autem humano generi tantum conducunt, quantum nullius, etiam eloquentiſsimi lingua declarare poteſt. Imperitus literarum, eſt ille quidem homo, & abſolutus homo,quod ad naturæ humanę partes attinet:veruntamen ſocialis, ciuilis, manſuetus, ſimilibusq́ꝫ laudum honeſtamentis excultus ac decoratus non eſt.Deinde ſi id neceſſarium interpretamur,ſine quo eſſe non poſſumus omnino id quod volumus,aut debemus (volumus autem omnes boni,humani,tractabiles ac ſapientes eſſe)

ad

ad virtutem ſanè & doctrinarum ſtudia incumbendum eſt, ſine quarum præſidio adminiculóq; in iſtorum quæ à me nominata iam ſunt bonorū poſſeſsionem nemo pedem eſt aliquando poſiturus. Incommoda quæ recenſuit, iocos & cauillationes quibus nugata eſt, exiſtima ad homines, non ad ipſas artes pertinere. A. Non habeo dubium, nihil illam magnoperè auditione dignum diſſeruiſſe. Te autem, mater, operę maximo rogo, pro tua facultate & copia præſtantiá, fructus, ſuauitatemq; ſtudiorū explanes: abs te enim veriſsima certiſsimaq; dici putabo, & animam relinquam citiùs, quàm tua caſtra deſeram. S. Nauo tibi hanc operam fili, teq; iam deſperatione illa exemptum, qua initio conflictabare, auerſumque ab illa vitæ ratione, quam loquacula mulier inſipientiſsimè ſuadere inſiſtebat, mirum in modum vehementerq; gaudeo. A. Demōſtrâſti perſpicuè miſerias aulicorum hominum, & tanquā in tabella ſpectandas exhibuiſti, grauiq; me huius voluntariæ ſeruitutis odio incendiſti: quamobrem me quidem certè non ineſcabit hamus ille, nec aureis iſtis compedibus vnquam aſtringar. S. In terris nihil ſane eſt admirabile atque magnū præter hominem, quem nonnulli terreſtrē, mortalemq; Deum nominare voluerunt. At in ipſo homine nihil eximium præter animum: in quo ipſo rurſum nihil magnum præter virtutem & ſcientiam. Porro vnus ille mundi rex & conſtitutor ſcientiarum ſemina, cupiditatemq; cognoſcendi mortalibus ingenerauit: quidquid autem ab illo largifluo perenniq; bonorum fonte promanat,

manat, hoc iuſtum honeſtúmque confiteri mos pius ac bonus eſt. Iam ſi non fruſtra inſeuit, adhibenda eſt cultura, qua adoleſcant illa ſemina, fructusq́ pariant innumerabiles. Ecquid ita eſt fili? A. Eſt verò haud aliter ac loqueris, mater. S. Quid verò æquè decẽs hominem reperiatur, quàm indagando & quotidie aliquid cognoſcendo addiſcendoq́, conceſſum à natura viuendi ſpatium decurrere? cùm enim in eo nihil ſit ratione præſtabilius atque diuinius, certè nulla erit rationis functione nobilior; illa autem eſt intelligere, quo vno mens alitur. Propria hæc, inquam, rationis eſt actio, vt natatus piſciũ, volatus auium, curſus equorum, ſæuitia belluarum. Vnde animorũ veſtrorum origo in terris nulla apparet, quoniã cœleſtis eſt. Iſtoq́ modo ad diuinam ſimilitudinem peruenitur: ſiquidẽ Deus alio modo ab hominibus nõ intelligitur, niſi mens ſoluta quędam ac libera, ſegregata ab omni cõcretione mortali, omnia ſentiens, omnia mouens. Hebetes autem, indociles, & intelligentia parum valentes, nõ magis ſecundum naturam, quàm prodigioſa corpora & monſtra videntur naſci. Apud omnes nationes atque populos eruditis ac ſapientibus viris ſummús ſemper tributus eſt honos, ampliſsimaq́ decreta præmia, philoſophis, oratoribus, poëtis, medicis, mathematicis, iureconſultis. A. Et quidem non immerentibus. S. Suſpice hunc ducem ac moderatorem temporum ſolem, aſsidua vertigine cœlum obeuntem, ſuaq́ clariſsima luce perfundentem & colluſtrantem omnia. A. Suſpicio. S. Nónne is omnium quicunq́ oculorum ſenſu

orbati

orbati non ſunt lux eſt, per quam res ſingulas intuentur? A. Eſt ſanè. S. Sic prorſus omnibus quibus cœleſti beneficio conceſſa eſt ratio, tanquam oculus, lumen, dux, & ornamentum eſt vir ſapiẽtiæ compos. Atq; illi demum dicendi ſunt viuere, & memoriam ſui quàm maximè longam efficere, quibus vel in ſenectute aſpirare ad ſapientiam licuit; reliquorũ vita ſomno eſt quàm ſimillima, in quo vanæ imagines inanesq́; rerum ſpecies deludere animos conſueuerunt: nec eſt animal in terris pulchrius homine literis tincto atque adeò infecto. Eruditorum vitam exemplar quoddam dixerim illius beatiſsimi ſtatus, in quo aurea ætate homines erant victuri: fuiſſet quippe tum vita non aliud quàm iucundiſsima quædam ſchola, in qua de rebus diuinis, de natura rerum, de æternitate animorum, de motibus cœleſtibus, de quibuſcunq; vitæ officiis, de pulcherrimis demum quæſtionibus quàm frequentiſsimè diſputaretur. Duæ item res ſunt quibus nihil habet natura humana conſtantius, nihil melius, nihil clarius, nihil maius; veritas & iuſtitia: diuitiarum enim, formæ, reliquarumq́; rerum gloria fragilis, caduca, & exigua eſt. Harum porrò inquiſitio explicatioq́; ſcholis eſt commendata. Et quanquam in templis, aulis & foro veritatem atq; iuſtitiam regnare oportet, earum tamen notitia è ſcholis petitur. Splendor generis & familiæ bonum quoddam eſt à maioribus acceptũ. Diuitiarum poſſeſſio fortunæ dominationi ſubiecta eſt. Honor res inſtabilis. Forma haud longi temporis. Sanitas quoq; facile corrũpitur. Etiam robur ſenectus &

mor-

morbus auferunt. Et elephantis, tauris ac leonibus validiores quàm homini vires conceſſæ ſunt. Bonorum itaq; omnium ſola doctrina cœleſte quiddam & immortale eſt, nulli periculo, caſibus nullis, nulli temporũ varietati obnoxium. A. Admirabilia hæc, quæq; in pectus meum ſenſusq; intimos quàm ſuauiſsimè influunt. S. Quid dicam de fructibus? ſi in animum idoneum tanquam in pingue, ac ſua natura fertile ſolum diſciplinarum iſti ſatus inciderint, non poterunt non fœcundas ac lætas efferre ſegetes. An nõ memorabilis ſapientiæ fructus hic tibi videtur, quòd Reges & Principes viris doctis amicitiæ ſuæ fores cupidiſsimè patefecerunt ſemper, & ſingulari eos liberalitate beneuolentiaq; proſecuti ſunt, ſeq; illis inſtituendos tradere voluerunt? Pericles qui annis quadraginta Athenienſium Rempub. adminiſtrauit, ab Anaxagora Clazomenio fertur inſtitutus. Timotheum Cononis filium Iſocrates, Epaminondam Lyſis Pythagoræus, Alexandrum Magnum Ariſtoteles, Ageſilaum Xenophon, Dionem Plato erudierunt. Solonis collocutionibus ſummoperè tenebatur Crœſus, cum Dionyſio Plato & Ariſtippus familiariter vixerunt, cum Alexandro Calliſthenes, alij demum cum aliis. Inter ſapientes autem non poſtremas poëtæ occupant, è quibus charum fuiſſe conſtat Æſchylum & Simonidem Hieroni, Euripidem Archelao, Scipionibus & Catoni maiori Enniũ, Lælio ſapienti Lucilium, Memmio Lucretium, Mœcenati & Auguſto Imperatori Virgilium & Horatium: omitto alios, quos memorandi magna

gna mihi eſſet copia. Ac tametſi opes docti non ſitiunt, fit tamen vt eas aſſequâtur. Non vixit pauper ac tenuis Ariſtoteles, non Demoſthenes, non Gorgias, non Iſocrates, non Virgilius. A. Ducenta quinquaginta millia coronatorum acquiſiſſe per amicos ſcribitur hic poſtremus. S. Et hic idẽ aliquando panes in mercedis loco accipiebat ab Auguſto. A. Legi hiſtoriam. S. Cenſen' quidquã vtilius, quàm rectè viuere? A. Nihil. S. Atqui Philoſophia omnem virtutis, officij, beneq́ꝫ & innocenter viuendi diſciplinam continet, omnium bene factorum beneq́ꝫ dictorũ mater. Quid quæris? Eloquentia hominum fraus ad perniciem, integritas ad ſalutẽ vocatur. Iuriſprudentia quid æquum, quid iniquũ ſit decernit. Poëtæ aut prodeſſe volunt aut delectare: aut ſimul & iucunda & idonea dicere vitæ. Mathematicarum doctrinarum terra mariq́ꝫ multis rebus ac temporibus creber eſt vſus. Eruditio iuuenibus donat ſobrietatem, ſenibus affert ſolatium, pauperibus conciliat opes, diuitibus eximium decus. Vno verbo, quidquid cernitur inter mortales humanitatis, moderationis, prudentiæ, virtutis ac ſapientiæ, totum è literarum puriſsimis ſanctiſsimisq́ꝫ fontibus profluxit. A. Sic me ad aſſentiendum commouet oratio tua, vt hactenus æquè nulla. S. De voluptate literarum dicendum reſtat. A. Eam partem percupidè exſpecto. S. Incredibile memoratu eſt, quãta ea & quàm multiplex ſit: quam augent conuentus illi ſcholaſtici, vbi in omnium artium varietate verſati doctores conſuli, interrogari, audiriq́ꝫ poſſunt. Natura ſimili delectatur:

at in

at in gymnaſiis multos quiſq; ſui ſimiles, hoc eſt, iiſdem artibus initiatos atq; conſecratos inuenit. A ſemetipſo in rebus aduerſis ſolatium petere vir doctus poteſt: obliuiſcitur etiam calamitatum ſuarum, & aberrat à moleſtiis eruditis cogitationibus intentus ſemper animus. M. Tullius filia mortua per literas doctiſsimis ſuauiſsimisque allocutionibus dolorem ſibi ſuum leuauit. Fecit hoc idem in exilio Ouidius, fecit Boëtius. Quantæ autem iucunditatis putas, cum tot excellentiſſimis veteris memoriæ hominibus colloqui, & eos quaſi hoſpitio excipere? cum Homero, Platone, Cicerone, Plutarcho, Herodoto, Thucydide, Liuio, Salluſtio, Cæſare, Euclide, Virgilio, Terentio? velut in imagine ipſorum ſenſa, ingenia, ſapientiam perſpicere, ſuperioribus & vetuſtiſsimis illis ſæculis videri interfuiſſe, totum mundũ, omnemq́; antiquitatem animo circumferre? Si etiam agreſti parua leuisq́; notitia delectationem dat; quantoperè hominem eruditum infinitæ rerum pulcherrimarum maximarumq́; cognitiones delectabunt? Mira voluptas è fidium, tibiarum atq; vocum cantibus hauritur, veruntamen illa continuò euaneſcit: literarum eſt ſtabilis ac permanens; quæ interdum mentem humanam ita velut captiuam & oppreſſam detinet, vt nec oculi, nec aures, nec guſtatus ſuum faciant officium. Atq; hæ res quas hactenus audiſti, in cauſſa fuerunt, vt tam indefeſſos aſsiduosq; labores in cumulata eruditione ſibi pariunda multi ſuſciperent, totq; regiones tam diſtantibus locis, tam diuerſo ſub cœlo poſitas peragrarent. Plato & Pythago-

thagoras in Ægyptum, ille etiam in Italiam contendit, Anacharſis Scytha Athenas venit, Apollonius ad Indos eſt profectus. Carneadi idem philoſophandi qui viuendi finis fuit. Demoſthenes Thucydidem octies ſua manu deſcripſit; de cuius vigiliis & ſtudiis multa paſsim narrantur. Sophocles cùm propè centeſimum ætatis annum attigiſſet, ſub ipſam mortem fabulam præclariſsimam Oedipum Colonæum diuulgauit. Horum aliorumq́ exempla ſtudiosè imitaberis, & in eo, quod tam neceſſarium, tam fructuoſum iucundumq́ intellexiſti conſectando nullam neque corporis neque animi defatigationem contentionémue recuſabis. A. Abducas me tecum licebit, tuisq́ diuiniſsimis præceptis inſtituere pergas. Nihil me iam præter vnam te poteſt recreare, in te mihi ſunt omnia, tibi immenſas & habeo & ago gratias, cuius prudentiſsima ſplendidiſsimáque diſputatione mens mea colluſtrata liquidiſsimam veritatem intuetur: tibi omnia mea quàm commendatiſsima eſſe cupio; ad tuum arbitratum imperiumque me totum conuerto. S. Saluus es, ſi iſtam animi firmitudinem obtines. Serua tibi perpetuam patronam & adiutricem me, atque hanc iuuentam iuueni.

ANNOTATIONES.

NEC AVREIS ISTIS COMPEDIBVS) *Diogenes Ariſtippum philoſophum in aula regia degentem aureis compedibus teneri dicebat, ne exire poſſet, captum videlicet delicata illa & ſplendida vi-*

ta Principum. Eſt tamen ſtulti, vt ait Seneca, ſuis delectari compedibus, tametſi aureis. Lege prouerb. Aureæ compedes. Item de miſeriis Curialium Æneam Syluium, aliosq́ complures auctores cum eodem coniunctos, de vita aulica & priuata. CVPIDITATEMQVE COGNOSCENDI) *Cicer. 5. de finib. Tantus igitur innatus eſt in omnibus cognitionis amor & ſcientiæ, vt nemo dubitare poſſit, quin ad eas res hominum natura nullo emolumento inuitata rapiatur. Videmúſne vt pueri ne verberibus quidem à contemplandis rebus, perquirendisq́ deterreantur? vt aliis narrare geſtiant? vt pompa, ludis, atque eiuſmodi ſpectaculis teneantur, ob eamq́ rem vel famem, & ſitim perferant?* VNA SCIENTIA LIBERALIS ALTERI) *Quid poterunt ſine Grammatica reliquæ omnes? quandoquidem illa velut ianua & clauis eſt aliarum. Quid ſine dialecticis & Rhetorica & Iuris ciuilis prudentia, & rurſum cæteræ omnes? ſiquidem inſtrumentum ſciendi eſt. Quid ſine Mathematicis Philoſophia? quid ſine Philoſophia vel Medicina, vel Theologia? Quid ſine leuioribus ſeu humanioribus literis illæ interiores & reconditæ? Quid rurſum ſine illis iſtæ? Ac putarunt quidam ob hanc cauſſam dictas eſſe Muſas quaſi ὁμȢ̃ Ȣ̓́σας, quod ſunt, ſeu eſſe debent ſimul.* NIHIL SIT RATIONE PRÆSTABILIVS) *Id in quoque optimum eſt, cui naſcitur, quo cenſetur. In homine optimum quid eſt? Ratio: Hac antecedit animalia, Deum ſequitur. Ratio ergo perfecta proprium hominis bonum eſt:*

eſt: cætera illi cum animalibus ſatiq́ communia ſunt. Valet? & leones. Formoſus eſt? & pauones. Velox eſt? & equi. Non dico, in his omnibus vincitur. Non quæro quid in ſe maximum habeat, ſed quid ſuum. Corpus habet? & arbores: Habet impetum & motum voluntarium? & beſtiæ, & vermes: Habet vocem? ſed quanto clariorem canes, acutiorem aquilæ, grauiorem tauri, dulciorem mobilioremq́ luſciniæ? Quid in homine proprium? Ratio. Hæc recta & conſummata fœlicitatem hominis impleuit. Seneca epiſt. 76. HVNC DVCEM AC MODERATOREM TEMPORVM SOLEM) *Adſcribamus locum Plinij ex ca. 6. lib. 2. quo hunc principem ac moderatorem hominum reliquorum, mentem ac temperationem mundi eximiè collaudauit. Eorum (ſiderum errantium) medius ſol fertur, ampliſſima magnitudine ac poteſtate: nec temporum modò terrarumq́, ſed ſiderum etiam ipſorum, cœliq́ rector. Hunc mundi eſſe totius animum, ac planius mentem: hunc principale naturæ regimen, ac numen credere decet opera eius æſtimantes. Hic lucem rebus miniſtrat, aufertó tenebras: hic reliqua ſidera occultat: hic vices temporum, annumq́ ſemper renaſcentem ex vſu naturæ temperat: hic cœli triſtitiam diſcutit, atque etiam humani nubila animi ſerenat: hic ſuum lumen cæteris quoque ſideribus fœnerat, præclarus, eximius, omnia intuens, omnia etiam exaudiens, vt principi literarum Homero placuiſſe in vno eo video. Arnob. libr. 1. Siderum ſol*

princeps, cuius omnia luce veſtiuntur atque animantur, fons rerum, ſator ſæculorum ac temporum. Vide multa apud Macrob. cap. 20. libr. 1. in ſom. Scip. HOMINE LITERIS TINCTO, ATQVE ADEO INFECTO) *Cicer. 2. de Orat. Sit enim mihi tinctus literis, audierit aliquid, legerit, iſta ipſa præcepta acceperit, &c. Vbi Budæus Commentar. linguæ Græcæ, arbitratur Tulliũ exprimere voluiſſe* δευσοποιὸν, *quod valet bene tinctus, ſeu imbutus, ita vt deleri tinctura, aut elui non poſſit. Ac de purpura propriè, de aliis omnibus quæ colorem habent metaphora dici affirmat Suidas. Victor. lib. 10. cap. 18. aliter ſentit, Ciceronem in promptu, ſummaq; tantùm cute aſperſum ac coloratum ſignificaſſe; id declarari verbis ſequentibus, legerit aliquid, audierit, &c. lege reliqua apud eundem.* A SEMETIPSO IN REBVS ADVERSIS) *Hoc fecerunt, qui in hoc ipſo dialogo nominantur Cicero & alij. Et teſtatur id de ſe pluribus locis Cicero, ſibi literas ſuas eſſe in rebus incommodis leuamento ac ſolatio. Quod ſi auaro in aduerſa quapiam fortuna dulcis eſt pecunia in arca recondita, ambitioſo ſuus honor, voluptario ſua Venus: cur ſapientem non delectet ſua ſapientia?* SESE PER LITERAS) *Epiſt. 9. lib. 12. ad Att. ipſe me per literas conſolatus ſum, quem librum ad te mittam. In Bruto hanc ſcientiam Varro pluribus, & illuſtrioribus literis explicauit. In eodem librum Attici, quem dicit ſibi ſolatio fuiſſe vocat literas. Omnino vox lite-*

literæ, frequenter Cic. libros, orationes & monumenta ſignificat. SVAVISSIMISQVE ALLOCVTIONIBVS) *Alloqui quempiam dicebatur, qui ad eum mœrentem accedebat, verbisq́; dolorem illius minuebat, vt Græcis* παραμυθεῖσθαι & παρηγορεῖν. *Varro lib. 6. de ling. latin. Hinc allocutum ire mulieres aiunt, cùm eunt ad aliquam locutum conſolandi cauſſa. Sic allocutio pro conſolatione, vt* παραμυθία, παρηγορία. *Catull.*

Quem tu, quod minimum facillimumq́; eſt,
Qua ſolatus es allocutione?

Seneca Troade. Alios parentes alloqui in luctu decet, Tibi gratulandum eſt. Sic alloquium παραμύθιον. *Horat. Illic omne malum vino cantuq́; leuato Deformis ægrimoniæ dulcibus alloquiis. Victor. lib. 8. cap. 23. Muret. lib. 2. cap. 4.* IN EXILIO OVIDIVS) *Sic ipſemet de ſe ac ſtudio ſuo Triſt. 4. eleg. 1. Scribit item Plutarch. in conſolat. ad Apollon. de Antimacho poëta. Cui cùm mortua eſſet vxor Lyde, quam eximiè diligebat, elegiam, qua ſemet conſolaretur compoſuit, quam Lyden nominauit, enumeratisq́; heroicis calamitatibus & infortuniis, malis alienis ægritudinem ſibi minuit.* VT NEC OCVLI, NEC AVRES) *Cicer. 5. de finib. Quid verò, qui ingenuis ſtudiis atq́; artibus delectātur, nónne videmus eos nec valetudinis, nec rei familiaris habere rationem? omniaq́; perpeti, ipſa cognitione & ſcientia captos? & cum maximis curis et laboribus com-*

penſare eam quam ex diſcendo capiunt, voluptatem? *Lege totam paginam, multis enim oſtenditur, quomodo ad ſeſe totos conuertat homines, & mirabiliter paſcat ſcientiarũ iucunditas.* PLATO ET PYTHAGORAS IN ÆGYPTVM) *De philoſophorum peregrinationibus Cic.lib.5.de finib.in hunc modum: Cur Plato Ægyptum peragrauit, vt à ſacerdotibus barbaris numeros & cœleſtia acciperet? Cur poſt Socratem ad Architam? Cur ad cæteros Pythagoreos, Echecratera, Timæum, Acrionem Locros, vt cùm Socratem expreßiſſet, adiungeret Pythagoream diſciplinam, eaq́ue quæ Socrates repudiabat addiſceret? Cur ipſe Pythagoras & Ægyptum luſtrauit, & Perſarum magos adiit? Cur tãtas regiones barbarorum pedibus obiit, tot maria trãſmiſit? Cur eadẽ Democritus, &c. In eodem. Quid de Pythagora? quid de Platone aut Democrito loquar? à quibus propter diſcendi cupiditatem vltimas terras videmus eſſe peragratas.*

PRO-

PROGYMNASMA OCTOGESIMVM SEPTIMVM.

Studia politioris Humanitatis.

VERANNIVS, MVSAEVS Magiſtri.

VERANNIVS. Frequens excuſsi atq; ponderaui acutiſsimã illam præclariſsimamque, & perpaucis notam M. Tullij ſententiam de doctoribus, qua nihil verius dici potuiſſe confirmo: Vt quiſque ingenioſiſsimus eſt, inquit, ita laborioſiſsimè docet; quod enim ipſe celeriter didicit, id cùm alij tardius arripiunt, cruciatur. M. Nondum perſpicio quorſum collimes. V. Atqui nihil facilius. M. Aſt ego Dauus ſum, non Oedipus. V. Ingenium ego mihi quidem ſummũ non arrogo, mediocre & infra ſummum detrahi ferrem paulò ægriùs. M. Eſto. V. Sed quanquam ingenioſiſsimus haud numerer, hoc tamen narro tibi, me docere laborioſiùs; id eſt, cùm video quæ à me dicuntur arripi tardiùs à multis, cruciari vehementius. M. Et mihi bilem commouent, quos ita de iiſdem rebus cogor docere in dies, velut ſi eandem incudem perpetuò continenterq; tunderem. Qui, etſi meo iudicio tam ſapiens minimè ſum, quàm fuit is, qui oraculo Delphico mortalium ſapientiſsimus eſt renuntiatus, at ſtultitia certè quidem carere me confido, quæ quidem cõſenſu omnium philoſophorum maius eſt ma-

lum, quàm ſi omnia mala & fortunæ & corporis ex altera parte ponantur. Ita Cic. in 3. de nat. deor. ſcripſit. V. Simili fortuna vtimur; tuorum plerique ſunt hebetes, meorum pauci ingenioſi ac dociles. Proinde ex ſententia philoſophi neſcio cuius, non iniuſtè magnam mercedem exegerimus: ab ingenioſis quidem, quòd multa diſcunt; ab obtuſis, quòd multum moleſtiarum exhibent. Veruntamen communis hæc ludimagiſtrorum calamitas: communia autem toleranter patienda ſunt. Ingenium dare ſibi nemo poteſt, ſedulitatem & induſtriam poteſt quilibet. Quibus de rebus ante meridiem diſputaſti in gymnaſio? M. De illuſtribus. V. Sic reor equidem. De bello Troiano (quæ eſt materia in ore noſtro frequentiſsima) aut de hiſtoria, aut de poëſi fortaſſe. M. De nullo iſtorum. V. Quid ſuſpẽdis me? quin rem dicis? M. Quoniam iuuẽtuti trado literas humaniores, & hac voce nihil contritius, cùm tamen eius ratio & ſubiecta vis nec à doctioribus nonnullis intelligatur, de ſtudiis Humanitatis paratus meditatusq; diſſerui. V. Prudenter feciſti. Non multi abierunt dies, cùm idem inter meos argumentum tractaui. M. Munere ſingulari abs te ornatum me putabo, ſi diſputationis tuæ ſummam quandam, ipſaq; capita recenſueris. V. Faciam id ego, ſi tu priore loco ſententiarum tuarum conſcium me feceris. M. Primò triplicem humanitatis ſignificatũ ſtatui: poſt id cauſſas attuli tres, ob quas hæc liberaliſsima ſtudia iſto nomine afficerentur. V. Quid tertio loco oſtẽdiſti? quanquam id opinione præcipio. M. Quàm latè pate-

paterent, quas artium facultates ambitu ſuo includerent. Poſtremò de iucunditate, vtilitate, dignitate eorundem verba feci, & adoleſcentes ad ea toto pectore complectenda excolendáque inflammaui. V. Debitum tenuiſti ordinem, via & ratione proceſsit oratio. Ceterùm animi & memorię cauſſa rerum propoſitarum ſummam mutuo ſermone iteremus. Et ſicut nautis de re nautica, de ventis ac tempeſtatibus, agricolis de ſeminibus & frugibus, militibus de bello & armis audire & colloqui cum voluptate mos eſt, ita nos de communi profeſsione noſtra, déque ſuauiſsimis ſtudiis, in quibus vterque iam pridem verſamur, vel ſæpius in colloquium venire delectet. M. Bene iudicas. Humanitas igitur in Latina lingua idē eſt, quod natura hominis, quodque ad hominem pertinet, eiusq; proprium eſt; hoc, inquam, totum humanitatis nomine comprehenditur. Sic eos omnem humanitatem exuiſſe dicimus, qui naturæ officia contempſerunt, perinde ac ſi homines ſe eſſe quodammodò obliti ſint. M. Tullius agens de parricidio, quod à Sexto Roſcio filio commiſſum accuſatores mentiebantur: Magna eſt enim vis humanitatis, inquit, multùm valet communio ſanguinis, reclamat huiuſmodi ſuſpicionibus ipſa natura. Deinde humanitas eſt, quæ à Græcis φιλανθρωπία dicitur, dexteritas quædam & beneuolentia erga omnes nobiſcum naturæ ſocietate fœderatos, prorſus erga omnes homines; morum facilitas & ſuauitas, lenitas, placabilitas, manſuetudo. Sic Cicero ſcripſit difficillimam eſſe ſocietatem grauitatis cum humanitate. Idem laudat

neſcio quem, qui ſummã ſeueritatem cum ſumma humanitate coniunxerit. Sequitur tertia notio, qua capitur pro eruditione & inſtitutione in bonas artes; Græci παιδείαν vocant. Cicero: Homo non hebes neq; inexercitatus, neq; communium literarum & politioris humanitatis expers. Et alibi: Omnes artes, quæ ad humanitatem pertinent, habent quoddam commune vinculum, & quaſi cognatione quadam inter ſe continentur. Teſtis item à Gellio adducitur M. Varro, qui ſic vſus eſt hoc verbo, libro rerum humanarum primo. Praxiteles qui propter artificium egregium nemini eſt paulummodò humaniori ignotus: Humaniori, inquit, non ita vt vulgò dicitur, facili, & tractabili, & beneuolo, tametſi rudis literarum ſit (hoc enim cum ſententia nequaquam conueniret) ſed eruditiori doctiorión, qui Praxitelem quis fuerit, & ex libris, & ex hiſtoria cognouerit. V. Perſpicuè diſerteq; docuiſti, quæ huic vocabulo notiones ſubiicerentur. Mea porrò opinio eſt, ab illa prima fluxiſſe alteram, & ab hac tertiam. Quia enim ad humanitatem, id eſt, ad naturam hominis vehementer pertineant lenitas, manſuetudo, comitas, idcirco ea communiter humanitatis nomen acceperunt. Certè homines immanſuetos, agreſtes, inurbanos, duros, implacabiles, vix in hominibus, ſed in belluis magis numerandos arbitror. Et quoniam, qui iſtas, de quibus ſermo à nobis ſuſceptus eſt, literas ſtudioſè colunt, comes, faciles, tractabiles, iucũdi & ſuaues euadunt, propterea ipſimet eruditioni, ab effectu ſcilicet, hoc nomen impoſitum mihi videtur. M. Extra controuer-

trouerſiam eſt,huius elegātiſsimę doctrinę alumnos humanitatis laude excellere. Habet enim eam vim ac poteſtatem, vt quamuis naturam, quoduis ingenium miteſcere, molleſcere, ac manſueſcere cogat: & vt quiſque ab ea eſt felicißimus, ita eſt facillimus atque leniſsimus. Teſtimonium petere poſſumus ab Ouidio ingenioſo ac pererudito poëta duplex. Primum eſt.

Adde quod ingenuas didiciſſe fideliter artes,
Emollit mores, nec ſinit eſſe feros.

Alterum.

Artibus ingenuis, quarum tibi maxima cura eſt,
Pectora molleſcunt, aſperitasq́; fugit.

Sit ergo hæc prima cauſſa, cur hæc vox ad ingenuas artes ſignificandas ſit accommodata. Secundam video à nonnullis afferri, quòd nemo ferè niſi placabili & manſueta præditus natura, & ab omni motione feritatis aliena, poſsit in hanc partem ſtudiorum placidiſsimam pulcherrimamq́; incumbere, & eius cupiditate incendi. V. Nec iſti rationi ſua deeſt probabilitas; humanas, ſiue humaniores appellari literas, quando eas ferè non niſi humani, id eſt, lenibus à natura & manſuetis ingeniis ornati homines conſectantur. Vel igitur quia faciunt humanos, vel quia non patiuntur niſi humanos, ideo humanitatis nomen ſortiuntur. M. Adiungam his tertiā ex A. Gellio, apud quem ita ſcriptum eſt: Huius enim ſcientię cura & diſciplina ex vniuerſis animantibus vni homini data eſt, idcirco Humanitas appellata eſt. V. Hóccine Gellius? M. Etiam. Sed quod bona cùm venia tanti

tanti ſcriptoris liceat mihi dicere, cùm neq; iſtarum, neq; aliarum artium, vt Mathematicæ, Medicinæ, Iuriſprudentiæ, Philoſophiæ, Theologiæ participes ſint aliæ animantes præter hominem, ſi quid hæc ratio valeret, eædem illæ quoq; quas recenſui diſciplinas, Humanitatis nomen ferrent. V. Rectè argumentationem concludis: non placet hæc vltima cauſſa. Quibus autem finibus, quibus terminis Humanitatem circundas ac circumſcribis? M. Grammaticis (quo nomine duarum linguarum, Grecę videlicet ac Latinę acerrimum & admodum latè patens ſtudium intelligo) poëticis, oratoriis, hiſtoria ſiue antiquitatis notitia, dialecticis, & morum philoſophia. Non quidem his ſolis, ſed his potiſsimùm. V. Multa hæc, imò infinita complectuntur. M. Nec ſolùm vniuerſa, ſed ſingula: quod nôrunt optimè, qui longiùs diſcendo progreſsi ſunt. V. Peruenimus ad diſputationis tuæ quartum caput, quo iſtorum laudes celebraſti. Si otium ſupereſt, quæſo, ſtrictim quædam repete: non enim te audiendo fatigari poſſum. Quid enim agam nunc aliud? aut in quo vtiliùs hunc diem poſſum conſumere? M. De laudibus harum literarum puto abs te orationem habitam. Quare tu mihi exponas licet quibus argumentis earum dignitatem, ſuauitatem, vtilitatem oſtenderis: multò enim eruditiùs elegantiusq; id præſtitiſti quàm ego poſsim. V. Falſus animi es: vituperatoribus enim humanitatis reſpondi tantùm. M. Eam ipſam reſponſionem fuiſſe laudationem dico: quippe cùm ſtudia hæc noſtra maximè defenduntur, & à contemptu vindicantur, tùm

tùm maximè commendantur. Incipe Veranni, fac promiſſa, libera fidem. V. Quoniam premis & acriùs inſtas mihi, accipe; alieno vti nihil moror. Criminationem iſtorum in quatuor diuiſam eſſe partes, & quodammodò quatuor tela in nos iaci animaduerto. Hoc genus ſtudiorum leue, inane ac nugatorium ducunt; quod qui profitentur, nequaquam graues difficilesq́; labores ſuſcipiant. Ex eo deinde haud ita admirabiles vtilitates ad Rempub. peruenire cenſent, cùm eius doctores interiore, & ſingulari eruditione præditi non videantur. M. Probè rem percepi, & quatuor illa, de quibus dixiſti, capita accuſationis planè video. Aciem igitur tuam contrà ſic inſtruxiſti, vt munus noſtrum & grauiſsimum, & multis difficultatibus plenũ eſſe, nosq́; & commodare plurimùm ciuitatibus, & partes noſtras ſine variis multisq́; literis tueri neutiquam poſſe demonſtrares. V. Hæc ipſa docui Muſæ. M. Potuítne ergo magis collaudari Humanitas? V. Potuit ab alio me diſertiore & doctiore. Tamen cùm hæc ſtudia mihi famam aliquam celebritatemq́; in hac vrbe peperiſſent, decere exiſtimaui, vt ipſis viciſsim pro virili mea aliquid ſplendoris conciliarem. M. Iure. V. Valde ad nos deformandos mouet aduerſarios, quòd non ita prꝑmiis & honoribus mactari conſpiciunt in hiſce ſtudiis, vt in medicina & iure ciuili ſeſe collocantes; quæ quidem hoc tempore ſunt artes duæ quæſtuoſiſsimæ. Nullis in negotiis deliberationibúsque arduis conſilium noſtrum poſtulatur, non componimus ciuium controuerſias, non agimus cauſſas, nemini ſalutem

damus.

damus. Proinde nos arbitrantur tantùm verſari in figmentis poëticis, quibus auditorum noſtrorum animos hilaremus; & in aliquot faciendę ornandæq; orationis præceptiunculis operam conſumere: quærere quæ fuerit mater Hecubæ, quid cantent Sirenes, quot remiges Vlyſſes habuerit; Æneas è naui egrediens, vtro pede Italiam tetigerit priùs: Anacreon vinoſior an libidinoſior, Homerus an Heſiodus antiquior fuerit. Hanc eſſe eruditionem noſtram; quæ neque ſi adſit, vllum emolumentum, neq; ſi abſit, vllum detrimentum communi generet: dialecticen, phyſicen, philoſophiam moralem maximas vtilitates parere aiunt, idq; ipſum verbis docent. M. Audire geſtio confutationem tuam. V. Etiamſi aſſentiremur hoc vobis, inquam, nihil nos niſi poëticas fabulas, & orationis perpoliendæ præcepta tradere, non liceret tamẽ concludere, hanc noſtram doctrinam quiddam inane, & ad puerorum tantummodò aures animosq; demulcendos idoneum eſſe, nec vllum artibus noſtris cum Philoſophia commercium intercedere. Non ſunt enim otioſorum hominum commenta duntaxat iſtę poëtarum fabulæ, vt vos calumniamini: quin tanquam integumenta omnem liberalibus ingeniis decoram cognitionem, ſapientiamq; omnem complectũtur. Nunquámne illud Maximi Tyrij legiſtis? Quid aliud eſt poëtica, inquit, quàm philoſophia, tempore quidem vetuſta, compoſitione metrica, ſententiis mythologica, ac fabularum inuolucro tecta? Plato & Ariſtoteles quàm ſtudiosè Homerum legerunt? quàm ſæpe eius teſtimoniis ad res

ſuas

ſuas confirmandas vſi ſunt? ipſe Plato poëtas modò ſapientiæ patres ac duces, modò Deorum interpretes, modò Deorum filios appellat. Cùm igitur poëtas interpretamur, ſementem quodammodò virtutis atque doctrinæ facimus. Cùm autem quo pacto aptè, diſtinctè, ornatè, copiosè, planéque oratoriè loquendum ſit præcipimus, ea docemus, quæ ſemper in omni libera ciuitate, benéque inſtituta, & optimis temperata legibus Reipub. plurimùm valuerunt. Quis ignorat vim eloquentiæ, quantumq; ipſi à ſapientibus ſemper tributũ ſit? legite quæ à Craſſo in 1. & ab Antonio in 2. de oratore grauiſsimè ſapientiſsiméq; dicuntur, & à nobis eius facultatis artificium petendum intelligite. Quod ſi hæc duo tantùm tractaremus, & hoc ſolùm à nobis poſtularetur, tamen nec leuibus in rebus induſtriam noſtram exerceri, nec parum nos prodeſſe hominum ſocietati iure affirmaremus. Nunc attendite pauliſper, quantum opinione veſtra aberretis, & quantoperè fallat vos ſententia. Nulla eſt ars ingenuo apta homini, cuius non aliqua cognitione imbutum eſſe oporteat eum, qui cum laude hoc munus velit adminiſtrare. Alij eos voluunt & tractant ſcriptores, quorum vno aliquo genere diſputatio continetur. In libris quippe dialecticorum, phyſicorum, medicorum, iuriſconſultorum haud ferè inuenias, cuius intelligentiam non ex illis ipſis, de quibus inſcripti conſcriptíque ſunt artibus petere queas. Nobis ij ſunt explicandi libri, qui cùm à viris omni ſcientia inſtructiſsimis confecti ſint, ipſi quoq; innumerabiles locos ex omni diſciplina deprom-

depromptos habent. Cæteri ſi vnam illam artem tenent quam docent, aliarum ſint omnino imperiti, atq; rudes, exiſtimantur tamen munus ſuum præſtare poſſe; nec medico vitio datum eſt neſcire leges, aut iuriſperito ignorare medicinam, aut aſtrorum rationem: nos vni ſumus, quibus omnis illa artium magnarum liberaliumq; varietas non pertractanda quidem ac pernoſcenda penitus, ſed deguſtanda certè & delibanda eſt neceſſariò. Itote nunc, nullamq; eximiam in Humanitatis doctoribus ſcientiam ineſſe blaterate. Pergite iam in odium contemptumq; nos trahere, vt qui nullo commodo ſimus Reipub. qui nullos labores perferamus, quiq; nugas tantùm venditemus. Fateor me breuem fuiſſe. Atque hoc ideo, quòd non deſunt, qui de hoc argumento vos plura & melius doceant. Hęc Muſęe, capita ſunt defenſionis meę. M. Niſi me domum reuocarent negotia, pluribus tecum agerem: naſcetur alia occaſio. Vale. V. Mi Muſæe, tu quoque.

ANNOTATIONES.

DAVVS SVM, NON OEDIPVS) *Ita ſeruus apud Terent. And. cùm ſenex obſcurius, & quaſi ænigmata loqui videretur, vt proinde opus eſſet aliquo Oedipo. Notum eſt ænigma apud Thebas à Sphinge propoſitum de eo quod manè quatuor pedibus incederet, meridie duobus, veſperi tribus. quod quidem Oedipus diſſoluit. Plaut. Pœnulo.*

Nam iſti quidem hercle orationi Oedipo
Coniectore opus eſt, qui ſphingi interpres fuit.

Summa

SVMMAM QVANDAM) ἀνακεφαλαιοῦν Græcis eſt breuiter, ſummatim, rem in ſumma quadam repetere, capitulatim, ſeu per capita iterare ante dicta. In ſcientia numerorum eſt in ſummam colligere ac redigere. ἀνακεφαλαίωσις eſt ſummaria repetitio. Sic potius dicam, quàm recapitulatio, & ſæpe vtar libentius duabus aut tribus vocibus aut latinis, aut latiniorib⁹, quàm vna inquinata, & veteribus inaudita: modo obſcurus ne fiam. Nam ſi quid ego iudico, præſtat barbarè loqui, quàm obſcurè loqui. Obſcuritas autem aliquando dicentis, aliquando audientis culpa contingit. QVOD NON DESVNT) Agminis noſtri duces & Imperatores, Victorij, Mureti, Sigonij, Amaſæi, quod ſciam, de ſtudiis Humanitatis luculētiſſimas orationes reliquerunt, quæ calumniatoribus ora obſtruere, & ad funem reducendum eos cogere poterunt.

PROGYMNASMA
OCTOGESIMVMOCTAVVM.
M. Tullius Cicero.

CHRYSOSTOMVS, GLAPHYRVS.

CHRYSOSTOMVS. Nunquam tam manè, neq; tam ſerò te conuenio, Glaphyre, quin legentem aliquid, affixumq; libro offendam: vt tibi illud Plinij penitus in animo inſediſſe videatur: Omne tempus perire ſibi dicebat, quod

quod ſtudiis non impenderet. Cùm autem ex te percunctor, quid auctoris euoluas, rarò alium præter M. Tullium nominare ſoles, cuius modò epiſtolas, modò τεχνικά, ſeu præcepta oratoria, modò orationes, modò φιλοσοφούμενα manu tenes. Facere nequeo quin te mirer. G. Cur mirare? C. Nam cùm impendio non modico bibliothecam tibi conſtruxeris, poſsideasq; ſcriptores & eruditione præcipuos, & elegantia non contemnendos, eosque propè innumeros, quid eſt quod vni huic tam fixè pertinaciterq; inhæres, vt ab eo diuelli non poſsis? Crantor philoſophus de poëtis exoſculabatur Homerum & Euripidem: hic tibi vnus præ omnibus in amore ac deliciis eſt. G. Me iſtuc factitare quod obiicis fateor, atq; etiam profiteor, & præ me fero: & quo magis facio, eo minùs feciſſe pœnitet; quantóq; ampliùs, & diutiùs hunc ſuauiſsimum ſaluberrimúmque cibum comedo, tanto maior me ſtimulat eſuries, illiusq; vehementiore deſiderio exardeſco, ſumque in dolore ob eam rem grauiſsimo, quòd diuini huius ac cœleſtis ingenij monumenta, à quo tot magnarum optimarumq; artium probè percepta fuit, & præclariſsimis literis explicata doctrina, nec omnia ad nos peruenerunt, & quæ peruenerunt, nec integra ſunt, nec adhuc ſatis clara & emendata; id quod eius ſtudioſi tantùm non quotidie experiuntur. Et quis tandem eſt ἐκ τῶν φιλολόγων qui non vnum ſaltem alterúmue locum emaculet, corrigat, ſanet, illuſtret, declaret, caſtiget, reſtituat, purget, defendat? his enim verbis ſimilibusq; multis in iſta rè vtuntur.

C. Hæc

C. Hęc tria, primum potiſsimè cum T. Liuio, Varrone, poëtis, plurimisq; non ſpernendis ſcriptoribus antiquis, tùm Latinis, tùm Græcis ipſi commune eſt: quorũ labores & vigilias aut edax tempus, inuidioſáque vetuſtas nobis abſtulit, aut barbarorum Italiam & Gręciam depopulantium furor & immanitas deperdidit. Deum immortalem quas gazas? plus quàm Pactoli opes, plus quàm talenta Pelopis. Ac ſi tantis copiis fortunisq; indignisſimè ſpoliati, nihilominùs tam exaggeratas adhuc eruditionum diuitias retinemus, qualis quantaq; extitiſſet noſtra felicitas, ſi tot librorum lectiſsimorum millia ſeruata fuiſſent? Veruntamen tu reliquorum auctorum vicem parum ſollicitus, vnius caſum iacturamq; inprimis dolenter pateris & lamentaris, cuius amore percuſſus es ſupra omnes. G. Equidem Ciceronis vnius, qui mihi eſt pro centum millibus, amore percuſſus ſum, vt dicis. Iam ſi amare nihil pænè aliud eſt, quàm bene cupere illi quem ames, nónne mihi optandum medullitus, vt extent de Rep. de conſolatione, de temporibus ſuis, Hortenſius, cæterique libri Latinæ linguæ & eloquentiæ Romanæ parentis, omni doctrina elegantiáque referciſsimi? vt quanquam vbique terrarum iampridem adeptus eſt ampliſsimam, tamen longè ampliorem adhuc laudis & gloriæ celebritatem adipiſcatur. C. Peruellem ego quoque extarent tam præſtantis ingenij, támque ſapientis & clari hominis opuſcula reliqua: ſed ea aut noſtram, aut poſteritatis memoriam aliquando viſuram, cùm hactenus tanto interuallo temporis prolata

non ſint, deſperandum opinor. Hîc ego immortales gratias habendas illi ſtatuo, qui abhinc ſeptennium Conſolationem, aureolum profectò libellum è tenebris vetuſtatis in lucem eduxit, & deſiderationem tot amiſſorum librorum vnius inuentione quoquo modo leniuit. G. Ha ha ha: ſimplicitatem ſpectate huius mei Chryſoſtomi. C. Ride & deride vt lubet, me de ſententia non detrudes. G. Quid?tu illum commentariolum è Ciceronis officina proceſsiſſe? quid? tu illius ingenij extra omnem ingenij aleam poſiti,tu facundiæ literarúmque parentis fœtum eſſe credis? C. Quidni credam?ita prædicant. G. Ita prædicant? ô inſcitiam, ô imprudentiam. Quis inuenit? vbi inuentus eſt? qua occaſione? quo modo? quo anno? cur nullæ lacunæ? cur nihil vſquam imperfectum? cur nullam cariem? cur blattas ac tineas nuſquam ſenſit? vſq; adeóne oleo cedrino illum perunxerant? omnia plena, integra, nihil mutilum,nihil ſitu exeſum,nulla litera fugiens,omnia expeditiſsima, quaſi tum primùm ſcriptus eſſet, cùm eſt repertus. C. Mouerunt me principiò iſta quæ opponis, & mirabar ſine vlla præfatione, ſine emendatione, ſine vlla annotatione tot annorum centuriis ſepultum proferri librum. Aſt omnem poſtea ſcrupulum Caroli Sigonij hominis in antiquitate perſcrutanda diligentiſsimi,& eloquentiſsimi orationes duæ mihi exemerunt,quibus eum & à Cicerone confectum, & partum ſuo parente dignum eſſe demonſtrauit. G. Errorem haud leuem in extrema ſenectute obiectum Sigonio, & Conſolationem iſtam eſſe ſuppoſitiam,

tiam, ex fruſtulis per totum Ciceronem è germana illa conſolatione diſperſis contextam, imò ex 1. Tuſculana magnam partem deſcriptam, inflatam nimis & grandiloquam, ſuauitatis, & diuinæ illius dulcedinis, qua pollet in conſolando tenera molliq́ue natura præditus M. Tullius, prorſus expertem, & aliis præterea vitiis laborãtem complures poſtea eruditi homines minimè dubiis rationibus conuicerunt. Sed me reprimam, nec vagabor in hac opinione refutanda longius. Nam vt eſt apud Arnobium: aiunt ſana ſentientes, contradicere rebus ſtultis ſtultitiæ eſſe maioris. C. Quando tu iſti libello non temerè, ſed ad probandum firmis argumentis complexionibúſque confiſus, quod animaduerto, tanquam ementito hæredi, & impoſtori, Ciceronianæ dignitatis nobilitatisq; patrimonium negas, cur ego aſſeram? aut cur eius patrocinium ſuſcipiam, ſi eum Sigonius, (qui vir?) defendere, ſiue vt dicam rectiùs, cooptare in familiam Tullianam toto, vt aiunt, corpore neruisq; omnibus conniſus non potuit? Tuum porrò iudicium in complectendo, & in oculis atque in ſinu ſemper geſtando Tullio nequaquam reprehenderim: velim nihilominùs ad meam vtilitatem eiuſdem iudicij tui amoríſque tam inflammati cauſſas ex te cognoſcere. G. Non tu mihi imperterritus, animæq; prodigus miles videris. C. Quidũm? G. Quia cùm vix adhuc ſigna cecinerint, relicta parmula meorum armorum aſpectu tremefactus te fugæ mandaſti. C. Ego non contremiſcam? ego non fugiam? primo congreſſu imperatorem meum dediſti ad necem:

& parœmiam noſti veterem; cæſo duce fugantur milites. Nec verò ſi quis mihi hanc fugam exprobrauerit, reſponſurus ſum quod ille è prælio apud Cheronæam fugiens, qui ignominiæ cauſſa ῥιψάσπις eſt cognominatus, reſpondiſſe fertur: ἀνὴρ ὁ φεύγων καὶ πάλιν μαχήσεται. Qui fugerit, rurſum ille præliabitur. Sed ad incœpta redeamus. G. Multitudo, Chryſoſtome, lectitantium Ciceronem, imitaríque conantium, ipſa inſuper experientia, variusq; fructus, quem mihi ex eo tot annis diligenter etiam atque etiam lecto, ac penè contrito collegiſſe videor, ipſum mihi penitus penitusq; commendauerunt, hæretq; mihi in venis, in medullis. Quę enim ſchola eſt in tota Europa, imò in Aſia & Africa quoque, in qua quidem Latinus ſermo doceatur, cuius parietes non quotidie vocibus Ciceronianis perſonent? quis magiſtrorum non mille colaphis puniendus cenſeatur, ſi Cicerone careat, cùm Alcibiades tam ægrè ferendum ſibi putarit, magiſtrum illum, in cuius ludum intrauerat, carere Homero, vt manum ab eodem verberando abſtinere nequiuerit? quis autem ſcholaſticorum non vnum ſaltem atque alterum eius librum tenet in capſa ſua, ſi omnes præ nummorum penuria non poſsit emere? quis eſt qui ſe ſtudioſum literarum dicere audeat Ciceronis ignarus? quis non ſibilis conſcindatur, qui ſe hunc non curare, nolle imitari, non nimis dictionem eius probare præ ſe ferat? quis tot interpretes, tot ſcholiaſtas, tot correctores, tot explicatores & illuſtratores, tot etiam admiratores, encomiaſtas & præcones inuenit? in quo toties

recu-

recudendo typographi, toties vendendo bibliopolæ, toties colligando bibliopegi, occupati & ſunt, & fuerunt, & erunt? C. Manifeſtiora ſunt hæc, quàm vt ea neget vel impudentiſsimus. In quo autem tibi tantum emolumenti pepererit, ac mihi aliiſque ſui amantibus parere poſsit, velim pro noſtra inueterata coniunctione oſtendas. G. Non dubito quin multa & ſæpe de illius viri laudibus legeris. C. Multa equidem & frequenter legi. G. Ea ipſa quid in eo quærere, quo pacto eius opulentia rem tuam augere deberes, vtcunque docendi te vim habuerunt. C. Habuiſſent: verùm cùm ea legerem, non id cordi erat, vt in alumnis & clientibus Tullianis numerarer. G. Quid ergo? C. Tantummodo vt liberali doctrina augerer; bonæque latinitatis inſtrumento domum meam exornarem atque inſtruerem: qui omnium propè in literis verſantium communis eſt finis. Etſi verò non pauci ſunt qui ſe ad exemplum Tullij effingere laborant, non ita multi tamen illius effigiem virtutémque aſſequuntur. G. Hoc ideo fit, quia ſtylum eius probè cognoſcere, & de eo ſcriptore iudicium ferre non eſt cuiuſlibet: deinde rationem certam ac veram eo quò intendunt perueniendi non obſeruant; in qua præſcribenda videmus quoſdam ſtudium poſuiſſe. C. Memini me in eiuſmodi commentariolos incidere, quos duabus de cauſsis voluere ſuperſedeo. Primùm quia ferè non perſequuntur niſi exilia quædam & minuta, atque ad ſolam elocutionem ſpectantia: perinde quaſi eloquentia, cuius perfectus ad vnguem, abſolutuſq;

magiſter & dux Cicero proponitur, non etiam aliis partibus contineretur. Deinde, quia præcipiunt, quæ in ipſorum oratione, cùm aliquid ſcribere aggreſsi ſunt, non elucent: eſt enim horridula plerumq; ieiuna, diſſoluta, incompta, plena ruris; Ciceronis autem plena ſucci, plena ſanitatis, plena cultus, æquabiliter fluens, aptis illigata numeris, multisq; diſtincta luminibus. Quare tacitè illos iubeo in ſuum ipſorum ſinum inſpuere, & cùm ſe purpuram vendere profiteantur, à ſemet ipſis quoq; ſumere, non aliunde quæritare exemplum, quod mihi exhibeant. G. Mittamus horum inſtitutum in præſens. Quid mihi Cicero meus contulerit, malo ab aliis, & aliquando ab te ipſo (quando nimirum planiùs eùm explorati usq; noueris) cognoſci, quàm à me non ſine arrogantiæ ſuſpicione enuntiari. Alterum illud, quid nempe tibi cæterisq; ſcripta M. Tullij vtilitatis afferre poſsint, ſpero te ex ore meo hodie intellecturum. C. Aures admoueo percupidas, méque regalibus epulis abs te acceptum iri diuino. G. Veriſsimè T. Liuius de Cicerone: in eius viri laudes ſequendas ipſo laudatore opus fore. Quod non ſolùm de rebus illius præclariſsimè pro ſalute & incolumitate Reipub. geſtis, toleratáque morte, verùm etiam de eximia, & omnibus ſæculis prædicanda eloquentia interpretandum ſcias: quæ quidem eodem ipſo teſte, ex plurimarum maximarúmque rerum cognitione effloreſcit & redundat, & eſt copioſè loquens ſapientia, vnaque ex multis artibus, ſcientiis, ſtudiisq; conflatum atq; collectũ. Quantam iſtuc admirationem

habet

ıabet; eum qui quinto & viceſimo ætatis anno
ntra iudicum ſubſellia verſari, ad cauſſas priua-
as atque publicas adire cœpit, omne reliquum
ritæ ſuæ tempus honorum magiſtratuumq́; per-
unctione, vrbanis ſeu domeſticis, prouinciali-
úsque negotiis, longiſsimis creberrimíſque iti-
ıeribus tranſmiſit, nihilominùs ita multos, ita
ebus & verbis ſingulares edere libros potuiſſe?
Quid tibi hæc inter tantas corporis animiq́; con-
ẽtiones πολυγραφία, quid, inquam, aliud indi-
are videtur, niſi vehementiſsimum incitatiſsi-
numq́; ſtudium, ſummum & ab omni laude feli-
iſsimum ingenium, ſcientiarum copiam, exerci-
ationem maximam, memoriam penè diuinam?
C. Sæpe illi vigilatas noctes exiſtimo, & ſententias
liquot recordor, quibus incẽſum in literas amo-
em ſuum teſtatus eſt; quæ ipſi cùm delectationi
ı ſecundis, tùm ſolatio in aduerſis, in grauiſsimis
empe illis Reipub. tempeſtatibus, priuatisq́; in-
ommodis fuerunt. *Me, inquit in epiſtolis, à pri-
a ætate omnis ars, & doctrina liberalis, & maximè
hiloſophia delectauit.* Pro Archia. *Quis tandem me
prehendat, aut quis mihi iure ſuccenſeat, ſi quantum
ceteris ad res ſuas obeundas, quantum ad feſtos dies lu-
orum celebrandos, quantum ad alias voluptates, & ad
ſam requiem animi & corporis conceditur temporis,
uantum alij tribuunt tempeſtiuis conuiuiis, quantum
niq; aleæ, quantum pilæ, tantum mihi egomet ad hæc
udia recolenda ſumpſero? In primo autem de Oratore:
: fuit tempus illud, cùm mihi quoq; initium requieſcẽ-*

di, & animum ad vtriuſq; noſtrum præclara ſtudia referendi fore, iuſtum & propè ab omnibus conceſſum arbitrarer. Sic initio Tuſculanarū: Cum defenſionum laboribus, ſenatoriiſq; muneribus; & quæ ſequuntur. Ad Atticum: Ego, hîc duo magna συντάγματα *abſolui; nullo enim alio modo à miſeria quaſi aberrare poſſum. Ad Meßinium, lib. 5. ad familiares: Itaque vtor eodem perfugio, quo tibi vtendum cenſeo, literulis noſtris. Et ad Ampium Balbum, lib. 6. Sed eſt vnum perfugium, doctrina ac literæ, quibus ſemper vſi ſumus: quæ ſecundis rebus delectationem modò habere videbantur; nunc verò etiam ſalutem.* Et ſexcentis præterea locis per illos epiſtolarum libros. G. Qui ætatem omnem procul à Repub. abundantes ingenio, doctrina & diligentia homines in literis habuerunt, tam multa certè mandare chartis ſuperuicturis non potuerunt. C. Tibi iſtuc aſſentior, eſt enim apertiſsimum. G. Leges tu quidē Latinos ſcriptores omnes, ſi me audias, & leges quamdiu voles, hunc vnum imitaberis, quem vt tranſeundi ſpes non ſit, magna tamen eſt dignitas ſubſequendi. de quo multò iuſtiùs quàm de Epicuro canetur:

Qui genus humanum ingenio ſuperauit, & omnes
Præſtinxit ſtellas, exortus vti æthereus ſol.

Siquidem alios vniuerſos in omni dicendi genere longinquo poſt ſe interuallo reliquit.

quid enim contendat hirundo
Cygnis? aut quidnam tremulis facere artubus hœdi
Conſimile in curſu poſſunt, ac fortis equi vis?

Hinc copiam & vbertatem, hinc breuitatem, hinc

graui-

grauitatem,hinc ſuauitatem,acrimoniam,perſpicuitatem, ſubtilitatem, mediocritatem, magnificentiam petas. Ad ingenia illuſtria limãda,perpolienda,& alenda nemo aptior; nec eſt quiſquã, quem ille non vt rebus doctiorem, ſic oratione ſplendidiorem ab ſe dimittat. Hic vnus meritò gnomon quidam & regula in verbis deligendis ſtatuatur, quam eſſe originem eloquentiæ Cæſar ſcripſit. Abiecta,obſoleta,dura,aſpera,impropria, longiùs ducta,obſcura in eo nulla. Contrà autem dilucida, plena, ſonantia, illuſtria, iucunda, magnifica, propria, vſitata, pura, numeroſa omnia. Proinde ſi rectè ratiocinaberis,huic vni prǫoptabis te ſimilem, quàm aliis ſuperiorem eſſe. Caue autem idem facias illis, qui quoties aliquid arrogantius ab eo dictum inueniunt, quoties ille ſe auidum gloriæ confitetur, miſerum reprehendũt; cùm nos non mores ſed linguam,& doctrinam in ipſo quærere potius, & iſta collaudare, imitationeq́ pro viribus exprimere, illa diſsimulare debeamus. C. Vellem tecum ſenſiſſent, qui oppugnare imitationem Ciceronianam, vt gigantes cœlum,non horruerunt. G. Non curat Hippoclides quid illi maſtiges fabulentur, Zoilosq́ & Andabatas nec pili facit. Cicero noſter omnium doctorum ſuffragiis, in omni ſermonis virtute primas tulit: quem quidem è Græcia Romam reuerſus,cùm ingentes ſibi copias ex facundiſsimæ, & erudituſsimæ gentis illius copiis collegiſſet,ita excoluit,ornauit,amplificauit,vt iam Græcis ipſis non adeò multùm concedamus;cum quibus ipſe de dicendi gloria tam felici Marte dimicauit, vt

de

de iis trophæum conſtituerit. C. Quoniam de copiis è Græcia Romam tranſportatis mentionem iniecisti, occurrit animo præclarū illud teſtimonium, quo Apollonius Molo, quem Romæ bis audierat priùs, & cui ſe Rhodi poſtea recoquendum dedit, cùm tota Aſia peragrata, cum ſummis ſe oratoribus exercuiſſet, cohoneſtaſſe Ciceronem dicitur, cùm eum græcè eloquentiſsimè orantem audiuiſſet. Nam cùm ceteri omnes qui tum aderant obſtupuiſſent, Ciceronemq́; certatim extollerent, Apollonius neque dum audiret hilaris viſus eſt, & poſtquam ille perorauit, diu triſtis attonitoq́; ſimilis cùm ſediſſet, tandem aliquando: Te quidem Cicero laudo, inquit, & admiror; ſed me Græcorum fortunæ miſeret, cùm videam doctrinam & eloquentiam, quibus bonis iam ſolis beati eramus, ad Romanos per te tranſlatas eſſe. G. Fuit ſanè præclara vox illa Græci doctoris, eamq́; poſtea euẽtus comprobauit. Quamuis igitur meritò præferendus videatur omnibus, qui domi foriſq́; Rempub. probè adminiſtrarunt, quòd illi partes aliquas iuuerũt, hic ſimul vniuerſam conſeruauit, poſsitq́; tanto iuſtiùs ſecundus appellari Romulus, quàm Camillus, qui paruum adhuc & anguſtum reſtituit, cùm hic tantoperè auctum amplificatumq́; imperium è faucibus fati eripuerit: tamen quod Cæſar de eo ſcripſiſſe proditur, ad gloriam illi maius eſt. C. Quid ſcripſit? G. Ciceronem omnium triumphorum lauream adeptum maiorem, quanto plus eſt ingenij Romani terminos tantũ promouiſſe quàm imperij. Nec illa non certiſsima ſunt,
quæ

quæ vir literis Græcis & Latinis iuxtà atq; doctiſ-
imè eruditus, atq; in Ciceronianis ſcriptis mul-
ùm diuq; exercitatus de eo magnificè protulit.
C. Quænam? G. Strictim, & ex multis paucisſi-
na tibi recitabo. C. Animo arrectus ſum ad au-
liendum. G. *Ex hoc tanquam vberrimo omnium*
octrinarum atq; artium fonte, ſiue grammaticum ali-
uid, ſiue rhetoricum, ſiue dialecticum, ſiue hiſtoricum,
ue poëticum, ſiue geographicum, ſiue œconomicum, ſiue
orale & politicum, ſiue phyſicum, ſiue geometricum,
ue muſicum, ſiue aſtrologicum, quidquid deniq; ad vl-
m artem libero homine dignam pertinens requiras,
inc tibi aſſiduò haurire licebit. Ab hoc diſcunt pueri,
nes, priuati, magiſtratus, ruſtici, vrbani, miſeri & ca-
mitoſi, beati & fortunati, pauperes & egentes, diuites
abundantes, ignobiles & obſcuri, nobiles & clari vi-
: ab hoc militares & ſagati, ab hoc pacis alumni & to-
ti, ab hoc infimi & humiles, ab hoc viri excellentes &
incipes. Deniq; nemo eſt mortalium cuiuſcunq; ſit vel
átis, vel loci, vel ordinis, vel fortunæ, vel ſtudij, vel na-
onis, quin à Cicerone *& melior & doctior fieri poſſit.*
. Agnoſco laudationem. Iure ſibi illum tantis
udibus ornandum ſumpſit, à quo fuit ipſe tam
ximiè excellenterq; ornatus. Et par eſſe duco,
t omnes animi ingeniiq; vires in eo deprędican-
o profundát, quibus ille tantum, quantum huic
rofuerit, cuius verba modò recitabas. G. Num
ictorij, Sigonij, Mureti, Manutij, Corradi, quos
ermanos Tullij diſcipulos appellare poſsis, ſcri-
bendi

bendi elegantia atq; munditia, & eruditionis varietate magiſtrum ſuum non valde commendāt? C. Maximè commendant. Ad ea poſthac exemplaria reſpiciam, verſaboq́; Ciceronem non paulò diligentiùs, & aliquam eius ſimilitudinem in meam imaginem, vt Zeuxis, transferre annitar. G. Gaudebis fructu huius diligentiæ tuæ magis, quàm ſi quis tibi regnū donauiſſet. Sed cùm initiò Tullianos libros in 4. ordines diſtinxerimus, auéſne audire quo ſeſe pacto in ſingulis geſſerit, qualémue ſe præſtiterit, & quantoperè in hac rerum ſcriptionumq́; diuerſitate excelluerit? C. Nihil vtiq; malim; & te rogo, hoc bellum in meam gratiam milites. G. Militabitur.

ANNOTATIONES.

QVI cognoſcere cupit quantus in doctrina & eloquentia vir fuerit M. Tullius, & quàm eximiè tanquam à buccinatoribus ſuarum laudum cantatus ſit, legat Quintil. lib. 10. cap. 1. ſub finem. Præfat. Lamb. in eius editionē. Plin. lib. 7. cap. 30. QVID EST QVOD VNI HVIC TAM FIXE) *Sunt qui libros quamplurimos commercantur, eosq́; non legunt. Ii tam docti euadent, quàm Citharœdi, ſi multas emant citharas, quas domi ad parietem ſuſpendant, & quotidie intueātur. Sunt qui ſine delectu ac diſcrimine per varios ſcriptores vagantur, & circumcurſant, creduntq́; multa & varia legendo ſe doctos fore. Iſti ſolliciti ſunt vt multa ingerant, non etiam vt digerant, quæq́; legunt in ſuum ſuc-*

ſuccum ſanguinemq́ cōuertant. Audiamus quid Seneca ſtatuat de legēdis auctoribus epiſt. 2. *Eſt enim res magni momenti, & ſcitu neceſſaria ſtudioſis, ne tempus, quod nūquam redit, malè conterant, & ſeſe fruſtra macerent. Illud vide, inquit, ne iſta lectio multorum auctorum, & omnis generis voluminum habeat aliquid vagum & inſtabile. Certis ingeniis immorari & innutriri oportet, ſi velis aliquid trahere, quod in animo fideliter ſedeat. Nuſquam eſt, qui vbiq; eſt. In peregrinatione vitam agentibus hoc euenit, vt, multa hoſpitia habeant, nullas amicitias. Idem accidat neceſſe eſt iis, qui nullius ſe ingenio familiariter applicant, ſed omnia curſim & properantes tranſmittunt. Nihil æquè ſanitatem impedit, quàm remediorum crebra mutatio. Non coaleſcit planta, quæ ſæpe transfertur. Nihil tam vtile eſt, quod in tranſitu proſit. Diſtrahit animum librorum multitudo. Itaq; cùm legere non poſſis quantum habueris, ſat eſt habere quātum legas. Probatos itaq; ſemper lege: & ſi quando ad alios diuertere libuerit, ad priores redi.* Idem epiſt. 45. Non refert quàm multos libros, ſed quàm bonos habeas. Lectio certa prodeſt, varia delectat. QVAS GAZAS) Perſica vox gaza pecuniam regiam ſignificat. Curt. lib. 3. Gazam Perſæ ærarium vocant. *Vtuntur* hac voce Cic. Virg. AMORE PERCVSSVS SVM) Percuſſit idem valet, quod permouit & affecit. Cicer. ad Attic. lib. 4. Percuſſit animum. Sic Terent. Andr. Percuſſit illico animum. Horat. Ode 7. lib. 1.

Me nec tam patiens Lacedæmon
Nec tam Lariſſæ percuſſit campus opimæ.

Quod autem quidam apud Terent. legunt perculſit, errant. Perculit enim à percello, non perculſit, latinum eſt.

eſt. Atq; vt amore percuſſus ſic perculſus dicitur. QVAM BENE CVPERE) *Quid autem eſt amare, ex quo nomen amicitiæ ductum eſt, niſi velle bonis aliquem affici quàm maximis, etiamſi ad ſe ex iis nihil redeat? Cic. 2. de finib.* CONSOLATIONEM ISTAM ESSE SVPPOSITITIAM) *Mitto alios, Iani Gulielmi pereruditum libellum vidimus, quo iſtã conſolationem nec Tullij, nec Tullio ſatis dignam eſſe conuicit Carolum Sigonium, quem in infami argumento eloquentiæ ſuæ diuitias opinatur oſtendere voluiſſe. Concedit tamen eſſe hominis neq; indiligentis, & philoſophiæ ac Ciceronis ſtudioſi: ingenio autem nec ad illam comprehendendam, nec ad hunc exprimendum vel acuto ſatis, vel accommodato. lege librum. Cicero autem eandem conſolat. ſuam etiam inſcripſerat, de luctu minuendo. ad Attic. lib. 12. epiſt. 21. Eodem lib. ep. 22. de ea ſic ipſemet. Neque tamen progrediar longius, quàm mihi doctiſſimi homines cõcedunt: quorum ſcripta omnia, quæcunq; ſunt in eam ſententiam non legi ſolum, quod ipſum erat fortis ægroti, accipere medicinam: ſed in mea etiam ſcripta tranſtuli, quod certè afflicti & fracti animi non fuit.* VT INANVM AB EODEM VERBERANDO) *Incuſſit ei pugnum ſatis durum, inquit, narrans hoc factum Ælian. lib. 13. cap. 38. eum imperitum eſſe, & ſimiles ſibi pueros efficere oſtendens. Plutarch. quoq; in Apophthegm. Regum & Impp.* NON ELVCENT) *In arte ſubtiliores, in oratione ieiuniores. Nam ſæpe fit, vt qui artem ſciunt, ſcribere neſciant, quod de Varrone;*

Hor=

Hortenſio, Galba, Horatio, Quintiliano, Seneca, Hermogene dicitur. Quin fuerunt, qui neminem ſcriptorem artis ne mediocriter quidem diſertum fuiſſe dicerent. Cic.1.de Orat. PLENA RVRIS) *Plenus ruris dicitur; qui eſt inurbanus, inſulſus, ruſticitatis plenus, vt Græci dicunt;* ἀγροῦ πλέως, *& Heſychius explicat* ἀγροικίας πλήρης. *Catull. in annales Voluſij: At vos interea venite in ignem Annales Voluſi. In Truculēto ancilla ſeruum, à quo tractaretur inhumanius, vocat rus merum.* OPPVGNARE IMITATIONEM CICERONIANAM) *Auſus eſt hoc Politianus, cui reſpondit Paulus Corteſius. Scimus etiam Eraſmum dialogum euomuiſſe, quem Ciceronianum inſcripſit. In quo ea de imitatoribus Ciceronis per calumniandi libidinem mentitur, quæ illis in mentem nec venient aliquãdo, nec venerunt.* AVIDVM GLORIÆ CONFITETVR) *Propter immoderatum gloriæ ſtudium non mediocriter reprehenſus ſcribitur à Quintil. lib. 11. cap. 1. Eſt tamen rerum à ſe geſtarum, quæ ſine dubio magnæ fuerunt, quam eloquentiæ maior in omnibus iactator. Et ingenium ſuum raro ac modeſtè, labores ſuos, reſq; geſtas ſæpius & liberius commendat. Quod non ſine aliqua ratione fecit plerumq;. Aut enim tuebatur eos, quibus erat vſus adiutoribus in opprimenda coniuratione, aut reſpondebat inuidiæ, cui tamen non fuit par, ſeruatæ patriæ pœnam paſſus exilium, vt illorum, quæ egerat in cõſulatu frequens commemoratio, poſſit videri non gloriæ magis, quàm defenſioni data. Plura Quintil.* CICE-

RONEM OMNIVM TRIVMPHORVM) *Plinius lib.7.cap.30. Idem Cæſar, vt narrat in Bruto Atticus, lib.1.eorum, quos ad Ciceronem de ratione latinè loquendi ſcripſit, ipſum latinæ copiæ inuentorem ac principem nominauit.* SIMILITVDINEM VT ZEVXIS) *Quid hic pictor nobiliſſimus fecerit Crotoniatis Helenã in templo picturus, Cic.præfat.2. de inuẽt. Multa de eodem Corradus in Brutum.*

PROGYMNASMA OCTOGESIMVMNONVM.

Epiſtolæ M. Tullij.

IIDEM.

CHRYSOSTOMVS. Nemo quiſquam antiquorum, quod ego ſciam, plures compoſuit epiſtolas. G. Nec tam bonas & probatas, Chryſoſtome, nedum meliores. C. Tametſi non aliter eſſe mihi perſuadeo, & omnes ita perſuaſos non ſum neſcius, nihilominùs cauſſas huius rei abs te cognoſcendi quodam ſtudio efferor. G. Demetrio Phalereo, qui à Theophraſto diſciplinam accepit, prima laus epiſtolæ videtur, vt ſit imago noſtræ mentis, nosq́; ipſos penitus, velut in tabella depictos oſtendat, plenaq́; ſit humanitatis & blanditiarum. C. Sententiam & iudicium huius Demetrij planiſsimè intelligo. G. Hæc laus cùm in illis quæ ad familiares dicuntur, tùm

tùm verò in iis quæ ad T. Pomponium Atticum, & ad Q. Fratrem miſſæ ſunt, ſatis ſuperq́; eminet. C. Hoc ſummatim eſt laudare. G. Mane, iam laudabimus etiã ſpeciatim. Eſtne illis ad Lentulum quidquam humanius? ad Memmium aliosq́; officioſius? ad plurimos, quibus in aduerſis rebus cõſilium & ſolatium impertitur, beneuolentius atq; fidelius? ad Terentiam mollius? ad Tironem dulcius? quàm multa paſsim ad legẽdum inuitamenta? quanta vbiq; teſtificatio amoris? quanta ſtudij? quanta voluntatis? Sanè conſolari eos, qui aliquod à fortuna vulnus acceperint, quod non infrequens facit, mitiſsimum ingenium, & ad commiſerationem mirificè inclinatam naturam perſpicuè declarat. C. Certum eſt, lenem, placidam, ac blandam orationem, qualis eſt illa conſolatoria, niſi è facili, manſueto, minimeq́; duro ac tetrico ingenio exiſtere non poſſe.

Format enim natura priùs nos intus ad omnem
Fortunarum habitum: iuuat aut impellit ad iram,
Aut ad humum mœrore graui deducit & angit.
Pòſt effert animi motus interprete lingua.

Quoties porrò in hoc genus orationis apud Tullium incido, toties in florem nectaris, in medullam mellis, in Attica bellaria me incidiſſe iudico, adeò excellit. G. Quid eſt, obſecro, in quo ille non excellat? Et quis ſine ipſo vnquam aut excelluit aut poterit excellere? Cuilibet fas eſt exclamare de hoc viro, quod de ſuo Epicuro Lucretius, vnica tantùm mutata vocula:

Te ſequor, ô Latiæ gentis decus, inq́ tuis nunc
Fixa pedum pono preßis veſtigia ſignis.

Sed ne longiùs ab incœpto trahamur; quãdo gratulatur, quàm ſincerus? quando petit, quàm verecundus? quando iocatur, quàm vrbanus? quando gratias agit, quàm nullius meriti oblitus? quando commendat quempiam, quàm ſollicitus? quando narrat, quàm apertus? quando monet, quàm ſerius? quando (vt comprehendam breui) in quouis tandem genere, (multa autem ſunt genera, quæ ad duos fontes & capita, ad morale, & negotiale à quibuſdam reuocantur) epiſtolam contexit, quàm eiuſdem exemplar & ideam perfectè conſequitur? C. Quid ergo præceptionibus opus eſt, ſi in Ciceronis epiſtolis ſunt omnia? G. Ne orationibus quidé eius vlla deſit laus oratoria, num idcirco non erit docenda Rhetorica? ſtatuam videmus perfectam, picturam ſimiliter: quis tamen ſine magiſtri ductu, ſine præceptis, non dicam bene pingere, bene ſculpere ex ipſa modò pictura, & ſtatua quamuis egregiè factis addiſcet, ſed vel ipſam ſtatuam picturamq́ ſatis intelliget? Ars igitur hanc vim habet, vt opus facere ipſi, & ab aliis factum iudicare poſsimus. Habes quippiam ad hæc? C. Magnoperè faueo huic aſſertioni tuæ: iam carpe viam vlteriùs. G. Delectat in eo ſcita breuitas; quanquam nihilominùs ipſa longitudo lectorem retinet ac paſcit, vt ſe ad finem perueniſſe non ſentiat. Nec poteſt omittere argutias homo argutiſsimus, de quibus ita ipſemet ep. 32. lib. 7. ſcribens ad Volumnium: Pugna, ſi me amas,

nisi

niſi acũta ἀμφιβολία, niſi elegans ὑπερβολή, niſi παράγραμμα bellum, niſi ridiculũ παρὰ προσδοκίαμ, niſi cetera, quæ ſunt à me in ſecũdo libro de Oratore per Iulij perſonam diſputata de ridiculis, εὔτεχνα & arguta apparebunt, vt ſacramento contendas mea non eſſe. C. A Plutarcho & Macrobio dicta quædam referuntur, quę cùm legerem, valde ſum recreatus. G. Quàm nos caperent illi tres libri, quos Tiro libertus ex eius faceтiis confeciſſe dicitur? C. Longè ampliùs, quàm nõnullos ſordidiſsimi & ſpurciſsimi lepores Martini cuiuſdã, quibus inter epulas vtebatur, & qui cõpluribus libris collecti, ab eius diſcipulis cum voluptate leguntur. G. Ad epiſtolas noſtras redeundum eſt. Deſideras res obuias, minimè ſpinoſas, è communi hominũ vita ſumptas? his refertæ ſunt Tullianæ epiſtolæ. Vis rurſum haud vulgares & tritas, ſed magnas, illuſtres, è ſapiẽtum monumentis decerptas? harum veluti meſsis hîc non eſt defutura tibi. Præclarè diſſerit de religione erga Deos, de charitate erga patriam, de fidelitate in amicos, de maximis virtutibus, de vitiis. Humilem ſeu infimum dicendi characterem epiſtolis valde proprium, vt plurimùm ſectatus eſt: interdum tamen propter rerum ſubiectarũ pondus grauitatẽq; aſſurgit, ac verbis fulminat, quod Fabius Quintilianus fieri aliquãdo oportere admonuit. C. Ex tuis verbis argumentationẽ poſſim concludere, non ſolùm ad exercitationẽ ſcribendi, ſtylumq; expoliendum, ſed ad animũ quoque inſignium, variarumq; rerum cognitione locupletandum perutile ac neceſſarium eſſe iſtas

lectitare epiſtolas. G. Reuera & vtiliſsimum, & vehemẽter neceſſarium. Philoſophia eſt illa quidem ars vitæ, medicina & cultura animi, quæ vitia radicit⁹ extrahit, & virtutes inſerit: verùm hęc ipſa cõmoda magnam partem ex epiſtolis huius admirandi ſcriptoris noſtro ingenti bono ad nos deriuare poſſumus. C. Dandum eſt igitur ſummę laudi maioribus noſtris, cùm has epiſtolas, aliorũ vel prætermiſsis, vel è ſchola excluſis relegatiſq;, iuuentuti explanandas, ediſcendas, imitandaſq; propoſuerunt. G. Prouidè illi. Multis tamen de cauſsis in gymnaſiis Grammaticis etiam dandus eſt locus dialogis: quas ego, ſi requiſieris, aliâs opportunius explicabo. C. Sanè requiram; quando me eruditas prudenterq; excogitatas rationes auditurum ęſſe nihil dubito. G. Tuum fecero iudicium.

ANNOTATIONES.

HOMO ARGVTISSIMVS) *Macrob. Saturnal. lib. 2. cap. 1. ipſum & Plautum à iocorum venuſtate commendat. Idem tamen alibi, & alij eundem vt aliquando nimium in iocando notauerunt.* QVOS TIRO LIBERTVS EX EIVS) *Quintil. libr. 6. cap. 3. Vtinam libertus eius Tiro, aut alius, quiſquis fuit, qui tres hac de re libros edidit, parcius dictorum numero indulſiſſent, & plus iudicij in eligendis, quàm in congerendis ſtudij adhibuiſſent: minus obiectus calumniantibus foret; qui tamen nunc quoque, vt in omni eius ingenio, facilius quid reiici, quàm quid adiici poſsit,*

poſſit, inueniunt. De Tirone Gell. lib. 7. cap. 3. QVOD AD C. HERENNIVM) *Antiquitas putauit Ciceronem auctorem, ſed antiquitas rudis, & elegantiorum literarum ignara, atq; in Cicerone nimis parum exercitata. Digladiantur adhuc hodie quidam ſuper hoc negotio. Veruntamen ſtandum eſt à pluribus. Scripſit quiddam de hoc Aldus Manutius, Pauli pater, Maioragius lib. reprehenſionum in Nizolium, & alij.*

PROGYMNASMA NONAGESIMVM.

Rhetorica M. Tullij.

IIDEM.

CHRYSOSTOMVS. Inter volumina de ratione dicendi, quorum complura foras dedit M. Tullius, primum ſemper locum obtinet, primum in oculos lectorum incurrit, quod ad C. Herennium inſcribitur. Túne verum ſincerumq;, an adulterinum ſubdititiumq; partũ hunc eſſe arbitrare? G. Arbitror verò adulterinũ eſſe, & Ciceronis grauitate indignum. C. Docti ſunt illi quatuor libri. G. Quis negat? C. Non peſsimè loquuntur latinè. G. Quis contradicit? addo etiã, quartus tam ad rem apposita, tam elegantia figurarum exempla ſubiicit, vt admirationi potius, quàm reprehenſioni locum reliquerit: digni ta-

men qui in Tullij hæredes adſciſcantur,quiq; ipſius tam glorioſum nomen in fronte præferant, non ſunt,quidquid homines nonnulli tenui literatura garriant;quorum aliqui nullas, aliqui parũ probabiles huius opinionis ſuæ rationes producunt. C. Cuinam ergo venditori redhibendos ſtatuemus? G. Ei videlicet,quem iam pridem cõſenſu homines elegantiore doctrina perpoliti, legitimum operis illius parentem ſtatuerunt, Q. Cornificio. C. Quandoquidem commentarium hunc à Cicerone abiudicas, nolo ex te ſciſcitari qualem exiſtimes, tametſi iam audiui: non vituperas certè. De Inuẽtione quid me ſentire poſtulas? G. Idem quod eius libri conditor Cicero. C. Quid ille? G. Præfatione triũ de oratore ad Q.F. Vis enim,inquit,vt mihi ſæpe dixiſti,quoniã quędam pueris, aut adoleſcentulis nobis ex cõmentariolis noſtris inchoata atq; rudia exciderũt, vix hac ætate digna,& hoc vſu,quem ex cauſsis, quas diximus,tot,tantisq; conſecuti ſumus,aliquid iiſdem de reb⁹ politius à nobis, perfectiusq; proferri. C. Ergóne duo illi de Inuentione ibi ſignificantur? G. Illi ipſi. C. Sunt ergo imperfecti? G. Imperfecti; non ita tamen, quin probata præcepta,eaque multa contineant, atque ad emendandam excolendamq; linguam futuri ſint frugiferi,valdeque commodi. Reliqui vniuerſam facultatem oratoriam copioſè, diſtinctè, prudenter & abſolutè pertractant. Quòd ſi omnia tùm à Græcis, tùm à Latinis euulgata eloquentiæ præcepta in vnum conferantur, non poterunt cum illo ſolo, qui de Oratore nomen accepit, nedum cum omni-

omnibus ſimul contendere. C. Quid ego abs te audio? G. Quod verum eſt. C. At ipſius Ciceronis teſtimonio (quo quid poteſt eſſe grauius? quid credibilius?) Ariſtotele nemo doctior, nemo acutior, nemo in rebus vel inueniendis, vel iudicandis acrior. Huius Græci doctoris de dicendo libri feruntur, in quos eruditiſsimè artem ipſam incluſit, ingenioſiſsimè cuncta diſpoſuit, politiſsimè explicauit, à quo ipſemet Tullius vel ſumpſit multa, ſi fatetur; vel, ſi negat, ſurripuit: vtar enim iiſdem verbis, quibus ipſe in Bruto vſus eſt, cùm de Ennio & Næuio poëtis vetuſtiſsimis loqueretur. Hunc tu ſaltem excipias, quæſo, quod ille ſolet facere Platoni, cùm de philoſophis eſt ſermo. G. Non excipiam. C. Quid vetat? G. Audies. Ariſtoteles à forenſi ſtrepitu remotus, nullis in cauſſis vnquã iactatus, domi in otio literato, tanquam in vmbra, non in ſole ac puluere viuens, iis oculis, eaq; mentis acie, qua res ceteras à natura tectas & inuolutas, hanc etiam oratoriam rationem perſpexit, eamq; diligentiſsimè ſcribendo eſt perſecutus. Atqui vehementer æquum eſt, nos illis doctoribus ſemper potiores deferre, qui, quod docent, ipſo quoque vſu, à quo multa emendantur, multa adduntur, & eo quidem diuturno experti comprobauerunt. Ac ſi in ceteris artium honeſtarum diſciplinis illis magiſtris, qui vſum non mediocrem ſcientiæ ſuæ addiderunt, maiorem conſueuimus honorem habere, quàm iis, qui modicum aut nullum; cur hoc in dicendi ratione non ſimiliter nobis obſeruandum putemus? C. Verbum hac de re tecum nõ commutabo. Quoniam

autem ad hoſce dialogos delapſi ſumus, quid eſt quod tantoperè tibi commendandi videantur? G. Complura ſunt, quæ mihi charos & ſuſpiciendos efficiunt. C. Quæ tandem? G. Perſona ipſa ſcribentis: compoſuit enim hos libros grandis natu, iudicio longa dicendi exercitatione perfecto & confirmato. Deinde res quæ tractantur, quarum dignitate nihil grauius, ſubtilitate nihil elegantius, varietate nihil iucundius, vbertate & copia nihil fructuoſius. Quàm multa ex Platone, ex Philoſophis, ex Oratoribus hauſta? quos non ille riuos ex illorum fluminibus in ſuum agrum deduxit? delectat cognoſcere quid valeat vis oratoris, quid oratoria natura, quid ſtudium, quid exercitatio, quid hiſtoria, poëſis, philoſophia, ius ciuile, adiuuet; quibus, id eſt, quàm amplis regionibus ſepta & circumſcripta teneatur Rhetoricæ materia, quæ docendi ratio, quæ mouendi: quomodo fieri poſsit vt ſermo facetus, ac nulla in re rudis appareat; qui ſint affectus in veſtibulo orationis tentandi, qui perorata cauſſa concitandi, ex quibus locis ad gignendam fidem argumenta ſumenda, quibus quaſi luminibus tota oratio illuſtretur. In iis porrò quibus diſputandi partes dantur, quibusq; ſermo affingitur quanta moderatio? quanta prudentia? in probando refellendóque admirabilis ſolertia, in tota diſputatione ſumma grauitas, & cum eximia venuſtate coniunctus lepos: genus orationis quàm ornatiſsimum, & copioſiſsimum. Ipſemet non vulgari laude eoſdem extulit, magníque fecit. Ad Lentulum: Scripſi, inquit, Ariſtoteleo more, quemadmodum quidem volui,

uolui, tres libros de Oratore, quos arbitror Lentulo tuo fore nõ inutiles: abhorrent enim à communibus præceptis, & omnem antiquorum Ariſtoteleam & Iſocrateam rationem oratoriã complectuntur. Item ad Atticum: De libris oratoriis factum eſt à me diligenter: diu multumq́ꝫ in manibus fuerunt, deſcribas licet. Et rurſus ad eundẽ: Sunt etiã de oratore noſtri tres, mihi vehementer probati. C. Pręcipua ſemper voluptate his dialogis lectitandis affectus ſum, tantóque libentius tibi, tam pleno ore eos collaudanti fidem adiungo, quòd pro ingenij mei tenuitate hæc ipſa quoquo modo me in iis obſeruaſſe recordor. G. De tribus oratoriis ad neceſsitudinem rei dictum eſt ſatis: ſequitur vt de Bruto dicamus, ſiue de illo, quem de claris Oratoribus inſcripſit. C. Quare hunc edidit? G. Cùm tribus illis libris oratorem præceptis inſtituiſſet, vt eum quaſi populo exhiberet, exemplis exprimere voluit: quocirca oratorum penè ſingulorum tùm Græcorũ tùm Latinorum initia, ætates, progreſſus, vitia, virtutesq́ꝫ expreſſit, eo conſilio, vt has imitari, illa vitare poſſemus. Qui autem paulò attentiùs hunc librum legerit, omnem penè Romanam hiſtoriam cognoſcet, in quo quantum ipſe de rebus oratoriis iudicium habuerit, præclarè ante oculos ponit. C. Qua occaſione Oratorem perfectum ſcripſit? G. Rogatu Bruti, qui, quænam eſſet potiſsima dicẽdi ſpecies, præſtantiſsimumq́ꝫ genꝰ orationis, ex ipſo diſcere cupiebat. C. Illos de oratore ipſemet commendauit: vtrũ hoc idem in iſto fecerit, non memini. G. Fecit. C. Vbi? G. Epiſt. ad Leptam lib. 6. his verbis:

Orato-

Oratorem meũ à te tantoperè probari vehementer gaudeo. Mihi quidem ſic perſuadeo, me quidquid habuerim iudicij de dicẽdo in illum librum contuliſſe: qui ſi eſt talis, qualem tibi videri ſcribis, ego quoq; aliquid ſum; ſin aliter, non recuſo, quin quantum de illo libro, tantundem de iudicij mei fama detrahatur. Memini eiuſdem lib. 12. epiſt. 17. ad Cornif. Sed proximè ſcripſi de optimo genere dicendi: in quo ſæpe ſuſpicatus ſum, te à iudicio noſtro, ſic ſcilicet, vt doctum hominem à non indocto paululùm diſsidere. Huic tu libro maximè velim ex animo, ſi minus, gratiæ cauſſa ſuffragere, & quæ ſequuntur. Iterum epiſt. 22. lib. 14. Oratorem meum (ſic enim inſcripſi) Sabino tuo commendaui, &c. C. Bruto tamen non vſqueadeo ſatisfecit, id quod Cic. ipſemet cum Attico conqueſtus eſt, ni fallor, ep. 20. lib. 4. G. Bruti iudicium nihil moramur, dummodo nobis ſatiſfaciat. C. Quid erat igitur, in quo diſcreparent amborum iudicia. G. Elocũtioni Cicero tribuebat plurimùm, Brutus autem rebus haud paulò plus quàm verbis. Ineſt in hoc ſyntagmate variarum doctrinarum recondita eruditio, inſunt graues magníque ponderis ſententiæ, ineſt mira orationis feſtiuitas, quæ legentium mentes alliciat, & ſine vlla ſatietate faſtidióque permulceat. Quòd ſi M. Tullius ipſemet talis orator non fuit, qualis illic exprimitur; nullus fuit, nullus erit. C. Non adeò putarim diſsimilem huic libello illum Demetrij Phalerei de elocutione. G. Sic eſt: nam de variis orationis generib⁹ venuſtè diſputat, quamuis quæ ſit optima dicendi forma non quærat.

Diony-

Dionyſius Halicarnaſſæus in commentario de componendis nominibus,non paucas quęſtiones à Cicerone hoc volumine explicatas attingit.Dionyſius Longinus librum reliquit περὶ ὕψους, in quo de principatu inter oratores diſſeruit, quibusq; gradibus ad altiſsimum illud abſolutæ eloquentiæ faſtigium aſcenderetur oſtendit. Scripſit & Hermogenes de formis dicendi,quas Ideas nominauit. C. Topica ſequuntur. G. Hæc Velia in Græciam nauigans, cùm libros non haberet ſecum,repetita ſolùm harum rerum memoria confecit. Mira breuitate arctauit, quæ apud Ariſtotelem diffuſa leguntur. Quòd verò ipſa præcepta exemplis è iuris diſciplina illuſtrauit, Trebatio iureconſulto gratificatus eſt: prodeſt tamen ea ſcire etiam oratoribus. C. Habet profectò libellus ille multas obſcuritatis latebras,& non paucis obſtructam difficultatibus doctrinam. G. Reſponſum tibi puta,quod Trebatio ſcripſit ipſe:Sin tibi quædam videbuntur obſcuriora, inquit, cogitare debebis,nullam artem literis ſine interprete,& ſine aliqua exercitatione percipi poſſe:quanquã tu ſi attentè leges,ſi ſæpius, per te omnia conſequêre. C. Ordo nos ad Partitiones deduxit. G. Affirmat ipſe has è media Academia effloruiſſe: neq; ſine ea intelligi aut tractari poſſe. Mole quidem & paginarum numero vides quàm exiguus paruusq; ſit liber, verùm vtilitate haud ſcio an par aut maior vnoquoq; aliorum Rhetorũm,etſi fuerint longiores multis Iliadibus. Pauxillum auri mallem,quàm aceruos arenarios; & ſmaragdum puſillum anteponerem minãtibus in cœlum ſcopulis.

pulis. Breuiter, apertè, miro ordine quidquid ad artem eloquentiæ pertinet exponit. Seruauit pręceptum Horatianum:

Quidquid præcipias, eſto breuis, vt citò dicta
Percipiant animi dociles, teneantq́; fideles.
Omne ſuperuacuum pleno de pectore manat.

Concludam rem verbis Quintiliani: Præcipuum lumen ſicut eloquentiæ, ita præceptis quoq; eius dedit vnicum apud nos ſpecimen orandi docendiq́; artes oratorias M. Tullius: poſt quem tacere modeſtiſsimum foret, niſi & Rhetoricos ſuos ipſe adoleſcenti ſibi elapſos diceret; & in oratoriis hęc minora, quę pleriq; deſiderant, omiſiſſet. C. Quin addis vnum verbum de illo, cui de optimo genere oratorum nomen eſſe voluit? G. Cùm tanquam Aſiaticus notaretur ab iis, qui Atticorum eloquentiam ſiccitate ac ieiunitate ſua definiebant, quo illorum errorem principum oratorum auctoritate conuelleret, Æſchinis & Demoſthenis nobiliſsimas, & inter ſe contrarias orationes latinitate donauit; quarum exemplo diſcerent, Attici eſſe, orationem ad id quodcunque decet accommodare, & humilia ſubtiliter, magna grauiter, mediocria temperatè dicere: alioquin ſi ornatè, grauiter & copioſè dicere non eſſet Atticorum, ne Æſchines quidem & Demoſthenes Attici fuerunt, quos grauiter ornatéque dixiſſe notiſsimum eſt. Priuſquam verò orationum argumenta exponeret, breuiter de optimo genere oratorum, & conſummata eloquentiæ forma diſſeruit, quo perfecti oratoris imago quędam ab iis cerneretur

qui

qui Attici, hoc eſt, excellentes atq; optimi oratores vſurpari volebant: quam quidem pluribus in oratore ad Brutum expreſsit. C. Nec plura deſidero de hac quidem parte librorũ quæ τεχνικῶν eſt, nec ſi deſiderem, velim te vrgere: animus enim meus ad eum locum feſtinat, qui cæteris & ad differendum magnificentior, & ad cognoſcendum iucundior eſt, nempe de orationibus; & mihi quantus fuerit orator M. Tullius declarari peropto: quanquam primorum principem eſſe credibile mihi faciunt cateruę ita ſentientium atque credentium. G. Fiet hoc quantum noſtra imbecillitas permiſerit: volo meam ad tuam voluntatem aggregare. Verùmenimuerò hic maior rerum mihi naſcitur ordo, Maius opus moueo; vt canit Latinus vates.

ANNOTATIONES.

IPSEMET TVLLIVS VEL SVMPSIT MVLTA) *Ex his qui ſuperſunt libris Ariſtoteleis, Cicero multa in ſuos tranſtulit, præſertim in tertium de Oratore. Nec pauca vtique ex illo, quo ipſum dicendi artes omnium ſuperiorum expoſuiſſe confirmat 2. de Oratore. Quinetiam 2. de Inuentione conſiteri non dubitat, ſe omnium quicunq; fuerant ab vltimo principio Rhetoricæ præceptionis, vſq; ad id tempus expoſitis copiis, quodcunque placeret elegiſſe, ad illos ſcilicet de Inuentione libros locupletandos. Fatetur etiam epiſt. ad Lentulum 9. ſe omnium antiquorum Ariſtoteleam, & Iſocrateam* dicendi

dicendi rationem oratoriam tribus illis ad Q.F. eſſe complexum. Vide Manut. explanat.

PROGYMNASMA
NONAGESIMVMPRIMVM.
Orationes M. Tullij.

IIDEM.

GLAPHYRVS. Vnde conuenientiùs exordiar diſputationem hanc, quàm ab ipſius confeſsione Tullij, non video. Nulla eſt, inquit, vllo in genere laus oratoria, cuius in noſtris orationibus non ſit aliqua, ſi non perfectio, at conatus tamen atque adumbratio. Iudicauit hoc poëta, qui fuit illius æqualis, cùm diſertiſsimum Romuli nepotum, quot ſunt, quot fuerunt, quotque pòſt aliis erunt in annis epigrammate nobili appellauit. Iudicauit etiam Quintilianus, qui eum cuique Græcorum fortiter poſſe opponi; & cùm ſe totum ad Græcorum imitationem contuliſſet, effinxiſſe vim Demoſthenis, copiam Platonis, iucunditatem Iſocratis affirmat. C. Præclariſsima laus, ſimilem trium illorum euaſiſſe, quos vniuerſa Græcia ſuſpexit, & omnes gentes omnibus ſæculis admiratæ ſunt. De Octauio Auguſto Plutarchus libro de Fortuna Romanorum: Cùm quartum & quinquageſimum annum ætatis ageret, eum tria à Diis precatum; Scipionis fortitudinem, beneuolentiam Pompei, fortunam Cæſaris. Ego ſi quid

ſi quid magnum à Deo precari velim, illa tria velim, imò verò vnicum tantùm: nimirum ſimilem eſſe Ciceronis vnius, qui omnes omnium oratorum laudes vnus eſt complexus. G. Votum maximum. Sed ſi lubet, audiamus quid adiungat Fabius, & quemadmodum plenis buccis virum celebret. C. Lubet. G. *Nec verò quod in quoque optimum fuit, ſtudio conſecutus eſt tantùm, ſed plurimas vel potius omnes ex ſeipſo virtutes extulit immortalis ingenij beatiſſima vbertas. Non enim pluuias (vt ait Pindarus) aquas colligit, ſed vno gurgite exundat, dono quodam prouidentiæ genitus, in quo totas vires ſuas eloquentia experiretur. Nam quis docere diligentiùs, mouere vehementiùs poteſt? Cui tanta vnquam iucunditas affuit? vt ipſa illa quæ extorquet, impetrare eum credas: & cùm tranſuerſum vi ſua iudicem ferat, tamē ille non rapi videatur, ſed ſequi. Iam in omnibus quæ dicit, tanta auctoritas ineſt, vt diſſentire pudeat; nec aduocati ſtudium, ſed teſtis aut iudicis afferat fidem: cùm interim hæc omnia, quæ vix ſingula quiſque intentiſſima cura conſequi poteſt, fluunt illaborata; & illa qua nihil pulchriùs auditu eſt, oratio, præ ſe fert tamen fœliciſſimam facilitatem. Quare non immeritò ab hominibus ætatis ſuæ regnare in iudiciis dictus eſt: apud poſteros verò id conſecutus, vt Cicero iam non hominis, ſed eloquentiæ nomen habeatur. Hunc igitur ſpectemus: hoc propoſitum nobis ſi[t] exemplum. Ille ſe profeciſſe ſciat, cui Cicero valde placebit.* C. Quoniam cum Demoſthene frequenter componi ſolet Cicero, velim mihi vna

d opera

opera comparationes illas,ſi plures ſint,repręſentes.G.Difficile eſt ex tempore:conabor tamen,ne aut noluiſſe me, aut neſciſſe, aut laborem fugiſſe ſuſpicere.Duos hoſce oratores Deus ab initio veluti nummos duos eadem materia, eodem ſigno percuſsit,cùm naturam ſimilē ipſis indidit.Vterq; honoris & gloriæ cupientiſsimus, libertatis Reip. amantiſsimus, in periculis & armis timidus, fortunæ dominationi multùm ſubiectus. Vix enim duos reperias oratores, qui, vt hi, ex obſcuris & mediocribus potentes & magni euaſerint,qui regibus & tyrannis ſe obiecerint, filias vterq; vnam habuerint, & ante obitum ſuum amiſerint, in patriam poſt exilium publica omnium lætitia & gratulatione reuerterint,iterum profugere coacti ſint,& in manus hoſtiũ inciderint, à quibus communi luce priuati,vnà cum vita patrię libertatem poſuerint,eadem propemodum ætate. Nam Demoſthenes quidem ſecundum & ſexageſimum; Cicero tertium ſupra ſexageſimum vidit. Virtutes in ambobus pleræq; ſimiles; conſilium item, ordo,diuidendi,præparandi,probandi ratio,omnia demum quæ inuentioni ſubiiciuntur. In elocutione diuerſitas eſt aliqua. Ille denſior, hic copioſior:ille concludit aſtrictiùs,hic latiùs pugnat: ille acumine ſemper, hic frequenter pondere : illi nihil detrahi poteſt, huic nihil addi : curæ plus in illo, in hoc naturæ. Salibus & commiſeratione (qui duo affectus plurimùm valent)vincimus:cedendum verò in hoc quidem, quòd ille & prior fuit, & ex magna parte Ciceronem, quantus eſt, fecit. C. Periucunda mihi fuit hęc collatio.Quod

niſi

niſi labor memoria, in parallelis Plutarchi, & neſcio quo loco apud Fabium vel eadem, vel horum ſimilia diu eſt cùm legi, quæ tu compendio quodam retuliſti,&ex vtriuſque ſententiis vnum quoddam paruumq́; corpus effeciſti. G. Num aut acutiores,aut doctiores ſumus duobus illis,vt aut videre nos, quod ipſi non viderint, aut intelligere, quod ipſi non intellexerint putare debeamus? C. μὴ γένοιτο. G. Cur itaque illorum iudicio verbíſque non vtamur, præſertim cùm nos per eos profeciſſe haud negemus? C. Si quis in eodem Cicerone ſimul omnia eluxiſſe aſſereret, quæ in cęteris ſeorſim emicuerunt,fortaſſe nihil erraret: id quod antè dixi. G. Nihil prorſus.Eſt in eo Lyſiæ ſubtilitas,acumen Hyperidis,Æſchinis ſonus, lenitas Lælij, grauitas Africani. C. Quid Periclis habet? G. Hunc à cœleſti quadam eloquentiâ Olympium cognominatum aiunt; quem Ariſtophanes fulgurare, tonare, permiſcere Græciam dixit:in eiuſdem labris Suadam ſeſsitaſſe, illumq́; ſic auditores permulcere ſolitum, vt aculeum in ipſorum animis relinqueret, ſcripſit Eupolis Comicus.Hęc omnia iure de Cicerone affirmaueris. C. Audio etiam T. Liuium illuſtre teſtimonium ei dediſſe. G. Fragmentum quoddam Liuianum ex amiſsis libris ad noſtram ætatem permanſit. Illic narrans caput eius præciſum, atque in roſtris inter duas manus poſitum,addit: Vbi ille conſul, vbi ſæpe cōſularis,vbi eo ipſo anno aduerſus Antonium quanta nulla vnquam vox humana, cum admiratione eloquētię auditus fuerat.Quoties ei acclamatum eſt à populo Quiritium: Benè, rectè

M.Tulli, præclarè, non potuit melius? Simul atque pro Sex. Roſcio dixit, quæ oratio publica prima fuit, quam iuuenis habuit, annum ingreſſus ſextum & viceſimum, adeò ſuſpici eius eloquentia cœpta eſt, vt iam tum nulla maior cauſſa non digna eius patrocinio videretur. Pericles quia Anaxagoram phyſicum audierat, ideo ab ipſo Tullio in percellendis animis tantum valuiſſe exiſtimatur. Cur ergo ipſemet, qui ad Diodotum, Philonem, Antiochum, Poſidonium, viros doctiſsimos, clariſsimóſque philoſophos audiendos ſeſe applicauerat, non fuerit parem in dicendo facultatem conſecutus? *Duo ſunt*, ait in Orat. *quæ bene tractata ab oratore, admirabilem eloquentiam faciunt, quorum alterum eſt quod Græci ἠθικὸν vocant, ad naturas, ad mores, & ad omnem vitæ conſuetudinem accommodatum: alterum quod παθητικὸν nominant, quo perturbantur animi, & concitantur.* In ſuperiore illo quantum præſtiterit, qui nondum cognouit, exordia orationum eius percurrat, quibus nihil iucundius, moderatius, mitius, ad ſuauiter mouendum aptius: nihilominùs in mediis quoque orationibus mirabiliter ſæpe audientium mentes ſibi conciliat, & ad ſe amandum allectat. In poſteriore, quod totum eſt incitatum, & torrentis inſtar, rapidiſsimè fertur, nec illum quiſquam vnquam ſuperauit, nec par ei vnquam fuit. Cùm Verrem propter vexatam & expilatam Siciliam accuſaret, non auſus eſt reſpondere Hortenſius patronus diſertiſsimus, cuique ſummam copiam, facultatemque dicendi natura tribuerat. Ab eodem

in

in ſenatu homo audaciſsimus Catilina accuſatus obmutuit. In priuata cauſſa, quam pro Ticinia dixit, cùm cœpiſſet Curio pater reſpondere, ſubitò aſſedit, ac repentè totam cauſſam oblitus, veneficiis Ticiniæ ſibi memoriam ereptam vociferatus eſt. Quod ad miſerationem attinet, qui affectus ad victoriam, atque ad iudicem planè expugnandum ac ſubuertendum valet inprimis, in eo commouendo omnibus antecelluit: quamobrem cùm plures eandem cauſſam agerent, perorationẽ ipſi ſemper relinquebant. C. Legi illam pro Quintio, & illam pro Milone; vix lacrymas cohibui. Autumo tum in affectibus grauioribus, tùm in miſeratione concitanda multùm profeciſſe ex Euripide, cuius ſingulos verſus ſingula teſtimonia putat. G. Non in hoc tantùm affectu concitando, in quo tragicus ille facilè pręcipuus eſt, verùm etiam in tota ratione oratoria: quandoquidem eruditus & ingenioſus magiſter eloquentiæ Fabius eundem in dicendo & reſpondendo cuilibet eorum, qui fuerunt in foro diſerti, comparandum pronuntiat. C. Memini item cuiuſdam loci, vbi de ſemetipſo his verbis prædicat: Qua nos (miſeratione videlicet) ita dolenter vti ſolemus, vt puerum infantem in manibus perorantes tenuerimus; vt alia in cauſſa, excitato reo nobili, ſublato etiam filio paruo, plangore & lamentatione compleremus forum. G. Officium boni oratoris eſt docere, delectare, & permouere: quò tria genera dicendi pertinent; ſubtile ad docendum, temperatum ad delectandum, graue ad impellendum. Si quis in vno horum excelluerit, in

magnis; ſi in omnibus, in maximis oratoribus numerari poterit, & potuit ſemper. Vt de Græcis taceam, quis ex Latinis præter vnum Ciceronem nominari poteſt, in quo iſta perfectio fuerit? Hoc nemo in paruis ſubtilior, in modicis temperatior, in magnis grauior: non alius iudicem acutiùs docuit, delectauit iucundiùs, incitauit ardentiùs. C. Arbitror præter alias laudes orationum eius innumeras ne hanc quidem deeſſe, locos, inquam, Philoſophicos. G. Et hos quidem grauiſsimè ornatiſsiméque tractatos, quod ipſe in 1. de natura Deorum teſtatur, vbi eas philoſophorum ſententiis refertas affirmat. Quàm porrò elegāter, quàm venuſtè, quàm veluti ad perpendiculum orationem conſtruit? quàm ſtudioſus & obſeruans eſt numerorum? vt quod Antonius in ſecundo de Oratore, cùm eloquentiam laudaret, inter cætera dixit, hoc potiſsimùm de Tulliana oratione dictum accipi poſſe videatur. Quis enim cantus, inquit, moderatę orationis pronunciatione dulcior inueniri poteſt? quod carmen artificioſa verborum concluſione aptius? Addam quæ ſequuntur, nihilominùs in Ciceronē, ſi in alium quempiam, conuenientiſsima: Quid autem ſubtilius, quàm acutæ crebræque ſententiæ? quid admirabilius, quàm res ſplendore illuſtratæ verborum? quid pleniùs, quàm omni rerum genere cumulata oratio? Quæ ſchemata ſententiarum? quę figuræ verborum? quæ ſuauitas, quę vehementia? Hac arma de ſceleratiſsimorum manibus excuſſa perſæpe ceciderunt: hęc Catilinam peſtem patrię molientem oppreſsit; hæc Vatinium & Piſonem ſempiternis

ternis maculis inuſtos, & ad omnem poſteritatis memoriam ignominia notatos reliquit: hæc P. Clodium amentia, & furore exultantem domuit, & Antonij crudeliſsimis conſiliis incitatos impetus retardauit: hæc populum Romanum victorem gentium non ſemel vicit. Neq; potuiſſet illa lux orbis terrarum Roma extingui, illud pulcherrimum, & poſt homines natos ampliſsimum imperium funditus deleri, niſi priùs illud diuinum os Tullij conticuiſſet, caputq; à ceruicibus auulſum fuiſſet, per quod tot ciuium capita ſeruata erant. Quid de copia memorem? quæ cùm in toto Cicerone, tùm in orationibus eſt admirabilis. Quanta varietas? quis Oceanus? quàm diſsimiliter omnia ſimilia? & rurſum quàm ſimiliter omnia diſsimilia? Reliqui ſcriptores quantumuis copioſi, cum hoc vno, ſi comparentur; verborum inopes exiſtimari profectò poſsint: non fontes, non riuos, ſed flumina fundit, & flumina aurea. Vt abſoluam: ſi quis ex me quærat, quæ ſit optima Ciceronis oratio, reſpondebo quod ipſe de Demoſthenis; quæ longìſsima. C. Ego idem reſpondero, quamuis, vt tu, in Cicerone nondum habitauerim, ſæpius tamen ad eum diuerti, & hoſpitio acceptus ſum perhumaniter, dimiſſusq; peramanter. G. Poſthac igitur me duce tabernaculum tibi in eo colloces. C. Faciam quæ ſuades, & faciam quamprimùm, niſi meis conſiliis mors importuna intercurrerit. Vnum nomen reſtat, hoc etiam rogo vt diſſoluas, deq; libris Philoſophicis aliquid in medium afferas, G. Reſpondebo.

ANNOTATIONES.

QVOT SVNT, QVOT FVERVNT) *Epigramma Catulli in Ciceronem, neſcio ob quod beneficium, quod videtur ab eo accepiſſe, agit enim gratias; hoc eſt:*

Diſertiſsime Romuli nepotum,
Quot ſunt, quotq́; fuêre Marce Tulli,
Quotq́; poſt aliis erunt in annis?
Gratias tibi maximas Catullus
Agit peſsimus omnium poëta.
Tanto peſſimus omnium poëta,
Quanto tu optimus omnium patronus.

Vtitur autem idem poëta ſæpius iſto amplificandi modo, iiſdem verbis, aut pæne iiſdem. Cic. *etiam* Orat. *poſt reditum ad Quirit.* Cn. Pompeius *vir omnium qui ſunt, fuerunt, erunt virtute, ſapientia, & gloria princeps.* Et *epiſt.21.lib.11.* Dij *iſti Segulio malefaciant, homini nequiſsimo omnium, qui ſunt, qui fuerũt, qui futuri ſunt.* Plaut. Perſa. *Qui ſunt, qui fuerunt, quíque futuri ſunt poſthac, ego ſolus omnibus antideo facilè, miſerrimus hominum vt viuam.* CAPVT EIVS PRÆCISVM) *Quanta conſtantia mortẽ exceperit Tullius, in illo fragmento Liuij, cuius ſuprà facta eſt mentio luculentiſsimè exponitur. Nimirum viuere diutius potuiſſet, ſi patriam tantoperè non dilexiſſet. Nunc illi mors non ignominiæ, ſed honori ſempiterno eſt.* Occurrit *illud ex* Arnobij *lib.1. Nemo vnquam innocens malè interemptus infamis eſt: nec turpitudinis alicuius commaculatus nota, qui non ſuo merito pœnas graues, ſed cruciatoris perpeti-*

petitur ſæuitatem. Caput abſciſſum Antonius ad ſe afferri, & in menſa apponi iußit, tam diuq́ per diem aſpexit, donec animum expleuiſſet. Fuluia porro Antonij vxor, cùm caput illud in manus ſumpſiſſet, primò maledictis & diris execrationibus eſt proſecuta: deinde conſputans atq; in gremio reponens, toruißimeq́; inſpectans linguam eius extraxit, & in eam ſæpius aciculam infixit, vt ad crudelitatem nihil faceret reliquum. Suidas. Crinit. lib. 1. cap. 8. Xiphilin. in Auguſt. Eandem immanitatem in caput D. Ioannis Baptiſtæ adultera mulier Herodias exercuit. Teſtis Hieronymus, apud quem ita eſt in apologia aduerſus Rufinū. Ne magnoperè glorieris, ſi feceris quòd faciunt ſcorpiones atq; cantharides fecerint. Hæc & Fuluia in Ciceronem, & Herodias in Ioannem: quia veritatem non poterant audire, linguā veriloquam diſcriminali acu confoderunt. Cædem Tullianam multi luculentis verſibus deplorauerunt. E quibus carmen ſuum quidem ἐνεργετικῶς hoc diſticho concluſit:

Vulnere nempe vno Ciceronem conficis, at te
Tullius æternis vulneribus lacerat.

Vide append. Virgilianam. SVBLATO ETIAM FILIO PARVO) Suos paruos liberos Græci in iudicium adducebant ſecum, miſericordiæ commouēdæ cauſſa. Fuit & Romanis hic mos, vt intelligitur cùm ex hoc loco, tum ex illo in Bruto de Galba. Cum ſuos pueros, tum C. Galli etiam filium flens commendabat: cuius orbitas & fletus mirè miſerabilis fuit, propter recentem

memoriam clariſſimi patris: iſq; ſe tum eripuit flamma, propter pueros miſericordia populi commota. Forſitan et Hebræi idem ſolebant. Suſanna quidem venit cum parentibus, & filiis, & vniuerſis cognatis ſuis, Daniel. 13. QVÆ LONGISSIMA) *Ita ſentit de epiſt. Attici. Tullius. Nam lib. 6. ad eundem epiſt. 11. Quod vereris, ne ἀδόλεσχος: mihi tu? quis minus? cui vt Ariſtophani, Archilochi iambus, ſic epiſtola longiſſima quæq; optima videtur.* RESPONDEBO) *Vt appellari dicitur debitor à creditore, cùm flagitatur vt ſoluat, ita cùm ſoluit aut ſoluere ſe dicit, reſpondere dicitur. Obſeruauit Manut. Cic. ad Att. lib. 16. Fit ſæpe, vt ij, qui debent, non reſpondeant ad tempus.*

PROGYMNASMA NONAGESIMVMSECVNDVM.

Philoſophica M. Tullij.

IIDEM.

GLAPHYRVS. Teſtatus eſt ipſe in 1. Tuſcul. hanc ſe perfectam philoſophiam ſemper iudicaſſe, quæ de maximis quæſtionibus copioſè poſſet ornateq; dicere: & in 1. de Off. ait; Quis eſt enim qui nullis officij præceptis tradendis philoſophum ſe audeat dicere? Neutra laus in eius libris deſideratur. Nam cùm ad variorum philoſophorum decreta, ad locos tenebricoſos

lubricoſos atq; difficiles, ad res abſtruſas & magnas explicandas lucem orationis, & diſſerendi elegãtiam ſibi adhibendam putauerit, tùm præceptor morum atq; virtutis tantus eſt, quantus poteſt aut Seneca, aut Plutarchus, aut Ariſtoteles, aut Plato iudicari. C. Cur orator ipſe de philoſophia ſcribere voluit? Cur non, quod Ariſtoxeno Muſico præcepit, cùm in enumerandis de natura animi philoſophorum ſententiis eius harmoniam reprehendit; ipſemet fecit? Hæc philoſophis, inquit, relinquat: canere ipſe doceat. Bene enim illo Grę-corum prouerbio præcipitur: Quam quiſq; norit artem, in ea ſe exerceat. G. Voluit ſuis ciuibus hac quoq; in parte prodeſſe, eoſq; beneficio nouo cumulare: quoniam turpe ducebat gentem illam, quæ per totum orbem victricia arma circumtuliſſet, populum, inquam, latè regem, vitam ac mores ſuos ſine Græcis magiſtris excolere, ac regere non poſſe, & ſeruire quodammodo illis, quibus iura legeſq; daret. Philoſophia, inquit, iacuit, vſq; ad hanc ætatem, nec vllum habuit lumen literarum Latinarum, quæ illuſtranda & excitãda nobis eſt, vt ſi occupati profuimus aliquid ciuibus noſtris, proſimus etiã, ſi poſſumus, otioſi. C. Stoicam philoſophiam non parum videtur admiratus, propter grauitatem ac ſeueritatem doctrinæ fortaſsis. Principio quidem Off. ſe ex illorũ fontibus haurire ſolitum ipſemet confirmat, verbiſque eam quàm honorificentiſsimis paſsim proſequitur. G. Prorſus, vt dicis. Delectatus eſt tamen ſingulariter ratione ſcribendi Platonica, dialogo videlicet, & eius philoſophi placita quammaxi-

mè

mè complexus eſt,quem Deum ſuum alicubi vocauit. C. Recordor illa: Quem ego auctorem vehementer ſequor: Errare mehercule malo cum Platone,quàm cum ceteris vera ſentire. Vt rationem nullam afferret (vide quid homini tribuam) ipſa auctoritate me frangeret. Quem tu admiraris,quem omnibus anteponis, quem maximè diligis: diuinus ille vir,quem quadam admiratione commotus, ſæpius fortaſſe laudo, quàm neceſſe eſt. Et locis aliis præterea ſexcentis. G. Quin ſi vera fateri volumus, eius ſcripta totam fermè & veterum Academicorum, & nouorum, & Peripateticorum,& Stoicorum,& Epicureorum aliorumq́; ſententiam continent. C. A quibus magiſtris hæc didicit? G. A Diodoto, & Poſidonio Stoicam,à Phædro,& Zenone Epicuream, à Philone,& Antiocho Academicam, à Cratippo, Staſea,& Piſone Peripateticã. Omnes pænè qui tum erant in philoſophia clari ac nobiles,audiuit: philoſophorum libros innumerabiles legit, ex iiſq́; multa Latinis vocibus,liberè tamen, & ſuo more expreſsit. C. De Deo quid ſenſit? G. Tot locis tã piè de Deo,tamq́; ſacris Chriſtianorum conſentanea locutus eſt, vt admirabile videatur tam liquidas eum tantæ maieſtatis, ab humanis ſenſibus remotiſsimæ intelligentias habuiſſe. Eum vnum huius mundi effectorem ſtatuit,mentem ſolutam, & ab omni concretione mortali ſegregatam, omnia ſentientem & mouentem, in omnes beneficum & liberalem, omnibus animantibus commoda quibus vtuntur, lucem qua fruuntur, ſpiritum quem ducunt dantem,atque impertientem,

tem, bonis præmia perſoluentem, improbos pœnis afficientem ſempiternis. Dici nō poteſt, quanta in libris iſtis veterum ac recentium hiſtoriarum cognitio, quanta optimorum exemplorum copia, quàm denique multa lectio, quàm ingens ſanctiſsimorum præceptorum multitudo. Quem iracundia obfirmatum Ciceronis oratio non flecteret? quem durum non leniret? quem adeò mœſtum nō conſolaretur? Libros de officiis Plinius non modò de manibus nunquam deponendos, ſed ediſcendos etiam cenſet. Alexander Seuerus Imp. eoſdem, & de Repub. libros præcipuè legebat, & ex iis tantum admirabatur Tullium, vt eius imaginem in larario, ſiue ſacello domeſtico cum præſtantiſsimorum virorum ſtatuis & imaginibus collocaret. De quibus libris, vt item de Tuſculanis, & de Finibus, veriſsimè quiſpiā Horatianas illas voces vſurpauerit:

Feruet auaritia, miſeroq́ue cupidine pectus?
Sunt verba & voces, quibus hunc lenire dolorem
Poßis, & magnam morbi deponere partem.
Laudis amore tumes? ſunt certa piacula quæ te
Ter purè lecto poterunt recreare libello.
Inuidus, iracundus, iners, vinoſus, amator;
Nemo adeò ferus eſt, vt non miteſcere poßit,
Si modò culturæ patientem commodet aurem.

Quotuſquiſque verſat hæc ſcripta, quin contrahi appetitus, & ſedari turbidas animi ſui commotiones, ſeque indies probiorem fieri experiatur? Queritur D. Auguſtinus, omnes mirari linguam Ciceronis, pectus non item. Se autem fatetur etiamnum

amnum Manichæum incidiſſe in eius Hortenſium, in quo ille laudauit & defendit philoſophiam, quam accusârat & vituperârat Hortenſius:hic planè affectum Auguſtini mutauit. *Et ad teipſum Domine,* inquit, *mutauit preces meas, & vota ac deſideria mea fecit alia. Viluit mihi repentè omnis vana ſpes; & immortalitatem ſapientiæ concupiſcebam æſtu cordis incredibili, & ſurgere iam cœperam vt ad te redirem. Non ad acuendam linguam referebam illum librum; neq; mihi locutionem, ſed quod loquebatur perſuaſerat.* C. At enim de natura, in qua euoluenda verſatur pars philoſophiæ altera, nihil ab ipſo habemus. G. Secus eſt ac dicis. Habemus multa paſsim, & totos libros de natura Deorum, quæ eſt res occulta admodum explicatuq; difficilis: Platonis item librum περὶ φύσεως latinè conuertit. Quòd ſi ipſi diutiùs per Antonij ſcelus, crudelitatemq; ętatem propagare licuiſſet, plura ſcripturus erat. Nec idcirco tamen exiſtimandum eſt, illum ea neſciuiſſe, quia non ſcripſit. Quid, quæſo, ſcriptum reliquit Socrates? hic tamen princeps philoſophorum, & parens philoſophiæ ab omnibus & dicitur & habetur. Quid alij complures? quorum tamen non eſt inauditum nomen inter philoſophos. C. Temperare mihi non poſſum quin exclamem: O ineptos, & ab omni iudicio derelictos mortales, ô bardos, qui nihil niſi verborum lenocinia, nihil niſi res leues merasq; nugas in Cicerone reperiri improbiſsimè mentiuntur. Inanis rerum eſt, qui Auguſtinum, (prô quale ingeniū?) humi repentem, & obſcœnas auidiſsimè conſectantem

ctantem voluptates, ad vitæ integritatem cœleſtemq́ſ ſapientiam excitare potuit? Soláne verba habet, quem Plinius lucem doctrinarum, Lactantius Firmianus modò perfectum & ſummũ philoſophum, modò Romanæ philoſophiæ principem appellat? G. Quidam doctus vir, cùm fuiſſet aliquando ſatis alienus à Cicerone, tandem ſenex in gratiam cum eo rediens, inter alia quæ glorioſè de eo ſcribit: Quid aliis accidat, inquit, neſcio; me legentem ſic afficere ſolet M. Tullius, præſertim vbi de bene viuendo diſſerit, vt non dubitem quin illud pectus, vnde iſta prodierunt, aliqua diuinitas occuparit. C. At illius pectus, vnde non pauca ad lacerandam fidem orthodoxam prodierunt, contemptio, & arrogantia occuparunt. G. Non poteſt ſeiungi à ſapientia eloquẽtia. Proinde ſi eloquentiſsimum fatemur Ciceronem, ſapientiſsimum quoq; ſtatuamus neceſſe eſt; ſin aliter ſapimus, nihil ſapimus, & elleboro indigemus. C. Nunquã ex vllius ſermone tantum percepi fructum, quãtum hodie ex tuo. Quaſi de cœlo iſthæc huius diſputationis occaſio decidit. Sũmo me gaudio delibutum reddidiſti.

ANNOTATIONES.

A DIODOTO) *De hoc ita in Lucullo. Diodoto quid faciam Stoico, quem à puero audiui? qui mecum viuit tot annos? qui habitat apud me? quem & admiror, & diligo?* VT EIVS IMAGINEM IN LARARIO) *Sic appellat Lampridius ſacrarium illud*

Imp.

Imp.domeſticum.Sed is cùm in interiore,ſeu maiore lavario etiam Chriſti Seruatoris noſtri ſtatuā inter principes diuos & animas ſanctiores haberet, & in eodem Apollonium Thianeum, Abrahamum, & Orpheum, in minore Achillem, aliosq́; duces clariſsimos, & cum Ciceronis ſimulachro etiam Virgilij. Crinitus lib. 10. cap. 5.
FERVET AVARITIA MISEROQVE) *Hunc locum Horatij confert cum verſibus Euripideis ex Hippolyto Muret. lib. 1. cap. 4.*

PROGYMNASMA NONAGESIMVMTERTIVM.

Tres linguæ principes.

AELIVS, MAXIMINVS.

ÆLIVS. Eheu. M. Qua gratia tu ſic ingemiſcis? Æ. Quòd miſero mihi vnum tantummodò eſt cor. M. Cachinno digna res. Eſne apud te? cuinam vel homini, vel mutæ animanti duo corda vnquam fuerunt? Æ. Nuper legi olim Calabro cuidam tria corda fuiſſe, nedum duo. M. Portentū narras. Æ. Immò veritatem profectò. M. Quis hic mortalis? Æ. Ennius, poëtarum Romanorum pater, qui primus amœno Detulit ex Helicone perenni fronde coronam. amicus ille P. Scipionis, qui primus Africani cognomentum obtinuit. M. Quomodo is tria corda geſsit? aut

quæ

quæ tandem ſunt iſta corda? aut quis hoc de ipſo miraculum vel memorauit, vel chartis illiuit aliquando? Æ. Ipſemet ita gloriatus perhibetur. M. Quare? Æ. Quod latinè, græcè, oſcè loqueretur: à mente enim (quam cor etiam nominitamus) omnis fingitur oratio. M. Papæ. Cedò quot corda habuiſſe rex ille credendus eſt, quem duabus & viginti linguis locutum accepimus? Æ. Totidem Maximine: cur dubitas? M. Fuit igitur quàm cordioſiſsimus, vt nullus alius: ſiquidem tot linguas tenere aut tenuiſſe puto neminem. Sed quid hoc, quod tu tria potius tibi optas, quàm aut decem, aut quindecim, aut viginti? Æ. Quia ſi hebraicè, græcè, & latinè doctus eſſem (quanquam haſce linguas deguſtaui ſingulas) non inuitus ignorarem reliquas, Germanicam, Italicam, Hiſpanicam, Gallicam, Anglicam, Boëmicam, Indicam, & quotquot tandem barbaræ numerantur. M. Quid? túne præter illas tres audebis omnes appellare barbaras? Æ. De Græcis exemplum capio, qui præter ſuam alias ad vnam omnes ita vocauerunt. M. Etiámne Romanam? Æ. Etiam. M. Facilè tibi iſtuc de aliquibus conceſſerim; nec recuſarim quin agreſtes, incultæ ac barbaræ nominentur: de Gallica, Hiſpanica, Italica vereor vt poſsim concedere; quæ diſcuntur, & in congreſsionibus ac deliberationibus exercentur ab honoratiſsimis nobiliſsimiſq; hominibus: confirmantq; illarum periti (in quo ipſis ego libens ſuffragor, pro mediocri cognitione mea) iis eas laudibus abundare, quæ quidem linguarum ſunt

propriæ. Æ. Haud poſſunt ſanè hæ tres cum illis tribus in contentionem venire. Primùm, non eſt iſtarum tam veneranda canities, tam longæua vetuſtas: exiſtere ſiquidem cœperunt annos abhinc mille centum quinquaginta, aut circiter, quibus nimirum temporibus Gothi, Vandali, Alani, Hunni, Gepidę, aliiq́ populi truces è Septentrione egreſsi, & in florentiſsimas, nobiliſsimasq́ terrarum prouincias Italiam, Hiſpaniam, Galliam infuſi, eas ab imperio Romano vi & armis diſtraxerunt. Quin ſi quis eas corruptam latinitatem, nec toto genere à Romana ſeiūctas ac differentes appellare voluerit, non errauerit. Nequibant enim illæ indolatæ linguæ, illa immanium belluarum ora diſtortiſsima ad voces tam compoſitas, ad ſonos tam ſuaues & rotundos ſeſe aptare: itaque omnia penè conciderunt, immutarunt, peruerterunt, fœdauerunt. M. De originis excellentia & antiquitate non eſt fas ipſis tollere ſupercilium, vt illis tuis; quarum cùm antiquiſsima ſit Hebræa, ſecundas tenet Græca, Latina tertias. Æ. Prorſus ita. Nam genus humanum mox vt eſt à Deo fabricatum, ſermonis facultatem habuit, & quidem non alîus quàm Hebræi. Ad hæc quà de ſcriptione, veterrima eſt eadem: ſiquidem Moyſes multis antè tempeſtatibus ſacram contexuit hiſtoriam, quàm Gręci obſidione cingere Troiam & oppugnare cœperunt; id quod regnante apud Iudæos Dauide contigiſſe chronographi obſeruarunt: poſt quod bellum annis C L X. floruit Homerus, fermè primus ſcriptorum

ptorum Græciæ. M. Hoc propter Heſiodum dicis, quem quidam antiquiorem faciunt. Æ. Non: propter Sibyllam & Orpheum inprimis dico, quos illo priores vixiſſe, & nonnulla literis mandaſſe indubitatum eſt. M. Varia ſunt, quæ de horum duorum ſæculis ſcribuntur. Æ. Et eiuſmodi, vt diſputationes tam curioſas legiſſe ſit tempus minimo cum fructu contriuiſſe. Haſce tres linguas in crucem actus Dei Filius Seruator noſter dedicauit: nempe vt ſanctiſsimus, ſapientiſsimus, potentiſsimus; Hebræam ſanctiſsimam, Græcam ſapientiſsimam, Romanam potentiſsimam. Quid enim Romanis potentius? an non illi rerum domini? quid Græcis ſapientius? an non illi & inuentores, & perfectores artium penè omnium? quid Hebræis ſanctius, Deóque ſub ſole iſto charius? Audi quid Eſaias dicat in perſona Dei: *Et tu Iſraël, ſerue meus, Iacob quem elegi, ſemen Abraham amici mei, in quo apprehendi te ab extremis terræ, & à longinquis eius vocaui te, & dixi tibi: Seruus meus es tu, elegi te, & non abieci te.* & quæ deinceps leguntur in eodẽ cap. 41. præclara ſanè. M. Iudicaui ſemper, & eruditis ita placuiſſe intelligo, titulum IESVS NAZARENVS, &c. nõ ſine myſterio tribus illis linguis cõſcriptum, & ſupra crucem poſitũ, atque hoc ipſum ad earundem decus pertinere: quemadmodũ & hoc pertinet, omnia illis tradita & explicata eſſe, quę cùm ad res ſacroſanctas, diuinas, cœleſtes, ad ſalutem animarũ noſtrarum ſempiternam, tùm ad res humanas, ad

ciuilia negotia, atque ad omnem denique ſcientiam ſpectant, eaſq; vagari quàm latiſsimè, & omnes fermè orbis angulos vltimóſque fines occupaſſe, cùm ceteræ ſuis ſeſe tantùm, iiſq; nō ita amplis regionibus contineant; aut ſi exierint, nō ſint æquè communes, neq; in ſcholis doceantur, neq; ad libros tam multos, vel potiùs innumerabiles conſcribendos adhibeantur. Æ. Huc accedit, quod gentes alioqui vehementer diſsidentes ac diſcrepantes inter ſe, harum beneficio coniunguntur & conſociantur, quæ hominem ingenuū præcipuè ornant & cohoneſtant.

ANNOTATIONES.

QVOD LATINE, GRÆCE, OSCE) *Gell. lib.17.cap.17.* DVABVS ET VIGINTI) *Mithridates Ponti atq; Bithiniæ Rex inclytus, qui à Cn. Pompeio bello ſuperatus eſt, duarum et viginti gentium, quas ſub ditione habuit linguas percalluit: earumq́; omnium gentium viris haud vnquam per interpretem locutus eſt: ſed vt quemq́; ab eo appellari vſus fuit, perinde lingua & oratione ipſius non minus ſcitè, quàm ſi gentilis eius eſſet, locutus eſt. Gell. ibidem.* QVAM COR ETIAM NOMINITAMVS) *Cor pro animo ſæpe dixerunt veteres; quod videlicet animi ſedem in corde quidam Philoſophi conſtituerent, aut animum cor eſſe docerent. Cicer. 1. Tuſcul. Aliis cor ipſum animus*

mus videtur: ex quo excordes, vecordes, concordesq́; dicuntur: & Naſica ille prudens bis conſul Corculum. Plaut. Moſtell.

Recordatus multum & diu cogitaui,
Argumentaq́; in pectus multa inſtitui
Ego, atq́; in meo corde (ſi eſt quod mihi cor)
Eam rem volutaui, & diu diſputaui.

Idem Milite. Cuiq́; ſapiat pectus, nam cor non poteſt, quod nulla habet. Quaſi mulieres omnes ſint excordes et amentes: nam de muliere ibi ſermo eſt. Cic. 2. de finib. Hoc eſt non modò cor non habere, ſed ne palatum quidem. Auſonius reprehendens Grammaticum quendam de barbariſmo:

Qui reminiſco putat ſe dicere poſſe latinè,
Hic vbi cō ſcriptum eſt, faceret cor, ſi cor haberet.

Lege etiam Gellium lib. 7. cap. 2. HEBRÆAM SANCTISS. GRÆCAM) Euangeliſta Ioannes titulum crucis ſcriptum tradidit hebraicè, græcè & latinè, qui ordo quomodo intelligendus, & latinam primo loco fuiſſe poſitam Cæſar Baronius, qui nuper Annales Eccleſiaſticos Romæ edidit pag. 90. & 176.

PROGYMNASMA NONAGESIMVMQVARTVM.

Hebræa lingua.

IIDEM.

ÆLIVS. Hebræam dici poteſt Deus ipſe inueniſſe per ſe, cùm reliquæ ab hominibus inuẽtæ & expolitæ ſint. Eadem ipſe cum genere noſtro, & nos cum illo, & angeli nobiſcum, & nos cum angelis ſæpenumero collocuti ſumus. Eadem vnigena Dei IESVS CHRISTVS, cùm in terris corpoream indutus naturam degeret, conciones habuit, & directum ad cœlos iter monſtrauit. De Plauto notum eſt illud Epij Stolonis, à Quintiliano repetitum; Muſas, ſi latinè loquantur, Plautino ſermone vſuras: quia nimirum verborum Latinorum auctor eſt elegantiſsimus, ſeu princeps in Latina eloquentia, vt Gellius cenſet. Nónne magis optabimus nos ea lingua vti poſſe, qua Deum eſſe vſum cognouimus? Singulæ item literæ admirandam multis in locis vim & energiam habent, reconditosq́ ſenſus & diuinos ſignificatus efficiunt. M. Frequens Iudæos colloquentes audiui: horrida omnino, ac difficilis pronuntiatu mihi præ ceteris viſa eſt hæc lingua. Æ. Non tamen horridior, neque aſperior quàm vel Turcica, vel Perſica, vel Æthiopica: quas nihilominùs percipi, & commodè pronũtiari à noſtrarum regionum hominibus, cùm in illis oris aliquandiu verſati fuerint, ne tu quidem neſcis. Nec ego ſatis diſpicio, quamobrem adeo inconcinna, & dura videri debeat oratio, quæ ſua ſponte, ſcriptore id non laborante, ad aptos numeros venit. M. Ad quos numeros? qs hoc affirmat? Æ. D. Hieronymus hebraicè doctiſsimus. Is Iſaiæ orationẽ phaleratam, & apud Prophetas creberrima carmina

mina hexametra, iambica, ſapphica reperiri; imò quoſdam penè totos verſibus confectos teſtatur. M. Teſtis omni exceptione maior Hieronymus. Æ. Eſt inſuper pudica admodum & verecunda hęc lingua, & ſine honeſtarum aurium offenſione plerumq; effert, quæ turpicula, parũq; caſta ſunt: quam illi laudem Gręca & Latina meritò inuiderint, in quibus ad res obſcœnas explicandas (in Græca præſertim) nimis copioſam vocabulorum ſyluã, & loquendi nimis multa genera inuenias.

ANNOTATIONES.

MVSAS PLAVTINO SERMONE) *Idem de Xenophonte lib. 10. cap. 1. Adde quod M. Tullius ne Thucydidem quidem aut Xenophontem vtiles oratori putat, quanquam illum bellicum canere, huius ore Muſas eſſe locutas exiſtimet. In eodem cap. longè admodum infra. Quid ego commemorem Xenophontis iucunditatem illam inaffectatam, ſed quam nulla poßit affectatio conſequi? vt ipſæ finxiſſe ſermonem Gratiæ videantur. Celebre eſt enim Cic. illud de Platone in orat. perf. Iouem, ſi, vt aiunt Philoſophi, græcè loqui velit, Platonis ſermone vſurum. Non potuit certè maior hiſce ſcriptoribus elegantiæ laus impertiri.*

PROGYMNASMA NONAGESIMVMQVINTVM.

Græca lingua.

IIDEM.

MAXIMINVS. Cum græca tamen neutram harum, nec vllam aliam arbitror copia & varietate poſſe comparari. Æ. Hoc veriſſimum; falſoq́ ac malignè Cicero, nimius nõnunquam ſuorum laudator, aliorum contemptor, exclamat: O verborum inops interdum Græcia, quibus te ſemper abundare putas. Etiam illud minus verè: Latinam eſſe locupletiorem quàm Græcam. Satis copioſè, & doctè iam illi reſponſum eſt à nonnullis, quorum libri in promptu ſunt. M. Túne Ciceroni, quem tantoperè ſuſpicis, quem vbicunq; potes dilaudare conſueuiſti, dicam impingis? Æ. Amicus Plato, ſed amicior veritas. M. Appoſitè. Æ. Ea inſuper ineſt in Græca verborum proprietas, vt cum rebus ipſis nata videantur; ea vis, vt ſub aſpectum quaſi rem ſubiiciant. M. Non poſſum hoc loco idem obiicere Græcis, quòd ſuprà Hebræis; eſſe aſperos in pronuntiando, & inſuaues: nam quantum ego Græca legi, omnia videntur æquabiliter, placidéque ac leniter decurrere, & mira cum iucunditate ad aures affluere, rectéque Horatium dixiſſe puto: Graiis ingeniũ, Graiis dedit ore rotundo Muſa loqui. Æ. Potuiſti & hoc animaduertere, eandem

eandem Latinæ linguæ matrem, & quandam velut procreatricem ac nutricem eſſe. Et quomodo Romana alias linguas ornat, illuſtrat ac perficit, ita viciſsim ipſa à Græca ornatur, illuſtratur atque perficitur: à qua ſi omnem ſapientiam, doctrinam, fructum ſeparemus, ac veluti detracta veſte nudam intueamur, eximia certè pulchritudo, & elegantia ipſius noſtros in ſe animos conuertet. Ceterùm cum illis literarum principibus, Homero, Platone, Ariſtotele, Demoſthene, Herodoto, Xenophonte, Iſocrate ſine interprete confabulari quanti eſt? Nam latinè quàm horridè, impurè, inquinatè ac ſordidè iidem & alij plerique loquantur, non te fugit. M. Minimè fugit; & ſoleo ſtomachari in tam illotos ac lutulentos interpretes, conditionemque ſapientiſsimorum doctiſsimorúmque hominum vehementer miſerari, qui cùm in ſua lingua fundant aurea orationis flumina, in noſtra balbutiunt, indiſertíque ſunt. Nec illud nobis nō moleſtiſsimum accidit, quòd vnius eiuſdemque ſcriptoris tantum non in ſingulos annos nouam conuerſionem accipimus: vt in tanta copia quem interpretem præ aliis eligas, explicare ſententiam non poſsis. Verùm quid tu illis reſponderes, qui hanc linguam minùs neceſſariam eſſe affirmare non erubeſcunt? quid etiam adoleſcentibus nonnullis, quibus laborioſa videtur atque difficilis? Æ. Sic occurrerem iſtis poſterioribus: Itáne verò? Sit difficilis, vt vultis: an vos tantùm facilibus ſtudebitis? Et quæ, obſecro, ſunt iſta tam facilia? quæ ars? quæ diſciplina? ſegnibus

& ignauis nihil non difficile, induſtriis atq; impigris nihil non facile futurum aſſeuero. τῆς ἐπιμελείας πάντα δοῦλα γίγνεται: Aſsidua vincit cuncta diligentia. M. Latina, inquient, multis partibus eſt facilior. Æ. Si hoc latinè indocti aſſertis, oratio veſtra nullam meretur fidem: ſi docti; quæro, num hoc anno Latinam didiceritis? M. Nequaquam, dicent, ſed à paruis in hunc vſq; diem Latinis dediti fuimus. Æ. Iam conſtrictos & impeditos teneo. Potéſtne, rogo vos, id facile nominari, quod annis 15. aut 20. quotidiano labore vix aliquatenus conſequare? quòd ſi vos ab incunabulis Græcam diſcere cœpiſſetis, affirmare non timeo, tam laborioſa Latina vobis nunc appareret, quàm Græca apparet. M. Dimittamus pueros cum querela ſua puerili: viros refuta, & eos quidem ſuo iudicio non indoctos. Æ. Vulpes cùm amiſiſſet caudam, nitebatur ceteris perſuadere, vt tanquam rem ſuperuacuam, & onus minimè neceſſarium eam reſecarent. Neſciunt iſti docti Græcas literas, proinde ſocios quærunt, ne ſoli ſine caudis, turpiterq; deformati, & ignorantes incedant. Vtilem & neceſſariam non eſſe fateor ad quæſtum, ad otium, ad voluptates, ad opes; ſed ad liberales artes percipiendas eius cognitionem requiri dico: idque in Theologia, Philoſophia, Mathematicis, Rhetoricis, Dialecticis, Medicina, Iuriſprudentia, Grammaticis poſſem quamuis copioſè oſtẽdere, ſi cum illis agerẽ coràm. Sed quòd omnes ad Latinam mittunt, & à Græca reuocant, quis hoc ferat? Quid tandem eſſe exiſtimant latinè

nè ſcire? num Calepinum euoluiſſe? num vocabularios aliquos memoria comprehendiſſe? num epiſtolarum phraſes, num copiæ & inopiæ certas formulas; & locutiones latinogermanicas didiciſſe? Illud eſt latinè noſſe: primùm optimum quemque ſcriptorem diurna & nocturna manu verſauiſſe, legendo contriuiſſe, penitus & in cute noſſe; omnem loquendi rationem à præſtantiſsimis latinitatis auctoribus vſurpatam, non ab epitomis & compendiis neſcio quibus traditam tenere; verborum, loquendíque generum fontes & origines cernere; purè, ornatè, politè ex multa exercitatione tùm loqui, tùm ſcribere: quæ quidem Græcis incognitis fieri nullo modo poſſunt. M. Mihi & antè perſuaſeram, & nunc etiam magis perſuaſi, delirare, qui huic linguæ obtrectant, eamq; vel vt difficilem, vel vt non adeo neceſſariam atq; vtilem calumniantur. Quapropter iſtis accuſatoribus ſalute dicta, de Latina commentemur.

ANNOTATIONES.

ET MIRA CVM IVCVNDITATE) *Tanto eſt ſermo græcus latino iucundior, vt noſtri poëtæ, quoties dulce carmen eſſe voluerunt, illorum id nominibus exornent. Quint. li. 12. cap. 10. Si ex inſtituto velim hanc linguam laudare, facilius mihi erit orationis principium quàm exitum inuenire: tanta ſuppeditat à me olim ex doctiſsimorum hominum ſcriptis collecta argumen-*

gumentorum vis. Sed hoc tempore ſatis eſſe duxi pauca de multis promere, & adoleſcentibus ac magiſtris plura requirendi dicendíque occaſionem dare, & quaſi quoddam calcar admouere ad hoc ipſum. Poteram & de aliis duabus diſſerere copioſius, ni melius fore iudicaſſem, non omnia ſimul & vno loco dicere.

PROGYMNASMA NONAGESIMVMSEXTVM.

Latina lingua.

IIDEM.

ÆLIVS. In huius laudatione caput eſt, quod vniuerſas propemodum linguarum omnium laudes in ſe cohibet. Dulcis eſt Gallica? dulcior Latina. Virilis eſt Hiſpanica? virilior Latina. Tenera quodammodò Italica? tenerior Latina. Grauiſsima putatur Germanica; numeroſa Hebræa? hæc quoque in Latina cumulatè reperiuntur. Et quia Græcæ partus ac filia eſt, quis negabit eam maternis dotatam laudibus? quis hæreditatem pulcherrimam atque ampliſsimam ipſi relictam ibit inficias? M. Pop. Rom. cæteras gentes non modò imperij magnitudine, verùm etiam linguę ſuę propagatione viciſſe certum eſt. Perſæ, Medi, Aſſyrij, Græci latè quidem ſuos

fines

ſines protulerunt,attamen cum imperio linguam proferre non potuerunt vt Romani,qui non corporis, ſed animi ſuauiſsimum quendam conditiſsimumq́ cibum cum innumerabilibus nationibus ſibi communem fecerunt. Æ. Hæc ad veram ſapientiam nos inſtituit, hac ſanctiſsimæ religionis myſteria cuſtodiuntur, hac per omnia templa Deo Opt.Max. & beatis cœlitibus diu noctúque ſacra carmina concinuntur: cúmque reliquæ duæ ſcholarum parietibus includantur, hæc etiam ad cœtus, conſultationes, conuiuia, familiaréſque congreſſus admittitur. Quò magis dignum eſt miſeratione, adeo ſuperiore ſæculo neglectã contemptamq́ iacuiſſe. Nemo fermè quid eſſet latinè loqui ſciebat; quilibet verborum mõſtra & prodigia inuehebat: quod ita fieri neceſſe erat, cùm bonos libros ne de nomine quidem quiſquam noſſet. M. O ſeclum inſipiens, & inficetum. Æ. Inſigne etiam vulnus Latinæ linguæ inflixit quorundam temeritas, qui tam multa ex ea in alias linguas conuerterunt, vt paucisſimi deinde ad eam diſcendam mentes appellere voluerint. Quare quod principiò in ſacris Bibliorum voluminibus euenit, vnde huius mali factum eſt initium, vt quiſque putaret ſe arcana illa capere, atque inde noua & horribilia opinionum inter ſe pugnantium commenta naſcerentur; hoc idem in diſciplinis literariis vſuueniet aliquando, cùm textor aliquis, aut lanius, cetarius Ariſtotelem & Platonem pro ſua inſcitia interpretabitur. M. In Ariſtotelem tamen, & Platonem

nem peccaretur tolerabiliùs. Æ. Sed abſurdè vtrobíque. Gratia verò habenda Victoriis, Manutiis, Sigoniis, Lambinis, Muretis, qui tanquam luciferi quidam noſtra memoria exorti, quantum in ipſis fuit, ſua luce barbariei caliginem ab oculis noſtris diſcuſſerunt, ſcribendíque perfectione ad antiquorum præſtantiam proximè acceſſerunt: quorum libri ab omnibus & Humanitatis, & Latinitatis ſtudioſis quàm accuratiſsimè legendi ſunt. M. Quà de me, Lydum prouocas in planiciem.

ANNOTATIONES.

Qvanti ſuam linguam fecerint Romani, multis indiciis poteſt cognoſci. Tiberium narrat Suetonius cap. 71. quanquam aliâs græco ſermone promptum & facilem, non vſquequáque vſum, abſtinuiſſéque maximè in ſenatu, adeo quidem, vt monopolium nominaturus veniam poſtularit, quod ſibi verbo peregrino vtendum eſſet. Et in quodam decreto Patrum cum ἔμβλημα *recitaretur, commutandam vocem cenſuit, & pro peregrina noſtratem requirendam, aut ſi non reperiretur, vel pluribus, & per ambitum verborum rem enuntiandam. Militem quoque græcè teſtimonium interrogatum, niſi latinè reſpondere vetuit. Eadem Xiphilinus in Tiberio. Vide quid idem Sueton. de Claudio memoret. cap. 16. & Cic. de Lucullo ad Attic. lib. 1. epiſt. 16. Valerius lib. 2. cap. 2. Magiſtratus verò priſci quantoperè*

topere ſuam populíque Romani maieſtatem retinentes ſe geſſerint, hinc cognoſci poteſt; quod inter cætera obtinendæ grauitatis indicia, illud quoque magna cum perſeuerantia cuſtodiebant, ne Græcis vnquam niſi latinè reſponſa darent. Et *quæ ſequuntur, nolo enim eſſe longior.* Plura *de maieſtate huius linguæ, Baronius Annal.* Eccleſiaſt. *pag.90. & 91.*

PROGYMNASMA
NONAGESIMVMSEPTIMVM.

Solutæ pedeſtriſq; ſcriptionis varietas.

CONSTANS, APOLLINARIS.

CONSTANS. Dies non ita multi effluxerunt, cùm te in quodam conuentu literato mira, nec pauca ſanè de exercitatione iactantem, eiúſque laudes plena manu in aſtra tollentem lætus ac lubens audiui; quorum ſumma quædam eſt hæc: Ab ea naturæ vitia emendari, longéque plus diligentia, aſsiduitate, labore, conſuetudine cùm mediocri ingenio, quàm ſine his etiam cum ſummo effici: corrumpi enim ingeniorum bonitatem ignauia atque ſocordia; & cùm negligens etiam facilia non conſequatur, ſtudioſo

ſtudioſo ac diligenti nihil eſſe difficile. Adduce-bas quoque Periandri verbum, ἡ μελέτη πάντα δύναται, quo ſignificatur, nihil eſſe tam arduum, laborioſum atque magnum, quod cura, induſtria, contentione, ſedulitate non ſuperetur. Hac Ariſtotelem tantum philoſophum, Ciceronem & Demoſthenem tantos oratores, Archimedem & Euclidem tantos mâthematicos, Virgilium & Horatium tantos poëtas, Apellem & Parrhaſium tantos pictores, Phidiam & Polycletum tam excellentes ſtatuarios euaſiſſe. Commendabas autem nobis ſcriptionis vſum & exercitationem præſertim, quandoquidem hoc ſæculo, & iſtis hominibus, neque in ſcholis aliud maius quæritur, neque extra ſcholam maiori gloriæ ducitur, quàm Latina lingua. Hanc nos puram, elegantem, própriam & copioſam aſſecuturos, ſi quamplurimum ſcribere in animum induceremus: ſtylum enim optimum eſſe, & præſtantiſsimum huius rei effectorem atque magiſtrum. Et cùm Cicero ipſe, fons latinitatis vberrimus, vnúsq; omnium poſt hominum memoriam diſertiſsimus & eloquentiſsimus, libro 9. ad Pætum ſcribens de ſe dicat; Ipſa illa, ſi qua fuit in me facultas orationis, niſi me ad hâs exercitationes retuliſſem, exaruiſſet: quid de nobis miſeris cogitandum eſt, aiebas, qui tantos orationis theſauros etiam creberrimis exercitationibus vix aliqua ex parte corrademus? Ego tum illa diſputatione tua ita animatus diſceſsi, vt ſtatuerem, ſimul ac in te rurſus incidiſſem, quærere, quænam quaſi genera putares

putares eſſe ſcriptionis, non ſolutæ tantùm, verùmetiam ligatæ, in quibus nos adoleſcentiores verſaremur, qui in vtraque orationis facultate præſtare cuperemus. Itaque te valde pro amicitia noſtra rogo, vti me tanquam diſcipulum inſtituas, quæque ſcribenda ſint, monere ne detrectes. A. Quid tibi, quæſo, opera mea in iſtoc negotio opus eſt? lege Aphthonium, lege alios recentiores, qui iſtud argumentum doctè integríſque voluminibus perſecuti ſunt. C. Tua volo, tuis ero contentus: ne fuge tantillum laborem cauſſa mea. A. Haud expeditum eſt ex tempore ſatisfacere votis tuis: ſed quoniam finem orandi vrgendiq; non videris eſſe facturus, exponam tibi quæ requiris vel ex tempore, & breuiter. C. Nullum eſt periculum, ne quid tibi excidat, quod mihi non proſit audiuiſſe. A. Principiò id do conſilium, vt ſcriptites epiſtolas, frequenter quidem ex præceptis, quæ à Rocho Peruſino accuratiſsimè traduntur, aliquando tamen liberas omnino, nullis quaſi vinculis præceptionum alligatas. Nec mihi non placent, qui ſine argumento ſcribunt, & hanc ſolam habent epiſtolæ ſententiam; non habeo quod ſcribam: quales ad ſe mitti epiſtolas ab Attico etiam M. Tullius voluit, & eſt hoc genus inter doctos frequentatum. Solent præterea magiſtri diligentes argumentum, ſiue rem totam epiſtolæ cuiuſpiam docti viri ſumere, Corradi, verbi gratia, Sadoleti, Manutij, Longolij, eamq; dictare diſcipulis: poſtea illorum epiſtolas cum his conferentes docent eos quid agere, & quonam

modo ſcribere debuiſſent, vt eſſent viris illis non diſsimiles; laudant ſi quid bene, ſi alicubi perſimiles, ſi opera & labore haud parci fuerunt. C. Iucunda exercitationis ratio. Eſt enim ſuaue per ſe epiſtolas facere, quamuis eas nuſquam ſis miſſurus: & poſterior modus Præceptorem in argumentis inueniendis non mediocriter adiuuat. Dic iam de alio genere. A. Ex Æſopo, aut ex poëtis lepidam fabellam depromas licet, eamqúe nunc breuiſsimè ac ſimpliciſsimè, nunc copiosè, cum auctoris commendatione, cum affabulatione, cum interpoſitis aliorũ nominibus & colloquiis tracta. Item narratiunculas è theatro vitæ humanæ, è Valerio Maximo, & exemplorum libris nouas, antiquas, veras, commentitias (nihil enim intereſt) nonnunquam petes, quas ſimiliter aut paucis verbis, ſinéque ornamentis, aut pluribus & ornatioribus, affectibus quoque admiſtis expones. C. Quàm vellem hic mihi tuum exemplum proponeres aliquod: adoleſcentes enim milites cùm ducum & imperatorum ſuorum ſtrenuè facta coràm intuentur, longè perfectiùs bellicam artem, quàm ſolis præceptis audiendis diſcunt. Sed video id fieri iam minimè poſſe. A. Cùm poterit, & in hoc, & in aliis quæ recenſebo, aut conſcribam ipſe exempla tibi, aut conſcripta iam pridem oſtendam. C. Docebis me igitur quæ ipſe experiundo cognouiſti; non vt quidam, qui cæcis volunt præire, cùm ipſi propemodum talpæ ſint. A. Exercitationem amaui & complexus ſum à puſillo puero, cui maximè debeo ſi quid ſum.

Non

Non paruam inſuper copiam ad ſcribẽdum ſuppeditabunt apophthegmata, quæ vbi breuiter comprehenſa fuerint, argumentis excogitatis aut confirmari, aut refutari, aut laudari, aut vituperari poterunt. Commendentur item aut reprehendantur auctores eorundem, ſimilia & diſſimilia adducantur, quibus illa magis illuſtrentur. Idem ſtatuendum de prouerbiis & ſententiis, ſiue ſacris, ſiue profanis, quæ etiam παραφραστικῶς dilatabuntur, & tanquam communes loci tractabuntur. C. Tam multi extant ſententiarum libelli in vtroq; genere, auctorum, inquam, ſacrorum, non ſacrorum, poëtarum quoque, vt ſi quando eſt animus aliquem eorum legere, neſciam quem præ aliis legam. A. Vtilem præſtitit ſtudioſis operam Andreas Eborenſis Luſitanus: hunc eme. Præterea Stobæum, ſententias Ciceronis, gemmas Platonis, flores poëtarum tibi commendo: nec ſperno quæ ſeorſim ex Seneca Neronis magiſtro, & Plutarcho collectæ ſunt. C. Meminero horum. A. Non ad ſtylum modò exercendum, verùm etiam ad inuentionẽ iudiciúmque, ad decori quoq; diſcendam rationem (quod tamen eſt iudicij) proderit dialogos breues & varios conficere, materia ſæpe ex quauis occaſione ſumpta, nec non ex poëtis, hiſtoricis, oratoribus, quos vel legimus ipſi, vel explicari audimus. In hac ipſa exercitatione non modica ineſt delectatio, quam tùm rerum, tùm perſonarum viciſſitudo conciliat. C. Modò ne iubeas me dialecticum, & rhetoricum in iis artificium obſeruare, ac

neſcio quæ alia, quę nuper ex commentario quodam in dialogis obſeruanda eſſe cognoui. A. Ille commentarius de dialogis maioribus, grauioribus, & grandioribus loquitur, quos componere debent, qui ad magiſtrum itare, manumq́; ferulæ ſubiicere iam deſierunt. C. Amabo, quid ſentis de conuerſionibus? eſtné vtendum ea exercitatione adoleſcentibus? A. Non aliter, quàm vt ſolent in ſcholis, cùm Præceptor argumentum vel à ſe conſcriptũ, vel ex aliquo Latino Germanicum factum diſcipulis conuertendum proponit. Verùm in emendatione accuratum eſſe conueniet, vt linguæ vtriuſque idiotiſmi, elegantiæq́; oſtendantur, & moneantur pueri, quid ſequi, quid vitare, quid meliùs facere debuerint. Qui robuſtiores ſunt in literis, interdum ad conuerſionem aliquot paginarum aggrediantur. laudat hoc genus Cic. 1. de Orat. & habet cùm magnas, tùm non paucas vtilitates. Addam hoc appendicis loco. Componenda exempla illuſtrium figurarum, vt diſtributionis, ſubiectionis, frequentationis, ſimilitudinum, comparationũ. Aliquid breuiter laudandum, aut reprehendendum, eadem ſententia variatis verbis ac figuris efferenda ſæpius, eadem græcè ac latinè, metro & ſoluta oratione variãda. Nunc de ligata diſſeram, ſi attendas. C. Attendo.

ANNOTATIONES.

SOLVTÆ PEDESTRISQVE) *Tribus potiſſimum modis appellatur oratorum oratio. Soluta,*

non

non quod pedibus & numeris careat, ſed quod iis tam aſtricta non ſit, vt carmen. Proſa, ſeu prorſa, quaſi profuſa. Pedeſtris, græcè πεζὸς λόγος, quod quaſi pedibus incedat, cùm carmen quodammodo equo ferri videatur. Itaque Horat. hiſtorias ſoluta oratione compoſitas pedeſtres vocauit Ode 12. lib. 2. POST HOMINVM MEMORIAM) *Sic ſæpe Cicero. Nec rarò, poſt homines natos, quæ formulæ ad amplificandum valent. Demoſthenes de ementita legat. dixit:* ἀφ᾽ οὗ γεγόνασιν ἄνθρωποι, *ex quo homines eſſe cœperunt. Lege Victor. cap. 12. lib. 17. Quod quidam ſic loquuntur, ab orbe, à mundo condito, non eſt vituperandum. Pro illis autem, noſtro tempore, patrum noſtrorum tempore, melius dicemus, noſtra, patrum, maiorum memoria. Quod Cæſar habet lib. 3. de bell. Galli. Nec adhuc hominum memoria repertus eſt, &c. videtur id velle, quod Germani,* bey Manns gedencken.

PROGYMNASMA NONAGESIMVMOCTAVVM.

Poëticæ ſcriptionis varietas.

IIDEM.

APOLLINARIS. Rem quampiam eodem genere carminis bis, ter, quater, diuerſis nimirum verbis locutionibusq; & figuris

explicabis. Cernis in appendice Virgiliana tam iucunda mirabilíque varietate, & tot modis auroram, quatuor anni tempora, amnem glacie concretum, & alia expreſſa elegiacis, vt nihil ſuprà poſsit eſſe. Quid ſi etiam eandem materiam tribus, quatuor carminum formis mandes, vt hexametro, elegiaco, iambico? Virgil. in 8. Æneid. Ouid. 9. Metamorph. Auſonius, labores Herculis hexametro complexi ſunt: Ouidius rurſum in epiſtola Deianiræ elegiaco, Seneca in Hercule furente iambicis eos incluſit. C. Contuli aliquando iſtos diuerſorum poëtarum verſiculos, & poëticæ orationis diuitias ſum contemplatus. Occurrit tum illud de Archia poëta, quem defendit Cicero. Fertur is cum Roſcio principe ætatis ſuæ hiſtrionum certare ſolitus, vtrum ille eandem rem ſæpiùs variato geſtu exprimeret, an hic mutatis verbis per carmen efferret. A. Magna eloquentiæ, & incredibilis fœcunditas, oratoribúſque cum poëtis communis eſt. C. Quæ adhuc exercitationum metricarum genera laudas? A. Hoc: ſolutam orationem, ſiue dictum elegans & graue, ſiue hiſtoriam, ſiue fabulam ad carmen redigere, poëticáque libertate vti, & flores, fucos, vbertatem quandam verborum atque rerum adhibere. C. Arbitror contrà etiam fieri poſſe, vt ſoluatur carmen, fiátque libera pedibus oratio. A. Poteſt maximè. Deinde vnum genus carminis apud auctorem aliquem inuentum, nos mutatis numeris in aliud transferemus, hexametrum in elegiacum, & hoc in phaleucium,

& iſtud in ſapphicum: ne ignoremus tamen, vniuſcuiuſque generis ſuam ac propriam ideam eſſe. Curabimus præterea, vt nobis verſus alieni proponantur, aut ipſimet eos deligemus, quibuſcum noſtra Muſa decertet, vt ſuprà in epiſtolis faciendum dicebamus. C. Vellem hac tempeſtate in ſcholis vigerent certamina poëtica, vt adoleſcentes ſe mutuò nō tantùm numero verſuum (nam id parui duco, breui tempore ſexcentos verſus euomere; & tamen id in vſu eſt. penè ſolum) ſed acumine, lepore, elegantia, artificio ſuperare contenderent. A. Ego & iſtuc, & alia complura optauerim: ſed pergam vlteriùs. Centonum & parodiarum ſcriptio inprimis iucunda & frugifera eſt, nóſque apiculas imitari cogit, quæ ex diuerſis floſculis ſuccum ad mel gignendum colligunt. Quomodo centones & parodiæ fiant, cum multis exemplis quidam Gallus docuit. C. Noui librum, & legi. A. Satis erit nos ſeptem aut octo communiora carminum genera vſurpare, & in illis excellere: illa alia non æquè vulgata, nimium otioſis & oſtentatoribus relinquantur. C. Quanquam mirificè capior poëtis & legendis & audiendis, cupióque ardentiſsimè capiti meo quoque ex Helicone coronam petere, tamen nunquam cogitationem ſuſcepi, quo pacto centum genera verſuum poſſem condere, aut verſibus etiam extemporaneis loqui, quod quidam ſe poſſe gloriati ſunt, & quidem de rebus philoſophicis, theologicis, mathematicis, idq; quocunq; tandem genere quis poſtulauiſſet. Res inaudita.

Quàm rotundos & venuſtos putabimus illos verſus eſſe potuiſſe? Nec idem lyricus, elegiacus, comicus, heroicus vnà ſimul eſſe deſidero: ſat erit, ſi fecero non malos heroicos, ad quod genus me natura blandiſsimè inuitat. A. Optimum eſt naturam ſequi in hoc ſtudio, quod natura propè ſola conſtat.

ANNOTATIONES.

CVM ROSCIO PRINCIPE) *Tanta fuit huius auctoris excellentia, vt qui in aliqua arte præſtaret, is in ſuo genere Roſcius diceretur. Cic.1.de Orat. Eundem laudat orat.pro Quint. Feſtus. Roſcij appellabantur in omnibus perfecti artibus, quod Roſcius quidam perfectus vnus in arte ſua, id eſt, comœdia iudicatus ſit. Horat. epiſt.1.lib.2. Quæ grauis Æſopus, quæ doctus Roſcius egit. Vide & Macrob. lib.3. cap.14.*

PROGYMNASMA NONAGESIMVMNONVM.

Actio ſcenica.

CONRADVS, HELISAEVS.

CONRADVS. Accenditur mihi animus haud mediocriter, Heliſæe, ad perſonam in theatro agendam, ſiue id in comœdia, ſiue in

in tragœdia, ſiue in dialogo, (nam hoc tertium quoddam dramatis genus noſtri faciunt) non, inquam, parua cupido huius rei mihi creſcit in pectore, cùm obſeruo ſpectatores vultus atq; ora in ludionibus defigere, & non modò primarum, ſecundarum, ac tertiarum partium, ſed in ſuo genere optimum quemq; actorem intueri continenter, admirariq; maximè, & alios collatis capitibus percunctari, quínam ſit ille aut ille adoleſcẽs, cuius filius, quod ei nomen. H. At mihi cùm hac, tùm aliis de cauſsis ſemper iucundum fuit obligari ſacramento huius militiæ. C. Recenſe cauſſas illas, niſi oneroſum eſt, & adde currenti calcar. H. Pleriq; de ſtudioſis literarum aliena miſericordia liberalitateq; indigent, qui quidem cùm ſuas partes egerint egregiè, & ita ſe populo probauerint, à diuitibus ac nobilibus viris ſumptum in ſingulos annos, quo victum tolerent, facilè hac ratione, etiam non rogantes conſequuntur. Exempla complura commemorauerim, & ex illis ego ipſe vnum ſum, qui quoniam in comœdia quę inſcribitur Salomon coronatus, puerum Salomonem non malè videbar egiſſe, illuſtri & opulento viro annuos aureos quinquaginta in acceptis refero. C. Pro tantilla opera tanta merces? H. Non illi operam & laborem, ſed ingenium, quod ſeſe in huiuſmodi comicis actionibus mirabiliter oſtendit ac prodit, ſpectare ſolent. Videmus præterea parentes admodum deſiderare, vt filij doceantur bene geſtum agere, moderari manus, vultum, corpus totum, ac vocem etiam

inflectere,atq; variare, & in his omnibus poſtha-
bito pudore ſubruſtico liberi eſſe, nihil metuere.
Hoc nuſquā commodiùs, maioreq; cum eorū,&
aliorum voluptate fit,quàm in theatro. C. Quàm
vera ſunt hæc?nam quod mihi mei, hoc aliis per-
inde ſuos parentes credo facere. Quærunt ſæpe;
dabitúrne comœdia? quæ partes mandatæ ſunt
tibi? putant, credo, etiam ad ſuam ipſorum glo-
riam pertinere, ſi filij placuerint. H. Et ad gym-
naſij quoque decus atque gloriam vehementer
ſcito intereſſe: laudatur enim locus, & magiſter,
vbi,& à quo tam præclara indole, tam apti ad res
pulcherrimas adoleſcentes inſtituantur. Quin
noſmet ipſos,condiſcipulos,populum, magiſtra-
tus, totas ciuitates liberaliſsima & honeſtiſsima
voluptate cumulamus, ſi nos ex poëtæ ſententia
gerimus. C. Ac me quoque doctiorem factum
ſentio,tam multis egregiis ſapiēterq; ſcriptis ver-
ſibus ediſcendis:& memoriam non parum exer-
cui;ſiquidem trecentos,quingentos aliquando,vt
digitos meos, vt nomen meum recitare potui.
H. Si fabula quæ datur,latinè ornateq; compoſi-
ta fuerit,neceſſe eſt omninò actores, cùm eam e-
diſcunt,omnes omnium perſonas propemodum
memoria tenere (quippe quos toties cùm exer-
centur audiunt)in latinitate,& orationis virtuti-
bus nonnihil proficere, atque ad ſcribendum lo-
quendumq; aliquam ſibi ſupellectilem compa-
rare. Augetur adhæc prudentia, & cognitione
τοῦ πρέποντος,cùm animaduertimus ſcilicet, in
œconomia adhibitum iudicium, & cùm perſonæ
cuiuſq;

cuiusq́ eũm ſermonem audimus, qui ad naturã, ingenium, mores illius καθ' ὅλου eſt appoſitus. In quo quidem officium poëtæ inprimis conſumitur, qui vniuerſa in ſingulis imitari, atque exprimere debet. C. Cur igitur apud veteres probro dabatur hiſtrionicam facere? H. Si cogitemus qualia priſcarum comœdiarum argumenta fuerint, nõ mirabimur; leuia, litigioſa, nugatoria, impura: quales itẽ verſus; ſpurcidici, vt inquit Plautus, & immemorabiles. Ibi lenones, meretrices, paraſiti, ſerui callidi, adoleſcẽtes aſoti. Huiuſmodi perſonas agere honeſtum hominem iure pudeat, ſcurram autem, circulatorem, malè feriatũ ac triobolarẽ non pudeat. Dramatum noſtrorum longè diuerſa eſt ratio, quæ fermè illuſtres, graues, notas hiſtorias, & frequenter è ſacris literis petitas continent, quo populo & notiores ſint, & placeant magis. Quàm autem tales hiſtorias, tot annis præſertim, támque diſtantibus locis geſtas rectè deligamus, & quàm eaſdem materias præceptis & exemplis antiquorum ſeu comicorum ſeu tragicorum conuenienter tractemus, non eſt meum diſputare, doctioribus relinquo. Cùm igitur res ſint honeſtæ & ſacræ, perſonæ etiam ciuilibus honoratiores, aut ſaltem non viles atque abiectæ, tantum apud nos abeſt vt ſit ignominiæ hiſtrionem profiteri, vt ſit commendationi ac laudi potiùs. C. Illud ſupereſt, vt Roſcios atque Æſopos habeamus, qui nos in hoc artificio ipſi artifices celebratiſsimi inſtituãt. H. Bene optas. Nulla ars ſine magiſtro diſcitur: quanquam noſter

noſter doctor non eſt poſtremus in hac palæſtra.

ANNOTATIONES.

SI FABVLA QVÆ DATVR) *Dare fabulam vſitatum eſt Terentio. Sic autem dicitur, data eſt fabula, vt data eſt cœna, datum eſt prandium. Et dari dicitur fabula cùm agitur, ſtare, cùm placet. Hæc Donat. in prolog. Hecyr. Cic. Tuſcul. 1. Annis enim ferè CCCCX. poſt Romam conditam Liuius fabulam dedit. Et in Bruto. Minor fuit aliquanto is, qui primus fabulam dedit. Vtitur etiam verbo docere, vt eodem lib. Annis XXX. poſt, quam eum fabulam docuiſſe & Atticus ſcribit. In eodem lib. Ennius cùm Thyeſten fabulam docuiſſet, mortem obiit. Sic Horat. ad Piſon. Vel qui prætextas, vel qui docuere togatas.* APVD VETERES PROBRO DABATVR) *Apud Romanos, at non apud Græcos. Itaque Æmilius Probus præfat. docens, non eadem omnibus eſſe honeſta atq; turpia, ſed omnia maiorum inſtitutis iudicari, commemoratis aliis: In ſcenam verò prodire, inquit, & populo eſſe ſpectaculo, nemini in iiſdem gentibus fuit turpitudini; quæ omnia apud nos partim infamia, partim humilia, atque ab honeſtate remota ponuntur: contra ea pleraque noſtris moribus ſunt decora, quæ apud illos turpia putantur, &c. Lege Lamb. in eundem locum.* IBI LENONES, MERETRICES) *Quales comœdiarum veterum*

rum perſonæ vt plurimum eſſent, indicauit Terent. quoque in prologo. Heaut.

Ne ſemper ſeruos currens, iratus ſenex,
Edax paraſitus, ſycophanta autem impudens,
Auarus leno, aſsiduè agendi ſint mihi.

Certè cùm Plautus captiuos laudet etiam ob hoc, quod ibi non ſit meretrix mala, intelligimus nullam pæne ſine infamibus illis perſonis dari ſolitam. Vnde totam grauitatem & ſanctimoniam dramatum illorum æſtimare licet. Addam iſtuc corollarij loco. Intermedia quæ hodie vocantur in comœdiis & tragœdiis, diuerbia ſcilicet, quibus ſpectatorum animi actoribus è theatro, poſt actum finitum digreſsis, à veteribus dicta exodia, & actores ipſos exodiarios, qua de re legendus Turneb. lib. 3. cap. 17. & lib. 10. cap. 27.

PROGYMNASMA CENTESIMVM.

Pueri multandi verberibus.

PATER indulgentior, MAGISTER ſeuerior.

PATER. Queritur Auguſtinulus meus, ſe in ludo ſæpiſsimè abs te vapulare: quem quidem non mihi narrare ſomnia, è fletu rubentes oculi teſtantur. M. Si filius tuus iuſtè vapulat, noli quærere, raróne an ſæpe. P. Atqui nec iuſtè videtur cædi, nec moderatè, ſed iniquè & inhumaniter, ſi tam frequenter. Nam cui toties imponendæ ſunt plagæ, ei poſteriores ſemper grauiores imponuntur: quæ autem flagitia tam ſæpe filius iſte meus, probus vtiq; & diligens puer admittere poſsit, non intelligo. M. Amor cæcus eſt, is facit, vt puerum meliorem, & in diſcendo alacriorē exiſtimes, quàm ego experior quotidie. Ingenium ſanè non deeſt illi, voluntas deeſt. Quod ad verberum atrocitatem attinet, hoc tantùm reſpondebo tibi, me adhuc intra limitem ſæuiiſſe; petoq; à prudentia tua, vt mihi potiùs fidem habeas, quàm pueris, qui leuiſsima de cauſſa mentiuntur facillimè, & cùm virgas ac verbera impensè oderint, nunquam iuſta animaduerſione punitos ſe confiteri ſolent. P. Quæſo, Magiſter, ſine me paucis oppugnare hunc morem veſtrum

ſtrum cędendi pueros,& ſi poſsim,ſceptrum iſtuc tuum,virgam, inquam, extorquere tibi de manibus. M. Patiar equidem te diſſerere aduerſum nos quæ lubet,ſi tu etiam pati vis,me conſuetudinem noſtram tam antiquam,vſitatam, & neceſſariam defendere, quæq; mihi in mentem venerint contrà reſpondere. P. Optimum & æquiſsimum eſt,audire viciſsim quē accuſes. M. Clauam Herculi hodie nunquam extorſeris; futurumq; eſt, vt tu magis poſthac flagellum ad multandos liberos in manus ſumas,quàm mihi, vt id abiiciam perſuadere contendas. P. Tu fortaſſe eloquentia tua confidis, qua me ſupplantes: ego veritate ſola nitor,illam mihi comitem & adiutricem aduerſus te duco. M. Auſculto, dic virorum optime. P. Pulſare pueros, ſiue id à Magiſtro, ſiue à pædagogo, ſiue à parente fiat, deforme eſt;quoniam mancipia & beſtiæ, quæ aliter ad officium faciendum adduci nō poſſunt,non ingenui, & filij, teneræq; ætatis alumni, & diſcipuli verberibus ſunt vrgendi. Animum liberalem plagæ ſeruilem infractumque efficiunt, qui dum omnia timet, nihil audet eximium,ſequiturq; deſidia & inertia; quibus corpus quoque elangueſcit atque conficitur. Similiter pueris immoderata ſeueritas,vt nouellis ſtirpibus nimia ſiccitas nocet. In equulos,& vitulos calcaribus, ſtimulis, verberibus non vtimur: cur in pueros vtimur? quin & adulti boues,ſi acriùs ſtimulis ſubigantur, iuga perſæpe detrectant,& frænorum iam patientes equi,ſi crebriùs verberentur, percontumaces, pauidiq;

uidiq́;blanda autem manu attrectati, generoſi & audaces redduntur. Inter canes item ij nobiliores, quos blanditiis, & licentia quadam excurrendi potiùs, quàm minis & verberibus venatores educarunt. Simile quiddam in hominibus accidere credendum eſt. Contrà verò in aſinos, quoniam abiectiſsimæ naturæ, pigerrimæq́ animantes ſunt, ſi ex iis vtilitatem capere ſtudemus, fuſtes & flagella ſolemus expedire. Sic prorſus agreſtibus & ſeruilibus ingeniis faciendum, quorum vitia non vt frondes teneræ ſtringendæ, ſed vt ſpinæ & rubi penitus ſuccidenda ſunt. Quid, quòd multa vapulãtibus dictu deformia, ac maximæ verecundiæ futura vel dolore, vel metu ſolent accidere? Hæc porrò nõ ideò dixerim, quòd exiſtimem ſolutam ac liberam pueritiæ ad omnia voluntatem eſſe oportere, neq; vllam ipſi pœnam irrogandam, quam ad delicta nimio plus propenſam & lubricam eſſe non me fugit: ſed vt mitis quædam & moderata pœna, cum iudicio prudentiaq́, tanquam lene medicamentum ad ipſius curanda vulnera morbosq́ ſanandos adhibeatur; quo fiet, vt longè melius, longeq́ facilius à ſuis vitiis ad ſtudium amorémque virtutis traducatur, neque Magiſtros odio proſequatur vt carnifices, ſed amet vt parentes. Poſsit igitur non ſtultus ludimagiſter, ſi quid bene fecerint pueri, aliquando commendare, ſi quid errauerint, diſſimulare: nõnunquam blandè emendare, & cum laudationibus caſtigationes permiſcere; munuſculis etiam & cruſtulis interdum eos ad diligentiam

gentiam allicere: celebrare eos qui probitate & ſcientia claruerunt, deteſtari autem, qui veluti muta pecora vitam ſilentio tranſierunt. Condiſcipulos item peccantes coram ipſis reprehendere, & rectè facientes prædicare, mirum in modum proderit. His ego ſimilibúſque modis plus profectum iri apud adoleſcentulos putarem, quàm atrocibus minis aſsiduíſque verberibus. Non neſcis quid Terentius tuus quodam loco ſentiat: Pudore & liberalitate, inquit, ſatius eſſe credo retinere liberos quàm metu. Nec Plutarchi auctoritatem contemnis, cuius verba memini è libello de inſtituendis liberis. Non verberibus aut contumelioſa tractatione, ſed verbis & adhortationibus ad liberalia ſtudia pueri adducendi ſunt. Torpent enim & abhorrent à laboribus, partim ob dolores plagarum, partim ob contumelias. Apud ingenuos laudationes vituperationesq́; plus valent, illæ ad pulchra incitantes, hæ à turpibus arcentes. M. Pluráne tenes memoria? P. Etiam, hæc enim ſequuntur ibidem. Alternis porro increpationes & collaudationes ſunt adhibendæ, vt & cùm exultant animi, reprehenſionibus etiam ad pudorem redigantur, & cùm deiecti ſunt, rurſus laudibus erigantur. Imitandæq́; in hoc genere nutrices, quæ infantes cùm ad fletum prouocarunt, rurſum vt conſolentur mammam præbent. M. Miror te patrem non paternè, ſed maternè filij cauſſam agere, & eſſe animo tam indulgenti in puerum, nec illud etiam ex eodem auctore adducere voluiſſe,

quod iis quę recitaſti proximum eſt: Vidiſſe ſe ait, parentes, quibus nimius amor in cauſſa fuerit, ne verè amarent. Sententiæ tuæ in ſpeciem graui & prudenti communis omnium gentium conſuetudo reclamat, & ſapientes hunc modum cædendi pueros planè ſuadent, & ſacroſanctæ literæ, quarum apud me non paulò maior quàm omnium poëtarum, oratorum, philoſophorum eſt ad perſuadendum vis atque auctoritas, non vno loco virgarum flagellorúmque meminerunt. *Qui diligit filium ſuum, aſsiduat illi flagella, vt lætetur in nouiſsimo ſuo. Curua ceruicem eius in iuuentute, & tunde latera illius dum infans eſt, ne fortè induret, & non credat tibi, & erit tibi dolor animæ. Qui parcit virgæ, odit filium. Stultitia colligata eſt in corde pueri, & virga diſciplinæ eradicabit eam. Noli ſubtrahere à puero diſciplinam: ſi enim percuſſeris eum virga, non morietur.* P. Obruis me teſtimoniis. M. Quid ſi nullum omitterem? magis id diceres. Itaque D. Auguſtinus in libris Confeſsionum, quòd ſocordior eſſet in diſcendo, ſe vapulaſſe, idque ſibi profuiſſe narrat. Apud Lacedæmonas vituperationem ſubibat pater, ſi filium à Magiſtro percuſſum & conquerentem non iterum percuſſiſſet. Quod ſi hoc ſæculo valeret, melius forſitan ageretur cum Repub. tam perditam ac rebellem iuuentutem non haberemus, nec tot facinoroſi atque peſtiferi ciues exiſterent. Perſuadere ſibi omnino & parentes, & Præceptores debent, niſi principiis anteuerterint, puerosq; flexerint,

xerint, dum flecti poſſunt, fore, vt aliquando ex iis dolorem ingentem capiāt, à quibus gaudium voluptatemq́; exſpectabant: & id eſt quod ſanctæ ſcripturæ oracula vaticinantur. Cæterùm iſta verberatione vtendum eſt moderatè, nec quauis, etiam leuiſsima de cauſſa, niſi ſi frequenter committant, quamuis in re leui: vitioſa enim conſuetudo contrahitur, & à paruis delictis non punitis ad maiora fit progreſsio. Submouendi meo quoque iudicio à ſcholis, qui verberando voluptatem ſentiunt, omnemque culpam capitalem faciunt, nec magis parcendum pueris quàm canibus exiſtimant. Cauendum etiam ne irati quenquam plagis multent; ira quippe mediocritatem ſeruare non poteſt: & ne caput, cæterasq́; principes ac vitales humani corporis partes lædant, vnde valetudini incommodum generetur. Si quis erit tam liberali ingenio, vt literas & virtutem vltro diligat, verecundus, maioribus obediens, labores non recuſans, aliquando tamen peccans (quis enim vel ſapientiſsimus nunquam vlla in re offendit?) hic blādè, & dulci quodam modo, corrigendus erit, ne ad iracundiam prouocetur, & puſillo animo fiat. Si qui vel reprehenſionibus, vel verberationibus, magis tanquam ſaxa indureſcant, iis pulſandis ſuperſedendum eſt. Quamobrem non eſt interdicendum Magiſtris hoc pœnæ ſumendæ genus; ſed ſi per ſemetipſos non vident, admonendi ſunt, vt modum ſeruent, ſciantq́; & quibus, & quando, & quantum pœnarum infligendum. P. Obſtruxi-

ſti mihi os,ſerua inſtitutum tuum. Si in poſterum puer meus de te queſtus fuerit, Lacedæmonius illi fiam,iterum verberabo, vt conqueri deſinat; & cùm me approbare ſciat quidquid tu feceris, ſi effugere verbera concupiſcat, cupidiùs ad ſtudia ſua incumbat. M. Tali patre nihil laudabilius.

ANNOTATIONES.

NON *eſſe cædendos pueros vult Quintil. extremo cap.3.lib.1. cuius ratiunculæ haud magnum pondus habent. Cur autem ibi potiſsimùm receptum ſit virgis afficere pueros, vbi afficiuntur, in ea ſcilicet parte corporis, vide Rhodigin. lib.4. cap. 8.* SCEPTRVM ISTVC TVVM) *Martialis ad magiſtrum ludi epigramma hoc eſt lib. 10.*

Ludimagiſter parce ſimplici turbæ:
Sic te frequentes audiant capillati,
Et delicatæ diligat chorus muſæ:
Nec calculator, nec notarius velox
Maiore quiſquam circulo coronetur.
Albæ leone flammeo calent luces,
Toſtamq; feruens Iulius coquit meſſem.
Scuticaq; loris horridis Scythæ pellis,
Qua vapulauit Marſyas Celænaus,
Ferulæq; triſtes ſceptra pædagogorum,
Ceſſent, & Idus dormiant in Octobris:
Aeſtate pueri ſi valent, ſatis diſcunt.

IN EQVVLOS ET VITVLOS) *Nunquid nam æquum eſt, grauius homini & durius imperari, quàm impe-*

imperatur animalibus mutis? Atqui equum non crebris verberibus exterret domandi peritus magiſter: Fit enim formidoloſus & contumax, niſi eum tactu blandiente permulſeris. Idem facit venator, qui inſtituit catulos veſtigia ſequi, quiq; iam exercitatis vtitur ad excitandas vel perſequendas feras. Nec crebrò illis minatur; contunditur enim animus, & quidquid eſt indolis comminuitur trepidatione degeneri: nec licentiam errandi vagandiq; paſſim concedit. Seneca de clement. lib. 1. cap. 16.

Hic Progymnaſmatum primus liber R. P. IACOBI PONTANI ex Societate IESV, politioris literaturæ ſtudioſis vtiliſſimus eſt, eò quòd & doctrinam ſingularem ad formanda Chriſtianæ iuuẽtutis ingenia contineat, & de moribus grauem admodum diſciplinam complectatur, typis proinde mandatum publicari debere iudicaui

PETRVS STEVARTIVS Leodius, Collegij Theologici hoc tempore Decani Vicarius.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google